UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Apostolica contra nostri temporis hæreses

In quibus Loca illa explicantur, quæ Hæreticj hodie (maximè Caluinus & Beza) vel ad sua placita stabilienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmanda ...


In Epistolam B. Pauli ad Romanos

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

urn:nbn:de:hbz:466:1-39447

Visual Library



Th. 7361.

F V
34.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANTIDOTA

APOSTOLICA CONTRA NOSTRI TEMPORIS HÆRESES:

In quibus loca illa explicantur, quæ hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) vel ad sua placita stabilienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmanda, callidè & impiè deprauarunt.

In Epistolam B. Pauli ad Romanos:

Collegij Societatis Jesu Paderborn.

TOMVS II.

1597.

Authore Thoma Stapletono Anglo, S. Theol. Doctore, & in Academia Louaniensi S. Scripturarum Professore regio.

ANTVERPIÆ,
Apud Ioannem Keerbergium.

ANNO M. D. XCV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRÆFATIO
ad Lectorem.

QVVM hactenus, Christiane Lector, in sacrosanctis Euangelijs & Actis Apostolicis ab indignissimis hodie hæreticorũ corruptelis (Caluini maximè ac Bezæ) vindicandis sudauerimus, nunc ad diuinum & vnum Paulum accedimus : à quo vno explicando vt professionem hanc nostram iam ferè ante quinquennium auspicati sumus, ita ille vnus, & hæc maximè vna ad Romanos epistola, vt ordine ita dignitate prima, hasce nobis cogitatio-

nes animo impreſsit, vt contra venenatos hodie hæreticorum ſenſus, quibus literas Apoſtolicas, Paulinas maximè, & hanc potiſsimũ ad Romanos epiſtolam, fœdè contaminarunt, Antidota meditarer. Vnum Paulum, & hanc inprimis ad Romanos epiſtolam, pro pleriſque eiſdemque primarijs dogmatibus ſeu placitis nouis, prophanis, hæreticis fortiter decertare, ad illa ſtabilienda firmiſsimis argumentis abundare; imò ex vno Paulo, & hac vna ferè epiſtola, capitales hodie controuerſias de iuſtificatione, de gratia Chriſti, de L & Euangelio, de libero arbitrio, libertate Chriſtiana, de operum iuſtitia, de certitudine ſalutis & gratiæ, de prædeſtinatione ac reprobatione, de imputatiua iuſtitia, de peccato originali, ex ipſorum ſenten-

sententia cõfirmari ac terminari posse,& totum denique Paulũ pro ipsis stare,omnes hodie ad vnum Protestantes gloriosè iactant. Lutherus hodiernæ apostasiæ pater,sic ex huius epistolæ ad Romanos lectione nouum suum Euangelium, *Imputatiuam ex sola fide iustitiam*,sese accepisse gloriatur, vt de illis solis Pauli verbis,*Iustus ex fide viuit*,ita scribat: Rom.1. *Hîc me prorsus renatum esse sensi, apertis portis in paradisum intrasse. Iste locus Pauli mihi verè fuit porta paradisi.* Huius dementiæ quum alij acclamassent, solius saluantis fidei dulcedine capti; tum ille tum alij in vnum Paulum, & hanc vnam præsertim ad Romanos epistolã, commentarios, scholia, obseruationes, methodos, analyses, certatim scripserunt. Hãc vnã epistolã Scripturæ prima præfat. operũ Lutheri.

clauem, totius Theologiæ fundamẽtum, Euangelij ſummã ac medullam deprædicant. *Si quis hanc intelligit* (ait Caluinus) *aditum ſibi quendam patefactum habet ad totius Scripturæ intelligentiam*: *imò* (vt poſtea addit) *ad reconditiſſimos quoſque Scripturæ theſauros adeundos habet apertas fores*. Et certè ſatis prædicari vel ipſe diuinus Apoſtolus, vel hæc vna ad Romanos epiſtola, non poteſt. Hic eſt ille quippe *vas electionis*, ſeu ſingulariter electum, *vocatus neque ab homine, neque per hominẽ, ſed à Chriſto de cælo, cui cæteri Apoſtoli nihil contulerunt, qui in Iudaiſmo profecit ſuper omnes coætaneos ſuos, eruditus ad pedes Gamalielis*, qui *raptus ad tertium cælum audiuit arcana Dei, quæ non licet homini loqui*, qui *plus omnibus laborauit*, cuius ſapientiæ Apoſto-

In præfat. ad Sim. Grynæũ.

Gal. 1.

Act. 9.

2. Cor. 12.

Apostolorum coryphæus testimonium perhibet, de eo scribens, *secũdùm datam sibi à Deo sapientiam*; 2. Pet. 3. sanè tantam, vt, authore Ambrosio, Serm. 66. *sicut Petro claues potentiæ, ita Paulo claues scientiæ datæ fuerint*: cuius porrò charitas in Deum tam inflãmata erat, vt ab ea nihil eum separare potuerit, *neque mors, neque vita,* Rom. 8. *neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura*; in proximum verò tanta, vt pro Iudæis quidẽ *optauerit esse anathema*; pro Gentibus à se conuersis, *cupiens dissolui, & esse cum Christo,* Philip. 1. *elegerit tamen manere in carne*, tanquam illis adhuc necessarius: tãdem (vt de illo scribit Chrysostomus, Pauli admirator maximus,) *veluti volatilis præ charitate effectus, nunquam sedens, nũquam stans, totum orbem*

 In procem. in hanc epist.

bem percurrit. Quum autem (vt sa-
Epist. 115. pienter scribit Seneca) *talis sit hominibus oratio qualis vita*, vnius Pauli stylus ex sapientiæ magnitudine grauis ac sublimis, ex charitatis ardore affectuosus & abruptus est. Sic in eius epistolis *secũdùm sapientiam sibi datam*, id est, propter doctrinam eius cæteris excellentiorem & profundiorem, multa occurrunt *difficilia intellectu*, dũ ex sapientiæ vbertate, & diuini ingenij flumine, instar rapidissimi fluuij obuia quæque conuoluit, & alia alijs accumulat, lon[illegible]nterdum hyperbatis hiulcus, aposiopeses, anantapodota, periodos fractas non rarò adferens. Sed in vna hac ad Romanos epistola veluti totum effundens spiritum suum,
Epist. ad Rom. difficultas. multis nominibus singulariter difficilis est. Quia multas mouet quæstiones,

ſtiones, eaſdemque difficiles; quia vtitur phraſibus confuſis & minùs explicatis, cõcisè loquẽdo, & præter vulgarẽ morem; quia diſputationes tractat veluti inuſitatas, de quibus in Euangelio vel cæteris Apoſtolis parum aut nihil inuenias: vt de vocatione Gẽtium, ac reiectione Iudæorum, de lege Moyſi, de lege naturę, de lege peccati, de lege carnis, de lege membrorũ, de lege Spiritus vitæ, de lege factorum, de lege iuſtitiæ, de lege fidei, de lege mentis, de lege mortis: tum de iuſtitia Dei reuelata, de iuſtitia fidei & ex fide, de iuſtitia legis & ex lege, de iuſtitia operum: mox de circunciſione carnis & ſpiritus, de Iſrael ſecũdùm carnem & non ſecundùm carnem, de homine exteriori & interiori: tandem de ſpiritu ſeruitutis & ſpiritu

adoptionis, de Spiritu Dei inhabitante, agente, mortificãte, viuificante, interpellante, ſecundùm quem ambulare, in cuius nouitate ſeruire, cuius teſtimonium habere oportet. Hæc & in ſolo ferè Paulo leguntur, & in hac potiſsimùm epiſtola traduntur, tractantur, inculcantur. His accedit, quòd in eodem contextu varias interdũ perſonas induit, nunc firmi, nũc infirmi; nũc carnalis, nũc ſpiritualis; nunc Iudæi, nunc Græci; furtimque & ex abrupto perſonam mutat, & ab vna materia in aliam tranſit. Sic innumera & præclariſsima tam veterum quàm recentiorum ingenia hæc vna epiſtola exercuit. D. ſanè Auguſtinus, naturæ & gratiæ veluti miraculum, ab hac tamen epiſtola explicanda *operis magnitudine deterritum ſe abſtinuiſſe*

Retract. lib. 1. c. 25

tinuisse profitetur, nec nisi expositionem inchoatam reliquit. D. Hieronymus ad hanc epistolam intelligendam *singulari Spiritus S. auxilio opus esse* scribit. Theodoretus, in prefatione in hanc epistolam, fatetur se *post omnium Patrum, qui eum præcesserunt, diligentem lectionem, suam interpretationē aggressum fuisse*. Possem hîc præter veteres & intermedios huius epistolæ doctissimos interpretes (inter quos meo qualicumque iudicio reliquos superat & excellit Anselmus, siue Heruæus, cui alij hunc commentarium tribuunt) recentiores, nostræque ætatis interpretes bono numero recensere, etiam præter eos quos in sua Bibliotheca Sixtus Senensis cōmemorat. Ita huius epistolæ & ingens difficultas, & multo maior vtili-

Epist. ad Hedibiā q. 10.

vtilitas, & singularis excellentia ac dignitas facilè eluceſcit.

Cæterùm quum ad has omnes difficultates, hæreticorum hodie ſuperba, callida, & inquieta ingenia acceſſerint, qui magno etiam numero, ingenti ſtudio, ſingulari artificio ad ſua ſtabilienda placita, hac diuina epiſtola nequiter abuſi fuerint, eorum me conatibus, impoſturis, ac fraudibus, quanto potui conatu ac ſtudio opponere volui. Qua in re duplex mihi labor ſubeundus fuit. Primus, vt diuini Apoſtoli germanam ac genuinam diſputationem, ſenſum verum, purum, & orthodoxum, iuxta veterũ & orthodoxorum Patrum iudicium, iuxta analogiam & regulam fidei Chriſtianæ Catholicæ, denique iuxta ipſius literæ Apoſtolicæ planum & perſpicuum

Operis huius labor deplex.

cuum contextum, retinerem, traderem, explicarem: qui quidem labor omnibus hactenus interpretibus communis fuit. Alter, & huic instituto proprius, vt fraudulentis & impurissimis hæreticorum corruptelis occurrerē: quę tātò & numero plures, & arte atq; industria maiores, & ad lectoris perniciem potentiores esse necessariò debuerunt, quantò in hac vna epistola argumenta fidei tractantur & varietate plura, & intellectu difficiliora, & ad modernas controuersias discutiendas magis accommodata. Porrò vt in alijs Scripturis omnibus, ita & in Paulinis maximè epistolis egregiè deprauandis quum palmam ferat Caluinus, cuius propterea integrū penè commentarium in suam Catholicam (quam vocat) Scripturæ exposi-

tio-

sitionem, ex omnibus videlicet nouis hodie & hæreticis interpretibus collectam Augustinus Marloratus inseruit) & huic insigni seductori cæteri penè applaudunt omnes, eius inprimis corruptelas, & vniuersum commentarium sanè elaboratissimum (ad loca pertractata quod attinet) r[illegible]anda susceptmus. Huic impost[illegible]i Theodori Bezę in Paulum Adnotationes copulauimus, qui varijs in locis Caluini negligentiam suppleuit; & vbi ille parcus ac breuis, hic copiosus & accuratus esse voluit. Vterque ad Pauli disputationes callidè inuertẽdas, ad textum Apostolicum nefariè deprauãdum, ad pestifera sua dogmata quauis occasione stabilienda, ad orthodoxam in singulis doctrinam validè cõuellendam, ingentem operã posuerunt.

Quare

Quare noſtra in hanc vnam epiſtolam Antidota nō ſolùm in primarijs fidei Chriſtianæ capitibus, adeoque fundamentis ipſis, orthodoxam veritatem tuebuntur, falſitatem hæreticam iugulabūt; ſed etiam vtriuſque impoſtoris varias nocēdi ac fallendi artes, variam *nequitiam* & *aſtutiam* (hęreticorum proprias notas ab Apoſtolo deſignatas) ad oculum commonſtrabunt; vt horum (qui columnæ eſſe videntur) exemplum documento ſit, quid ab alijs gregarijs hæreticis, omnibus Caluiniſticæ ſectæ miniſtris ac magiſtris, (qui hos duos veluti Petrum & Paulum ſuſpiciunt & admirantur,) vel ſanæ doctrinæ, vel pudoris ac probitatis expectandum ſit. Ab iſtis quippe non ſolùm malè de fide ſentire, ſed & mentiri ac fallere cæteri didice- Epheſ. 4. 14.

didicerunt. Iam vt hæc in Paulum Antidota vberiorē lectori fructum adferant, & veluti iusti commentarij vicem habeant, tum totius Epistolæ, tum singulorum capitum argumēta ponimus; tū varia loca vbi etiam seductores isti tacuerunt, quæ causam Catholicā adiuuāt, cumulamus. Id quod in reliquis etiam Apostolicis epistolis (fauente Christo) deinceps fiet.

Sed quid? An ad earum tractationem cōtinuato cursu progrediemur? an potiùs, Antidotis istis tantisper relictis, ad VVhitakerum nostrum redeundum erit, qui aduersus defensionem nostram pro authoritate Ecclesiastica susceptam, anno 1592. editam, superiori anno duplicauit? Est quidem illud argumētum perutile, & magnum mihi disputationis

VVithakeri Duplicatio.

tionis ostium apertum, aduersarius quoq; verbosus, audax, & strenuus, qui pro suo honore fortiter, pro causæ, quam tuetur, firmitate ieiunè ac tenuiter dimicat: quique adhuc in eodem luto hærens, summã impietatẽ pari pertinacia propugnat. Sũmam impietatẽ dico, (ideoque à me non studiosè tãtùm refutatam, sed & acriter obiurgatam) quia omnibus hæresibus fenestram aperit latissimam, quæ claudi nequeat, & totius ædificãdæ fidei ipsum primarium fundamentum euertit. An ergo Opus hoc nostrum veluti in medio cursu abrũpam, noui Instrumenti quasi media iam ac difficiliori parte hactenus superata, vt illi duplicãti defensionem alteram opponam? Sunt quidem aliqua quę id vt faciam me dudum mouerunt: sed

quia longos mihi dies in hac ætate & languenti ſtomacho promittere non audeo, id quod Eccleſiæ Dei (cui meus labor militat) lõgè opportunius fore confido, proſequẽdum iudico. Sic enim, *dum tempus habemus, operari bonum ad omnes oportet,* Gal.6.10. vt ad quàm maximam Dei gloriam, aliorumque ædificationem (quibus operandi talenta Deus dedit) operemur. Vix autem quenquam dubitare exiſtimo, ad fidei orthodoxæ illuſtrationem ac robur multo accommodatius eſſe, multo opportunius fore, vt diuinarũ Scripturarum ſenſus orthodoxus (in quibus deprauandis omniũ hęreſum firmamenta conſiſtunt) ab indigniſſimis hæreticorum corruptelis validè vindicetur (qui labor non vni aut alteri, ſed ſingulis hæreſibus neruos præſcindit)

scindit) quàm vt vnum argumentum, quantumlibet vtile ac necessariũ, excutiatur. Sed & illud (opinor) negabit nemo, ex re & honore Catholicæ Ecclesiæ multo luculentius fore, vt Caluini (qui iam amplissimę sectæ nomen dedit) in totũ nouum Instrumẽtum impostura detegantur, deprauationes corrigantur, multiplex impietas refutetur, quàm vt in vno argumento quicunque tandem Caluinista exagitetur. Tanti sanè vnum Caluinũ nostet VVhitakerus facit, vt in sua aduersum me duplicatione scribat, *in Caluini digitulo vno plus esse solidæ doctrinæ, sapientiæ, ingenij, quàm in toto capite & corpore Stapletoni.* An tam vastũ inter nos discrimen sit, hæc Antidota nostra, si non VVhitakero, at cuiuis æquo Lectori, manifestum faci-

Pag. 15

cient. Nec ego in hac ſcriptione, aut quauis alia mea pro fide Catholica ſuſcepta, ſapientiæ, doctrinæ, atque ingenij famam captaui, aut de illis contentionem ſuſcepi; ſed aduerſus peſtilentes horum temporũ hæreſes pro meo modulo & veritatis orthodoxæ ſtudio depugnaui. Dei tamen beneficio in hoc opere id me conſecutum ſpero, vt, quantauis doctrina, ſapientia, ingenio, id eſt, calliditate & audacia, aſtutia & nequitia ad Scripturas ſanctas deprauandas valuerit Caluinus, ad eius deprauationes ſolidè refutandas nec doctrinam, nec ſapientiam, (quæ verè hoc nomine dignæ ſunt) nec ingenium mihi defuiſſe, omnes intelligant. Poſt Bezam quoq; VVhitakerus noſtros Theologos longiſſimo ſic interuallo reliquit, vt de illis ſcri-

lis scribat: *Nostri Pygmæi Bezam la-* In Præfat. lib. cõtra. Sanderũ.
cessere nunquam desinunt; quos ille si aspicere semel posset, insutos in culeũ illideret. Quàm iste homo terribilem bestiam Bezam facit! Cæterùm VVhitakero video accidisse quod de Philostorgio Eunomiano historia Ecclesiastica commemorat. Sic ille suum Eunomium adamauit, vt etiam vitia eius commendaret. Quum enim impeditæ linguę esset, hoc ipsum facundiam esse dixit incõparabilem, & verba oris eius tanquam pretiosas margaritas sapere. Albas quasdam in eius facie maculas lepram repræsentantes, & verrucas, vt singulare vultus ornamentum laudauit. Sic omnia Caluini & Bezæ VVhitakero placent, eorum placita acriter defendit, eorum in Scripturis seu vertẽdis seu exponen- Niceph. lib 12. cap 29.

dis corruptelæ, optimæ illi & purissimę interpretationes videtur. Vnius Caluini singulare & nouellum dogma in Ecclesia Christi hactenus inauditum, à Cinglianorum sententia diuersum, à Lutheranis acerrimè exagitatum, de vi, communione, beneficio corporis Christi, non ipso Christi corpore, in sacra Cœna (nisi sola fide) præsenti, ita suspicit, admiratur, colit, vt de ea sententia dicat: *Hæc summa est sententiæ nostræ; quam ego non minùs dubito verā esse Scripturæ sententiam, quàm Christū esse Christum.* Homini tam acriter Caluini verbis addicto, vt Caluini nouellum ac proprium dogma tot seculorum & gentiū Christianæ professioni adæquet, ideoque tam facilè Christum quā hoc Caluini dogma negaturus sit, si

In respōs. ad rationes Campiani pag. 43.

sit, si cæteri omnes, qui Caluino aduersantur, stipites videntur, vt plus in vno Caluini digitulo quàm in aliorum toto capite & corpore doctrinæ, sapientiæ, ingenij resideat, minimè cuipiam mirum videri debet. Iam si tanti VVhitakero Caluinus ac Beza sunt, & nos infra Caluinum ac Bezam tam immenso interuallo subsidemus; amplissimus hic VVhitakero patebit campus, quo pro Caluini ac Bezæ necessaria existimatione decertet, & in me iterum ferocissimè incurrat. Atqui Caluinum maximè, interdū Bezam, & hactenus refutaui (Christi beneficio) & adhuc copiosiùs refutabo, eumque diuinarum Scripturarum pestilentissimū esse deprauatorem, atque impostorem nefarium, toti orbi commonstrabo. Vbi hoc la-

bore defunctus fuero, quid & quatenus aduersus VVhitakeri duplicationem à me scribi aut non scribi conueniat, dispiciam. Nam vt ad Promptuariũ Morale in festa Sanctorum (quod meum in Euangelia Dominicalia iam dudum editum Opus bonus VVhitakerus *postillam quasi pistillum* per cõtemptum vocat, non secus, vt apparet, Christianæ pietatis ac puritatis quàm fidei orthodoxæ hostis) hoc Opere confecto me conuertam, frequentissimis optimorum & magnorum virorum interpellationibus iam diu prouocor. Quibus an tunc morem gerere absque vlteriori dilatione debeam, seriò mihi cogitandum erit. Interim nec VVhitakerus nec amici eius, quòd de verbosa illa duplicantis, iactãtia, putidis paralogismis

In epist. dedicatoria.

passim

passim referta, propter meum silentium insolentiùs efferantur, causam habent; qui ex causis iustissimis eius examen differre cogor. Hoc certè præ manibus Opus, & illam alteram Promptuarij Moralis partẽ vt tandem perficiam, ingenti, fateor, fortasse & nimio, desiderio teneor. Quæ causa est, quòd quanta possum celeritate in his Antidotis pergo: quæ, sequuntur, leuiori brachio expediri posse confido.

Tandem, hic ipse labor noster, VVhitakeri tota duplicatio quàm sit partim pernicioſa, partim inanis & impia, duplici ex capite docere potest. Quum enim ille, remota Ecclesiæ authoritate infallibili, quæ fidem simpliciter faciat atque persuadeat, eò quòd (ipsius opinione) falli Ecclesia in suo iudicio potest,

& ad persuadendum inepta sit, in solis diuinis Scripturis, authoritatem hanc simpliciter infallibilem ac persuadendi vim ponat, vt ipsa Scripturarum liquida veritas, non Ecclesiastici ministerij authoritas, fidem de quaque re generet (in qua iam controuersiæ punctum contra Ecclesiæ authoritatem constituit, Caluino suo fortiter innixus, qui *omnem in Scripturis authoritatem Sacerdotibus, Prophetis, Apostolis, siue Apostolorum successoribus delatam, non ipsis, ac neque ipsorum ministerio, sed ipsi verbo esse concessam* docet) pernicioſum hoc totum esse, hæc nostra docent Antidota. Videt hîc quippe Lector, quàm multa perfidiæ monstra vnus Caluinus ex diuinis Scripturis perperam intellectis hauserit, & quanta sit docentis

Institut. lib. 4. c. 8. num. 2.

atque

atque interpretantis Ecclesiæ necessitas, quæ diuinarum Scripturarum verum sensum (sine quo Scripturæ non fidem sed perfidiam generant) iuxta fidei regulam, & sponsi sui mentem, quam ipsa optimè tenet, omnibus tradat, & veluti vnicè ac germanè verum omnibus persuadeat. Videt quoque, quis sit huius doctrinæ Caluinianæ (quam tanto molimine tuetur VVhitakerus) scopus ac finis: nempe vt sola Scriptura omnem fidē generet prout vnus Caluinus, aut alius quilibet versutus hæreticus, eam deprauabit. Idem est de ipsarum Scripturarum libris ac partibus iudicium. Totam Scripturam αὐτοπίστον esse vult VVhitakerus, id est, *sibi nobisque per se canonicam diuinamque à nobis agnoscendam esse, & agnosci, non propter Ecclesiæ*

Eccle-

Ecclesiarumque omniũ testimonium, sed propter ipsum Scripturarum diuinissimum characterem, qui Scripturas à Deo prodijsse apertissimè loquitur ijs, quicumque aut Spiritum S. acceperunt, aut mediocri intelligentia valent. In qua assertione statum quæstionis de authoritate Scripturarum ponit. Hæc assertio si vera est, quomodo vnam & eandem Scripturæ partem in Ioannis Euangelio (historiam de muliere adultera, Ioan. 8.) Caluinus agnoscit *diuinam esse, & nihil habere Apostolico Spiritu indignum?* Beza contrà *[illegible]ptius narrationis fide se dubitare* ait, causasque adfert cur illa pars *improbabilis ei videatur?* An tanti viri (opinione VVhitakeri) aut Spiritu Sancto, aut mediocri intelligentia caruerunt? Idem infrà videbimus circa epistolam

Pag. 14.

lam D. Iacobi, quam Caluinus pro diuina habet, Lutherus adeò non habet, vt *præ cæteris Scripturæ partibus stramineam vocauerit.* Ita hac ex parte VVhitakeri sententiam pernicioſam eſſe, hic ipſe Antidotorum noſter labor docet. Ab altera parte, quum Scripturis Euãgelicis & Apoſtolicis vel pro Eccleſiæ authoritate à me magno numero congeſtis falſa interpretatione à Caluino deſumpta deprauandis, vel contra Eccleſiæ authoritatem in ſenſu quoque Caluini ab ipſo prolatis, duplicationis VVhitakerianæ robur maximum conſiſtat; profectò earundem Scripturarum in hoc Opere explicatio orthodoxa contra omnes Caluini corruptelas roborata, quàm tota VVhitakeri lucta & concertatio inanis atque impia, verboque Dei aduerſa

aduersa sit, hæc nostra rursum Antidota docebunt. De ipso controuersiæ puncto inter VVhitakerum & me circa Ecclesiæ authoritatem videre Lector potest ad cap. 10. v. 17. huius ad Rom. epistolæ, & alia loca illic annotata, quæ cuiuis æquo lectori satisfacere possunt. Ita si cuiusquam in animo VVhitakeri verbosa illa iactantia authoritatis Ecclesiasticæ à me defensæ existimationem imminuit; & causam à me iniquam defensam fuisse aliquo modo persuaserit, cum hæc Antidota nostra, vt illi duplicationi minùs confidat, atque adeò vt ab illa tanquam scripto pernicioso & impio abstineat, non mouere tantùm exemplo, sed ad persuadendum documento esse possunt. In Antidotis igitur Apostolicis, diuino aspirante Numine, progre-

progredimur, cũ Caluino & Beza, VVhitakeri & Puritanorum in Anglia iudicio inuictæ virtutis viris, intrepidè decertaturi. Tu his interim, Lector Christiane, laboribus nostris pro diuinarum Scripturarum puritate asserenda susceptis fruere: & (vt te semper obtestari soleo) si quã aut tuis studijs lucem, aut fidei consolationẽ attulero, pro omni mercede tuis apud Deum precibus interdum me iuua. Vale

Louanij, 26. Maij, 1595.

ANTIDOTA APOSTOLICA CONTRA NOSTRI TEMPORIS HERESES in Epistolam D. Pauli ad Romanos.

Argumentum Epistolæ.

CONSTAT Epistola ad Romanos duabus præcipuè partibus, vna dogmatica vsque ad finẽ cap. 11. altera ethica vsque ad finem epistolæ. Scopus Apostoli in tota dogmatica hic est: Quia ex circunciſione credentes adhuc legalium suorũ amore tenebantur (cuius causam vide apud Origenem lib. 2. contra Celsum) ideóque partim legem cum Euangelio retinendam asserebant (quod in hac epistola principaliter Apostolum refutare commentarij D. Hieronymo & D. Ambrosio ascripti tradunt; etsi hunc errorem iam ante septem annos Concilium Apostolicum

Epistolæ scopus.

Act. 15. explosérat) partim ex merito obseruatę legis ad fidem Christi se vocatos fuisse, nec nisi ex eorum genere vocandos esse opinabantur; contrà verò Gentiles propter morales virtutes & philosophiæ studium (quod nuper non in Græcia tantùm, sed & Romæ studiosiùs excoli cœperat) Christi fidem se accepisse reiectis Iudæis gloriabantur; has ob causas scopus Apostoli est, ostendere tum Iudæos tum Gentes peccatores fuisse, & sola Christi gratia iustificatos esse. Est ergo gratiæ commendatio principale quidem Apostoli argumentum, vt rectissimè docuit S. Augustinus lib. de Spiritu & lit. sed ex causis prædictis, vt idem docet Augustinus in expositione inchoata huius epistolæ, & ad Simplicianum lib. 1. q. 2.

Hunc autem suum scopum hac ratione prosequitur. Præmissa breui præfatione, & captata Romanorum beneuolentia, primò commendat virtutem seu gratiam Euangelicam, quatenus in ea iustitia fidei reuelatur olim vel penitus incognita, vel obscuriùs tradita, vel parciùs impertita; ponens in eo quasi fundamentum totius futuræ disputationis, hanc Euangelicam gratiam ostendit esse necessariam ad salutem omnibus: Gentibus quidem posteriore parte primi capitis, Iudæis verò tribus capitibus sequentibus, quæ tria capita id potissimùm docēt, Iudęos neque ex lege, neque ex genere suo, neque ex circun-

Disputationis Apostolicæ series.

circunciſione fuiſſe iuſtificatos. Vnde ſequitur, non fuiſſe legis Moſaicæ vel cognitionem vel obſeruationem neceſſariam ad Euang fidem comparandam, multo minùs à i credentibus legem cum Euangelio eſſe co iungendam. Ita horum capitum diſputatio id fuiſſe primarium Apoſtoli intẽtum quibuſdam perſuaſit, vt doceret, legẽ cum Euãgelio non eſſe coniungendam: quum illud potiùs intendat Apoſtolus docere, quòd legis Moſaicæ cognitio vel obſeruatio non eſſet neceſſaria ad Euangelij fidem comparãdam. Quare & in alijs 5. capitib. ſeqq. videl. à cap. 5. vſque ad cap. 9. incluſiuè Apoſtolus totus eſt in gratiæ Euangelicæ commendatione. In quinto quidem cap. ferè vſque ad finem à bonis quæ per illam ſumus conſecuti. Hinc ſub finem quinti cap. vſque ad 9 cap. à remotione malorum à quibus per illam liberati ſumus, vtpote à ſeruitute peccati in genere toto cap. 6. à ſeruitute legis ſiue mandatorũ quoad iugũ premẽs, ſiue membrorum quoad imperiũ dominãs, toto cap. 7. à damnatione tam culpæ quàm pœnæ toto cap. 8. cum appendice de adoptionis noſtræ conditione, & hæreditatis amplitudine quæ illam conditionem leuem facit, vnde & naſcitur confidentia filiorum Dei in perfecta libertate ſpiritus.

Hinc agit de ordine vocationis ad fidem, an ſcilicet ex electione gratiæ detur, an ex

præcedentium operum meritis, vt tam Iudęi quàm Gentiles, sed Iudæi maximè, opinabantur: & quidem cap. 9. sicut docet gratuitam Dei misericordiam in electos, & non iniustam reproborum reiectionem; ita quo ad Iudæos ipsos versat magis hãc quęstionem quàm soluit; Iudæorum hac in parte improbam & pertinacem curiositatem magis redarguens, quàm eorũ dubitationi respondens. In fine t[illegible] incipit soluere, & duobus seqq. cap. [illegible] gis soluit, docens, Iudæos ideo à Deo reiectos, quia nõ ex fide & gratia Mediatoris, sed ex operibus legis quærebant iustitiam: ideóque eorum reiectionẽ iustam fuisse, & lapsum inexcusabilem; non tamen vel irreparabilẽ, vel generalẽ, vel inutilem, vel denique superuacaneam. Postremò circa medium cap. 11. docet, Gentes non debere aduersus Iudæos gloriari. In parte ethica docet vsum gratiæ Christi, vt quis sit perfectus, nempe cap. 12. quo ad sanctitatem & vsum donorum Dei. cap. 13. primùm quo ad iustitiam erga proximum, ac deinde quo ad puritatem quã in seipso quisque conseruare debet: cap. 14. vt infirmos fratres nec scandalizemus nec iudicemus: cap. 15. vt eos quoque sustineamus: cuius rei occasione iterum excurrit in vocationẽ Gentium: ac deinde eodem cap. subijcit quædam familiaria ad se pertinentia. Denique vlt. cap. contexit varias salutationes, obiter monens

vt ab

vt ab hæreticis & nouis dogmatistis sibi caueant. Ita hæc vna epistola primarium fidei dogma de gratia Christi & prima peccatorum iustificatione pertractat, atque ad mores & pietatem copiosè informat.

Argumentum Capitis 1.

COMMENDAT prædicationē Euangelicam tanquam ad salutem necessariam: quia iustitia Dei ex fide in ea reuelatur propter credentes, & ira Dei in ea manifestatur propter impios, maximè verò Gentium sapientes, quorum cæcitatem & vitæ turpitudinem describit.

Vers. 5. *Per quem accepimus gratiam & Apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus, &c.*

VALET hic locus contra hæreticos pro Ecclesiasticæ prædicationis authoritate, cui obediendum sit in doctrina fidei capessenda. Ait enim Apostolus, *accepisse se à Deo gratiam & Apostolatum*, id est, Apostolicam docendi & prædicandi potestatem, *ad obediendum fidei*, εἰς ὑπακοὴν πίστεως, id est, ad obedientiam fidei ingenerandam *apud omnes gentes* quibus prædicaturus erat, vel vt omnes gentes ei prædicanti obedi-

Ecclesiasticæ prædicationi obediendum.

obedirent. Docet igitur vocem Ecclesię prędicantis & docentis huiusmodi à Deo datam esse, vt ei obedire, exeáque obedientia, fidei veritatem ac doctrinam accipere omnes debeant. Hodie hæretici Ecclesiæ voci nonaliter obediendum censent, nisi quatenus illa cum Scriptura consentiat, hoc est, quatenus ipsorum iudicio consentire videbitur. Alioqui enim, vtrùm cum Scriptura consentiat Ecclesiastica prædicatio, vnde tandem constare poterit, nisi vel ipsi ea de re iudicium ferant (quod est seipsos Ecclesiæ iudices cõstituere) vel ipsius Ecclesiæ iudicio ea in re acquiescant; & sic ad Ecclesiæ authoritatem obedienter suscipiendam iterum relabantur. In alijs locis hac de re plura diximus; dicemus & postea.

8. *Quia fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo.*

Romanorum fides.

LAudat fidem Romanorum vt toto orbe celeberrimam: de qua suo tempore Cyprianus: *Ad Romanæ Ecclesiæ fidem Apostolico ore laudatam perfidia habere accessum non potest.* lib. 1. epist. 3. Vide D. Hieronymum in præfat. lib. 3. in epist. ad Galatas.

9. *Cui seruio in spiritu meo in Euangelio eius.*

Externa pietatis opera.

SEruitur Deo in spiritu, & adoratur Deus in spiritu (vtitur enim Apostolus verbo λατρέυω) per externa pietatis opera, vt hic

Paulus

Paulus fecit per externam Euangelij prædicationem. Ait enim : *Seruio Deo in spiritu meo in Euangelio eius* : id est, per prædicationem Euangelij eius, mihi concreditam. Sic illud Christi, *Deus adorari vult in spiritu & veritate*, intelligendum est etiam de operibus pietatis externis & cultu externo cum animi pietate interna cõiunctis, quibus Deo seruitur. Certè si Euangelium prædicando cultus Deo gratus & pretiosus Deo impenditur (quod hîc Caluinus ipse obseruauit) negari non debet, in omnibus operibus pietatis cultum Deo gratum impendi. Ioan. 4.

---

11. *Vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos.*

OBseruãt ad hæc verba Patres (quod & obseruari potest contra hæreticos, qui Petrum Romæ prædicasse contra omnem Antiquitatis consensum pertinaciter negant;) ideo Paulum de confirmandis Romanis loqui, quia antea per Petrum ad fidem conuersi fuerant. Sic commentarij in Paulum apud Hieronymum, qui Sedulij esse videntur : *Romanos ex Petri prædicatione fidem tenentes, confirmare se velle Paulus dicit : non quòd minus accepissent à Petro, sed vt duobus Apostolis attestantibus eorum corroboraretur fides.* Idẽ scribit Chrysostomus homil. 2. in hanc epistolam, & Theodoretus in cap. 16. ad Romanos. Petrum Romæ prædicasse.

16. Virtus Dei est ad salutem omni credenti.

IMpegerunt in hunc locũ horũ temporum hęretici, eúmque in hunc modum peruertunt; Euangelica prædicatio est instrumentum salutis efficax & operatorium, quatenus, quum prædicatur, annuntiat promissiones in verbo, &c. Hinc etiam inferunt, Sacramenta non aliter operari quàm verbum prædicatum, nec aliud illa esse quàm testificationem diuinæ voluntatis erga nos, sicut verbi prædicatio testificatur: ideóque Sacramenta esse testimoniũ visibile & oculatum, verbum autem esse testimonium auritum: & vtrumque idem valere fide apprehensum. Hinc etiam inferunt, Sacramentum nullum esse, cui verbi prædicatio adiuncta non sit: denique formam Sacramentorũ nostrorum nihil aliud esse quàm verbum institutionis recitatum: postremò, nullam esse aliam in Ecclesia remissionem peccatorum quàm per verbum promissionis prædicatum. Hæc illi omnia insanè asserunt propter hoc verbum Pauli, *Euangelium est virtus Dei ad salutem omni credẽti.* Sed verborũ Pauli sensus germanus ac genuinus hic est: *Euangeliũ*, id est, tota doctrina & prædicatio Euangelica, quã nos Christi Apostoli docemus, *omni credenti*, id est, iã credita, & ei qui credit, nõ est vana aliqua aut historica notitia, vel de qua debeam erubescere qu asi infamis aut noxia foret, *sed est*

Euangelicæ prædicationis virtus.

virtus

virtus Dei ad salutem, id est, doctrina potenter salutifera, à Deo reuelata, & ea complectẽs quæ ad æternam salutem faciunt. Sicuti *Lex est virtus peccati*, vt idem Apostolus loquitur, quia per occasionem prouocat ad peccandum eum qui sola lege audita gratiã Christi non accepit; sic Euangelium est *virtus Dei ad salutem omni credenti*, quia Deus excitat & adiuuat ad bene iustéque viuẽdũ eos qui Euangelio credunt: & per prædicationem Euangelicam Deus in cordibus credentium salutem potẽter operatur. Sic rursum alibi Apostolus loquitur: *Verbum crucis prædicamus ijs qui salui fiunt, Dei virtutẽ & Dei sapientiã.* Nẽpe quia *placuit Deo per stultitiam prædicationis*, id est, per prędicationem Crucis, quæ Gẽtibus stultitia est, *saluos facere credentes*. Sed sicut Lex ipsa non per sẽ operatur peccatũ, verũ hominũ malitia, quæ magis nititur in vetitum; sic Euangelium prædicatum per se non operatur salutem, quum sit, quatenus ex ore prædicantis auditum, medium tantùm externũ credendi, quatenus ipsa diuina veritas ipsius fidei obiectum, & id quod ad salutem credi debet, sed per fidem credentium diuino intus cooperante Spiritu est salutiferum & causa salutis. Denique Euangelium est *Dei virtus ad salutem*, quia per Euangelicam prædicationẽ, & cum ea extrinsecus sonante, Dei virtus intus in corde salutem operatur, vt *fides sit ex auditu* quidem *per verbum Christi* prædicatum,

1. Cor. 15.

1. Cor. 1.

Rom. 10.

Ephes. 2. *Dei tamen donum*, & ex Dei virtute, suorum ministerio cooperante. Et hunc sensum sequentia verba confirmant.

17. *Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem.*

GErmanus huius loci sensus ad disputationem Apostolicam rectè intelligendam plurimum confert. Est enim ratio & confirmatio superioris sententiæ, qua dixit Apostolus, *Euangelium esse virtutem Dei ad salutem omni credenti*. Hoc quippe ita se habere probat Apostolus, eo quòd in *Euangelio*, id est, in prædicatione Euangelica, ipsa & tota Dei iustitia, *qua videlicet homines iustos facit* (vt D. Augustinus de Spiritu & lit. cap. 9. & 11. Chrysostomus quoque & Theophylactus exponunt,) & à mundo condito iustos semper fecit; quæ ideo Dei dicitur, quia ex Deo & Dei dono, nō ex viribus humanis est; quæ etiam *ex fide in fidem fit*, id est, à fide incipit, & per fidem incremētum capit, & nunquam sine fide est, quia *iustus ex fide viuit*, vt Chrysostomus & alij Græci appositissimè exponunt, *reuelatur*, id est, omnibus perspicuè manifestatur & prædicatur; quum hactenus nec omnibus Gentibus sed solis Iudæis, nec apertè & copiosè sed obscurè & vmbraticè & parciùs, hæc gratiæ Dei & iustitiæ eius prædicatio & commendatio facta fuerit. Hoc autem subsumptum suum, *iustitiam Dei ex fide*

fide esse, quam Euangelium prædicat, vsque ad finẽ cap. 4. Apostolus prosequitur, docens omnes homines ex fide & gratia Dei iustificari, nõ ex operibus legalibus aut moralibus, siue ex doctrina legis siue ex naturæ lumine profectis. Vnde hæc verba exponens August. ait: *Hæc est iustitia Dei, quæ in Testamento veteri velata, in nouo reuelatur: quæ ideo iustitia Dei dicitur, quòd impertiendo eam Deus iustos facit: sicuti Domini est salus qua saluos facit.* Et hunc suum sensum ipse Apostolus infrà cap. 3. perspicuè ponit, vbi aliqua facta digressione (ex occasione propositionis quam mox subiungit *de reuelata ira Dei de cælo*) de generali omnium hominum statu sub peccato, ad principalem suam quam hîc ponit propositionem redit, dicens: *Nunc autem sine Lege iustitia Dei manifestata, est testificata à Lege & Prophetis. Iustitia autẽ Dei per fidẽ Iesu Christi, in omnes & super omnes qui credũt in eũ.* Docet quippe Apostolus (vt latiùs infrà ex Augustino ostendemus) iustitiam veram, quam Dei gratia per fidem in Christum in nobis operatur, nunc demum absque adminiculo legis veteris in Euangelica prædicatione omnibus manifestari: vt ita Euangelica doctrina ac prædicatio verè virtus Dei sit ad salutem omni credenti.

De Spir. & lit. cap. 11. Iustitia Dei quæ.

Videamus nunc quomodo hunc Apostoli perspicuum sensum totámque disputationem hæretici peruertunt. Theodorus Beza, Caluini sui, omniúmque Caluinistarũ, adeóque

que omnium ferè huius temporis hæreticorum ſententiã ſecutus,& huic loco preſsiùs ac prolixiùs inſiſtens quàm Caluinus, vt veram per Chriſtũ iuſtitiam in literis Euangelicis & Apoſtolicis maximéq; Paulinis reuelatam,& ab Eccleſia Chriſti Catholica iuxta omnium Patrum vnanimem cõſenſum creditã, penitusſubuertat, ab his Apoſtoli verbis impietatis ſuæ telam orditur. *Sic* (inquit) *diſponendus eſt ſtatus huius epiſtolæ, Nos à Deo per vnum Chriſtum ſeruari, ſi Euangelio crediderimus.* Hæc quidé eſt aliquo modo prima Apoſtoli propoſitio, qua dixit, *Euangelium eſt virtus ad ſalutem omni credenti,* quam explicare & probare incipit à cap. 5. vſque ad caput 9. in quibus de iuſtificatione noſtra per Chriſtum, alijſque redemptionis humanæ beneficijs, & eorum tum neceſsitate tum amplitudine pleniùs agit. *Huic propoſitioni* (ait Beza) *ſubtexitur illa, Nos ſola in Chriſtum fide iuſtificari.* Hîcverò fallit Lectorem & mentitur Beza: nõ ſolùm quia hæc toties decantata propoſitio, *Nos ſola in Chriſtum fide iuſtificari,* in Paulo nuſquam inuenitur; ſed etiam quia vera Pauli propoſitio, quæ priori ſubtexitur, longè alia eſt; hæc videlicet, cuius nunc verba tractamus: *Iuſtitia enim Dei in Euangelio reuelatur ex fide in fidem.* Hæc apud Paulum propoſitio priori ſubtexitur, vt hæc poſterior priorem probet, confirmet, illuſtret. Hinc enim oſtendere Apoſtolus vult quòd *Euangelium eſt virtus Dei ad ſalutem*

ad salutem omni credenti, id est, quòd doctrina Euangelica est potenter salutifera omnibus eam credentibus, vnde sequitur illa propositio quam Beza primam ponit, *Nos à Deo per vnum Christum seruari, si Euangelio (quod Christum nobis prædicat) crediderimus*, quia in hoc Euangelio, seu in hac Euãgelica prędicatione, tota illa iustitia Dei ex fide, qua nos iustificat, seu iustos facit Deus, reuelatur ac manifestè docetur. Hæc est vera epistolæ huius dispositio quoad partem dogmaticam quæ in cap. 11. terminatur, non illa quam Beza sibi finxit. Quam cur ita finxerit, ex sequẽtibus apparebit. *Hæc* (inquit) *diligenter considerata, manifestè indicant quid vocabulo iustitiæ Dei intelligatur: perfectio nimirum illa & summa integritas, qua quisquis donatus est, sistitur coram Deo* ἅγιος ἀμωμος καὶ ἀνέγκλητος, vt loquitur Paulus Colosſ. 1. cap. 22. id est, *sanctus, inculpatus, & qui nullius criminis possit postulari*. Vult secundam Pauli propositionem esse, *Nos sola in Christum fide iustificari*, vt appareat, iustitiam Dei in Euangelio reuelatam, quam Paulus secundo loco ponit, esse summam sanctitatis perfectionem in solo Christo residentem, sed nobis per fidem qua Christum apprehendimus, imputatam. Sic enim adhuc magis se explicat. *Ea igitur* (inquit) *à Paulo dicitur iustitia Dei, non modò quia gratuitum est Dei donum, idque per imputationem, aut quia hanc largiendo Deus se iustum, id est, fidelem ac veracem præstat, sed etiam*

Iustitia Dei iuxta Bezam.

etiam vt opponatur iustitiæ hominum, siue ex operibus, qua testatur Dauid nullum hominem iustificari: quũ ne pater quidem ipse credentium Abraham de ea iure posſit coram Deo gloriari, vt inquit Apostolus infrà cap. 4. Hæc Beza, fraudulenter & impiè totam Apostoli disputationem & mentem penitus corrumpens. De qua iustitia Dei Paulus hoc loco loquatur, iam ex alijs Pauli verbis & S. Augustino ostendimus. Est illa iustitia Dei, non qua Deus iustus est, sanctus, & inculpatus, multo minùs qua fidelẽ ac veracem se Deus præstat, quod ad iustitiæ mercedem pertinet, non ad ipsam in se iustitiæ donationem, aut operationem; sed quam Deus in nobis operatur, qua fit *vt peccatum in nobis non dominetur, vt non seruiamus vltrà peccato, sed iustitiæ & sanctitati*, vt infrà cap. 6. & seqq. Apostolus docebit. Hanc Dei iustitiã, quæ rectitudinem voluntatis & operum humanorum, Dei in nobis operante & adiuuante gratia, significat, Beza ad perfectissimam sanctitatem soli Deo & Christo propriam detorquet: vt, quia in nobis talis & tanta non reperitur iustitia, in Christo eam quærere, fidéque apprehendere (vt sic per fidem nobis imputetur) cogamur. Sed (vt in singulis Pauli locis infrà videbitur) nec talem sanctitatem & summam integritatem qualis in solo Christo reperta est, à nobis Paulus ad Colosſ. cap. 1. exigit; nec iustitia Dei hoc loco dicitur quæ iustitiæ hominum

Rom. 6.

Bezæ impostura.

1

2

vel ex

vel ex operibus opponitur, quatenus illi homines filij Dei sunt, & Spiritu Dei aguntur, & opera fidei operantur; nec aut imputationem aut apprehensionem (qualem cõmenti sunt hæretici) Apostolus Paulus vsquam docet; nec denique talis iustitia Dei in doctrina Euangelica homini necessaria reuelatur, multo minùs exhibetur, quod in verbo, *reuelari*, omnino contineri existimat Beza. Hæc (vt dixi) in singulis postea Pauli locis ostendentur, vbi & Dauidis verba, & quæ de Abraham hîc dicuntur, elucidabuntur.

Nunc tamen vno verbo ostendemus contra Bezam, iustitiam Dei hoc loco, non pro illa summa integritate soli Deo & Christo propria accipi. Paulus infrà cap. 3. quum dixisset, *Nunc sine lege iustitia Dei manifestata est*, vbi idem repetit quod hîc dixerat, reuelari in Euangelio (hoc est, *sine lege*) iustitiam Dei; vt de qua Dei iustitia loqueretur, perspicuè nos doceret, subiunxit: *Iustitia autem Dei per fidē Iesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt in eum.* Vbi appositè Augustinus: *Sicut ista fides Christi dicta est, non qua credit Christus; sic & illa iustitia Dei, non qua iustus est Deus. Vtrumque enim nostrum est: sed ideo Dei & Christi dicitur, quòd eius nobis largitate donatur.* Hæc ille. Iustitia igitur Dei quum sit iustitia per fidem Christi, id est, quam nos habemus beneficio fidei in Christum, siue quia credimus in Christum (hoc

Iustitiæ Dei iuxta Bezam refutatio.

De spir. & lit. cap. 9.

(hoc enim est, *per fidem Christi*) non illam summam integritatem Deo & Christo propriam significare potest, sed illam rectitudinem quam Deus beneficio fidei nobis largitur, significare debet. Summa enim illa integritas Deo & Christo propria in ipsis & ab ipsis est, non per fidem. Iustitia autem Dei de qua Paulus loquitur, illa est, quæ *per fidem Christi* habetur, idque ab omnibus qui credunt in Christum. Hoc enim est quod dixit, *in omnes & super omnes qui credunt in eum.* Nempe ait iustitiam Dei in omnes deriuari, omnibus impertiri qui credunt in Christum: quia videlicet fides in Christum principium omnis iustitiæ Dei est; & ab ea exordiri oportet, qui iustificari vult. Summa autem illa integritas in solo Deo & Christo est, alijs non impartitur. Sic quam iustitiam Dei Paulus intelligat, ipse Paulus satis ostendit. Quod adhuc in sequentibus manifestius fiet. Ad hanc Dei iustitiam Christus in Euangelio nos hortatur, dicens: *Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius.* Id sanè quærimus quod à nobis inueniri potest; & iubente Deo vt quæramus, inueniri debet. Summa illa integritas soli Deo & Christo propria à nobis inueniri non potest, ac proinde nec debet. Dei igitur *iustitia in Euangelio reuelata* non est illa summa integritas & perfectio quæ in Deo est, sed est illa huius vitæ iustitia quam Deus nobis largitur, quam in nobis suæ gratiæ adminiculo

Iustitia Dei in sensu Pauli ex ipso Paulo.

Matth. 6.

culo operatur, qua denique iusti sumus. *Qui enim facit iustitiam, iustus est.* 1. Ioan. 3. Denique ipse Caluinus iustitiam Dei, quam hoc loco nos quærere Christus iubet, ait esse *spiritualem vitæ nouitatem in nobis*: quam nõ esse summam integritatem, nemo fortiùs quàm Caluinus docuit. Docere igitur Bezã Caluinus potuit, *Iustitiam Dei in Euangelio reuelatam*, non illam esse summam in Deo integritatem, sed nouitatem illam spiritualem quam Deus facit in nobis. Neque verò hîc cauillari pro Beza quisquam poterit, Christi verba de iustitia regni Dei, non de iustitia Dei loqui, eo quòd affirmat Caluinus *Iustitiæ nomen hoc loco tam ad Deum quàm ad regnũ eius referri posse.* Hoc enim nihil aliud erit quàm Caluini oscitantiam prodere, quũ Græcus textus inspectus manifestè doceat, iustitiæ nomen hoc loco nõ nisi ad Deũ referri posse. Sic enim habet: Ζητειτε δε πρῶτον τὴν βασιλειαν τοῦ Θεοῦ, καὶ τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ: vbi pronomen αὐτοῦ, eius, cum Deo conuenit, cum regno Dei conuenire non potest. Sed verba hîc apud Paulum sequentia (*Reuelatur enim ira Dei de cælo, &c.*) manifestè docebunt de ea Dei iustitia Paulum loqui, non quæ in ipso Deo est siue iusto ac sancto, siue veraci ac fideli, sed quã nos implere debemus; & quæ illi iniustitiæ opponitur quam homines impij in hac vita perpetrant. Quare illa mox seorsim contra In Harmonia in Matth. cap. 6. indignissimas Bezæ corruptelas tractabimus.

mus. Sed hîc operæ precium est aduertere, Bezano sensui Caluinum ex aduerso repugnare. *Iustitiam* (inquit) *Dei in Euangelio reuelatam, non in gratuita modò peccatorum remissione sitam esse quidam putant, sed partim quoque in regenerationis gratia. Ego autē nos ideo in vitam restitui interpretor, quia nos sibi gratis reconciliat Deus: quod postea fusiùs tractabimus suo loco.* Hæc ille. Adeò in illa Christi sanctitate nobis imputata hanc Dei iustitiam non ponit, vt in sola gratuita reconciliatione eam constituat. Quod & nos postea contra Caluinum examinabimus suo loco.

In cap. 3. vers. 21. & 22.

17. *Ex fide in fidem.*

HOc in loco, de qua fide iustificante Apostolus in hac epistola disputat, inquirendū sibi & definiendum putauit Beza, vt futuris suis Paulinæ doctrinæ corruptelis certius fundamentum poneret. Nos igitur vt & impium fundamentum subuertamus, & quæ sit apud Apostolum fides iustificans, in ipso disputationis exordio explicemus, idem filum tenebimus. Sic scribit Beza: *Quid fides declaret apud Apostolum, necesse est semel explicemus, quoties quidem de fide quæritur qua iustificamur. Quidam fidem interpretantur obedientiā qua fit vt homines, sicut polliciti sunt Deo, ita etiā ipsius voluntatis præscripto viuant, sicut à Cicerone definitur, dictorum ac conuentorum cōstantia & veritas.* Sed hoc commētum vnde Beza acceperit,

Fides iustificans quid apud Apostolū significet.

rit, ipse viderit. Nemo opinor Christianus, nedum Theologus, fidē iustificantem in eo vnquā sensu accipiendam vel somniauerit. Bezæ autem refutatio planè ridicula est. *De hac* (inquit) *fide Paulū non loqui vel illud ostendit, quòd vbiq; fidei opponit opera.* Atqui nō ita Apostolus fidei opponit opera, quasi fides aduersetur operibus, aut qui fidē iustificatur, operibus quoque iustificari non debeat, aut vt iustitia fidei, iustitiam operum excludat, vt suis postea in Paulo locis ostendetur. Quare illa antithesis fidei & operum apud Paulum nihil facit contra illam iustificantis fidei acceptionē, quæ pro obedientia mandatorum Dei illam interpretatur. Sed eam, vt dixi, acceptionem nemo (quod sciam) tradidit. Tametsi enim fidem iustificantem non esse absque obedientia mandatorum, siue in re, siue in voto ac proposito, Catholici omnes affirmamus, tamē fidem ipsam pro tali obedientia accipi & intelligi nemo nostrū docet, quum sicut à charitate sic ab ipsa obedientia (quam facit præcipuè charitas) distinctam esse virtutem ipsam fidem vel ex Paulo dicerimus. Vide nunc tamen ex his paucis & futilibus verbis quantam & quàm vehementem conclusionem inferat Beza: *Itaque valeant Sophistæ cum qualitate sua inhærente vel infusa, quoties de iustitia Dei quæritur.* Et quantus, obsecro, quamque putidus sophista Beza, qui ex tam infirmo medio tam forti- 1. Cor. 13. Bezæ triumphus præpropērus.

ter concludit! Quia vno verbo dixerat, quòd Paulus fidei opponit opera, mox, quasi debellatum esset, triumphum canit, *Valeant Sophistæ*, &c. Sed non ita facilè qualitas inhærens vel infusa exploditur. Salua manet Apostoli doctrina, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis.* Rom. 5. Hæc est qualitas inhærens & infusa, qua iustificamur non secus quàm fide, vt vel ex ipso Paulo varijs postea in locis liquidò cõstabit. Sed pergamus cũ Beza: *Alij fidem definiunt assensionem qua credimus verum esse quicquid vtrumque Testamentum nobis credendum proponit. Addunt etiam nonnulli quicquid præcipit credendum Ecclesia.* Planè addendum hoc necessariò, quia Ecclesiæ suæ Præpositis Christus dixit, *Docete omnes gentes.* Matt. 28. Docentur autem ea quæ fidei sunt. Rursum: *Prædicate vniuersæ creaturæ. Qui non crediderit, condemnabitur.* Marc. 16. Deniq; *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* Luc. 10. Sed addit & conqueritur Beza: *Neque interim definiunt quæ sunt Ecclesiæ illius legitimæ notæ, sed sub specioso hoc nomine hominibus illudunt.* Satis iam superque à Catholicis scriptoribus definitũ ac tractatũ est quæ sunt Ecclesiæ legitimæ notæ, & quàm certò ac clarè ab omnibus hæreticorum conuenticulis discriminetur. Quod vt alij *vberrimè præstiterunt, ita nos pro modulo nostro præstare conati sumus in opere nostro de Principijs fidei, totis primis 4. libris. *Bellarm. Tom. 1. Controu. Gregor. a Valentia in Analysi: Bozius de notis Ecclesiæ: Lensæus de Ecclesia.

Quàm etiã (ait Beza) *docent satis esse*

tis esse si in genere credant homines quod credit Ecclesia, nec de singulis explicandis laborant. At Christiani contrà nullum aliud fidei obiectum agnoscunt quàm verbum Dei scriptum. Non Christiani, sed hæretici sunt qui hoc faciunt. Qui enim Ecclesiam Dei non audit siue docentẽ siue corripientẽ, debet nobis esse *sicut ethnicus & publicanus.* Ecclesiam autem verbo scripto alligari, nulla Scriptura docet. Imò *Spiritum veritatis* illi promisit Christus, qui eam *multa doceret*, quæ ipsemet ideo non docuit, *quia ea portare* discipuli eius *necdum poterant.* Ex quo Spiritu veritatis, non ex verbo scripto, prima Ecclesiæ Apostolicæ definitio sumpta est: *Visum est Spiritui S. & nobis.* Addit Beza: *Neque vllam aliam Ecclesiam quàm quæ vnius sponsi vocem audit.* Admittimus hoc libenter: sed pro Beza hoc nihil facit, aut contra nos. Catholica Ecclesia vocem vnius sponsi indesinenter audit & sequitur. Eam vocem hæretici non audiunt, sed in Scripturis loquentem nefariè corrumpunt (vt hic noster labor docebit) extra Scripturam loquentem, quasi verbo scripto sponsus alligaretur, audire recusant. *Neque fidem illam implicitam aliud esse putant quàm diabolicam ἀναισθησίαν, quia nemo rei incognitæ nisi fortasse per somnium assentitur.* Qui etiam hoc putant, si Christiani sunt, certè aut stupidi Christiani sunt, qui rem perspicuam non aduertunt; aut proterui, qui aduertere nolunt. Sed cæcus

Scriptura verbum non est solum fidei obiectum. Matt. 18.

Ioan. 14. & 15.

Act. 15.

Fides implicita defenditur.

Beza Caluinum cæcum hac in parte imitatus, pariter cum eo in foueam cecidit. Nam & ille fidem implicitam, quam docent Scholastici, *crassam & affectatam ignorantiam*, homo crassè ignarus affirmauit. At vtrique respondemus, fidem implicitam, quam docent Scholastici, in simplicioribus & idiotis Christianis etiã nunc habere locũ; neque diabolicam esse stupiditatem, vt à diabolo edoctus Beza diabolicè calumniatur, sed illam necessariam virtutem quam *simplicitatem fidei* Apostolus vocat, & de qua doctissimus Augustinus scribit: *Cæteram turbam non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas saluam facit*: neque affectatam vllam esse ignorantiam (quam omnes Scholastici docent non excusare omnino, vel à toto, vel à tanto) nec versari nunc in hac Euangelij luce circa ipsa mysteria Redemptoris Christi, eiusque in nos beneficia, quæ ab omnibus explicitè credi oportere docent, sed versari circa subtiles quasdam considerationes mysteriorũ Christi, aut quædam eorum antecedentia & consequentia quæ *salua fidei compage diuersè à diuersis intelligi & explicari possunt*, ait S. Augustinus, quæ Apostolus *sapientiam* vocat *quam inter perfectos loquimur*, & de qua idem August. dicit: *In Catholica Ecclesia ad sinceriſsimam sapientiæ cognitionem pauci spirituales in hac vita perueniunt*. Quæ ad hanc sapientiã & mysteriorũ fidei nostræ altiorẽ intelligentiam attinent,

Instit. lib. 3. c. 2. n. 2.

2. Cor. 1.

Contra epistol. fund. c. 4.

Con. Iul lib. 1.

1. Cor. 3.

Contra epistol. fund. c. 4.

tinēt, rudiores Christiani fide implicita credunt, & credendo tuti sunt ac demū propter fidei simplicitatem plurimum apud Deū merentur. An verò, vt Beza hîc garrit, *incognitæ rei nemo assentitur, nisi fortasse per somnium?* Quomodo ergo Apostolus dicit *fidem* Hebr. 11. *esse argumentum rerum non apparentium?* Quantum illa verba valeant, suo loco demonstrabimus. Porrò fidē non in certa & explicata cognitione (vt vult Caluinus) sed in sensus nostri submissione consistere (quod ille contra Scripturas negat) olim contra Caluinum ostendimus, cuius hîc vestigijs insistens Beza Apostolo contradicit, dilertè docenti, *captiuari intellectum in obsequium Christi.* De Iustific. cat. lib 8. cap. 24. 2. Cor. 10.

Atque hactenus quidem euagatus Beza, vt stomacho suo aliquid indulgeret, ad rem tandem redit, & de illa fide, qua credimus verum esse quicquid Deus credendum proponit, suam tandem sententiam profert: *Ac ne illam quidem propriè fidem esse dicunt, qua iustificati pacem habemus, quum diaboli eam etiam fidem habeant & contremiscant.* Rursum aio: Qui hoc dicunt, non Christiani, sed hæretici sunt, & quidem nouelli, nostra demū ætate exorti. Quid enim antiqua Ecclesia Christi, fidei iustificantis nomine, & de qua Paulus tam multa disputat, intellexerit, vnus Augustinus, totius antiquitatis interpres fidelissimus, docebit. *Quærendum est* (ait Augustinus) De Spir. & liter. cap. 31.

Fides iustificans apud Paulum quid.

quam fidem tanta conflictatione commendet Apostolus. Non enim quodlibet credere bonum est. Quod quum ostendisset, subiungit: *Nulli itaque dubium est, eam fidem ab Apostolo commendari, qua creditur Deo.* Quod adhuc latiùs atque operosiùs explicat, ne quomodolibet credere Deo, fides illa videatur, quam Apostolus iustificantem vocat. *Sed* (inquit) *adhuc est aliquid ad discernendum: quoniam & illi credunt qui sub lege sunt, & timore pœnæ iustitiam suam facere conantur. Et ideo non faciunt Dei iustitiam, quia charitas eam facit, qua non libet nisi quod licet. Sed non hanc fidem commendat Apostolus, qui dixit: Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba Pater. Timor ergo ille seruilis est. Et ideo quamuis in illo, Domino credatur, non tamen iustitia diligitur, sed damnatio timetur, filij verò clamant, Abba Pater. Cùm autem clamant, aliquid petunt. Et quid petunt, nisi iustitiam, quam esuriũt & sitiunt? Huc ergo transeunt qui sub lege sunt, vt ex seruis filij fiant: nec sic tamen vt serui esse desistant, sed vt tanquam filij Domino & Patri liberaliter seruiant.* Hæc August. Docet, fidemquã Apostolus commendat, illam esse qua credimus Deo cum dilectione filiali, non cum timore seruili. Et de hac fide postea concludit repetens & inculcans: *Hæc est fides ex qua iustus viuit. Hæc est fides qua creditur in eum qui iustificat impium. Hæc est fides per quam excluditur gloriatio. Hæc est fides qua impetratur largitas spiritus:*

Rom. 8.

Rom. 1.

Rom. 4.

Rom. 3.

de qua

de qua dicitur: Nos spiritu ex fide spẽ iustitiæ expecta- Gal. 5.
mus. Hæc est fides qua salui fiunt, quibus dictum Ephes. 2.
est, Gratia saluati estis per fidem, &c. Postremò,
hæc est fides quæ per dilectionem operatur, non per Gal. 5.
timorem. Hæc est plena & luculenta doctissimi Augustini explicatio, id ipsum ex proposito inquirentis & disputantis, quæ sit fides ab Apostolo commendata. Hanc fidem Dæmones non habent, vt stupidus Beza obiectat: non solùm quia charitatem nõ habent fidei adiunctam, vt iustificentur, sed etiam quia fidem ipsam, quæ Dei donum est, omnino non habent. Non enim quia reuelanti Deo voluntas obsequitur, sed quia euidentia rerum ipsis perspecta intellectus eorum conuincitur, credere & contremiscere dicuntur. Fides ergo iustificans apud Paulũ, & qua iustificati pacem habemus, quatenus quidem disponendo iustificat, ipsa per se fides est *qua credimus Deo*, captiuantes intellectum per voluntatis assensum in obsequium eius, id est, vt omnia simpliciter credamus quæ Deus credenda proponit: quatenus verò omnino ex impijs iustos, ex filijs iræ filios Dei facit, plenéque ac perfectè iustificat, nec est fides sola absque charitate Dei & proximi, nec fides quæ ex timore bonũ operatur, sed est fides quę per dilectionem operatur, vt ex Paulo August. definiuit.

Dæmonũ fides.

Fides iustificans iuxta Bezam.

Videamus nunc quam fidem Bezana perfidia in Paulo obseruauerit. *Fidem* (inquit) *de*

qua hic quæritur, esse definimus firmam illam & constantem animi persuasionem, qua certus est apud se vnusquisque fidelium non modò verum ac firmum esse in genere verbum Dei, ac præsertim promissiones Dei de gratuita per Christum reconciliatione, sed etiam istas (vt est à Spiritu S. edoctus) credit ad se propriè ac peculiariter pertinere: qua (inquam) vniuersalem illam promissionem vitæ æternæ per sanguinem Christi omnibus credentibus acquisitæ singuli amplectuntur ac sibi ipsis applicant. Hanc vnam fidem esse dicimus, quæ nos & Christi & omnium ipsius donorum, id est, omnis perfectionis, ac integritatis, summæq; illius iustitiæ faciat per gratuitã imputationẽ participes: vt verè ac in solidum per eum gratis iustificati pacem habeamus, facti hæredes Dei, ac Christi cohæredes. Deinde nos quoque per eiusdem Christi fide apprehensi Spiritum & peccato mortificati & iustitiæ viuificari dicimus, vt incipiamus velle ac facere quæ Dei sunt: & cum fide individuo nexu coniungimus fiduciam, spem, patientiã inuocationem, charitatem, ac bona opera, iustitiæ illius Dei non causas, sed effecta: quæ qui non habeat, falso ac frustra se causam illarum virtutum (id est, fidem) habere iactet. Hæc in summa est Apostolicæ doctrinæ summa, quæ Dei verbo scripto, non hominum opinione aut consuetudine nititur, & Deo totam salutis nostræ gloriam vendicat.

Fidei iustificantis iuxta Bezam refutatio.

Hæc hactenus Beza: cui breuiter respondemus: Hæc fides ab illo explicata, nullo Dei verbo nititur, nec ab Apostolo vel in hac

vel in

vel in alijs epistolis vsquam traditur, vt in singulis postea locis, quæ ab hæreticis eò torquentur, perspicuè demonstrabitur. Hæc fides toti veteri Ecclesiæ incognita est, & ab ea, quam doctissimus Augustinus iuxta manifesta Apostoli verba descripsit, toto cælo aberrat. Hæc fides à Lutheranorum placitis dissentit, vtpote quæ nec in obiecto, nec in subiecto, nec in actu fidei iustificantis cum illa concordat. Hæc enim Bezana descriptio ponit fidem *in ipsa animi persuasione*, quæ est actus intellectus: Lutherani volunt fidem esse voluntatis actum, applicantis sibi & apprehendentis promissiones gratuitas. Rursum huius fidei obiectum est quidem promissio gratuita, vt apud Lutheranos, sed tanquam in verbo reuelata, & Spiritu S. obsignata, non tanquam per organum fidei apprehensa & accepta. Denique huius fidei iustificantis subiectum iuxta Bezam intellectus est, quia describit eam vt virtutē intellectualem infallibiliter adhærentem promissioni factæ, & iustitiæ iam acceptæ, in eaque conquiescentem, atque ideo iustificantem. Lutherani volunt fidem esse instrumentum & organum quo accipitur iustitia repromissa, ideoque fidem iustificare non per se, sed correlatiuè, respiciendo illud quod apprehendit. Postremò, hæc fides nec est fiducia, vt veteres voluere Lutherani; nec mendica manus apprehendens iustitiam, quam apprehen-

Caluiniana fides à Lutherana diuersa.

prehensionē sequitur fiducia, vt posterioribus Lutheranis placuit; sed talis fides, quam primus Caluinus adinuenit ac definiuit Institut. suarum lib. 3. cap. 2. Quare quum Beza hîc dicit, *Fidem definimus*, &c. intelligere lector debet, Caluin⁹ & ego sic definimus: vel, Nos Caluini discipuli & sectatores ita definimus. Vel hoc ergo solo nomine impia & anathemate digna hæc definitio est, quia nec in verbo Dei fundata, nec ab Apostolo vsquā tradita, nec à veteribus Ecclesiæ magistris agnita, nec denique à primis istis & antiquioribus reformatoribus approbata, sed ab vno Caluino recentissimè cōtra omnes maiores suos adinuenta est. Porrò ad rem ipsam quod attinet, totam Bezanam descriptionē ex Caluini chartis desumptam, contra ipsum Caluinū olim accuratè refutauim⁹ in opere nostro de Iustificatione, quò breuitatis studio lectorem studiosum remittimus. Sed & totā illā vniuersaliū Dei promissionū in particulari applicationem, quam pariter cum Lutheranis comminiscitur hîc Beza, vanissima esse nouorum hominum commenta in nullis Scripturis fundata, sed multis Scripturis repugnantia, eodem in opere operosiùs demonstrauimus. Nuncid solùm attendat Lector, an specialis fides à Beza hîc descripta, aut gratuitæ iustitiæ imputatio, aut aliud quicquam ab eo hîc assertum, ab Apostolo Paulo vsquam describatur aut doceatur.

Lib. 1. cap. 24 & seqq.

Lib eodē cap 15.

ceatur. Quicquid eò trahit Beza, fauente Christo perspicuè refellemus. Sanè cum fide indiuiduo nexu non coniungi virtutes illas quas hîc Beza commemorat, easdem quoque iustitiæ Dei, qua nos iustos facit, nõ effecta, sed partes & causas esse, in eodẽ de Iustificatione opere nostro diligenter ostendimus. Nõ est hîc opus actũ agere: & nũc Paulum explicamus, ex quo an commentitiam suam fidem elicere Beza possit, dispiciemus. Lib. 8. cap. 32. & lib. 5. cap. 5. & seqq.

Interim tamen huius fidei Bezanæ absurditatẽ ex ipsa eius hoc loco descriptione paucis ostendemus. Fidem suam iustificantem in eo propriè ponit Beza, quòd qui hanc habet, is *vniuersales Dei promißiones de gratuita per Christum reconciliatione credit ad se propriè ac peculiariter pertinere, illáque sibi ipsi applicat*. Hoc spectrum Beza in qua Scriptura inuenit? Suprà dixerat: *Christiani nullum aliud fidei obiectum agnoscunt quàm verbum Dei scriptũ*. Quæro igitur quod verbum Dei scriptum peculiarem hanc fidem & applicationem docet? Quæ (inquã) Scriptura dicit, Ad te Beza, Ad te Caluine, propriè ac peculiariter pertinent vniuersales illæ promissiones Dei? Si nulla Scriptura hoc dicit, fidei obiectũ secũdùm vos esse non potest. Si fidei obiectũ esse non potest, cur tu hoc fidẽ esse definis? Quæ dementia, quæ insania hæc est, primùm fidẽ ad Scripturã alligare, moxque fidẽ in eo obiecto definire, quod nulla Scriptura docet; Vidit quodammodo ipse

Bezanæ fidei absurditas.

ipse Beza insanam hãc absurditatẽ, ideóque adiecit, quasi causam huius specialis fidei, *vt est à Spiritu S. edoctus.* Sed hoc eum nihil iuuat. Nã aut in Scriptura Spiritus S. hoc eum docuit, quod ostendi nõ potest, quũ de Beza aut Caluino Scriptura nusquã loquitur, & sic eõdem res recidit; aut extra Scripturam aliqua speciali reuelatione, inspiratione, suggestione, aut testificatione Spiritus Sanctus hoc eum docuit: & tunc falsum erit, *nullum esse aliud fidei obiectũ quàm verbũ Dei scriptũ.* Nunc enim isti hæretici pro fidei obiecto habent, promissiones salutis ad se propriè & peculiariter pertinere, quod in nullo verbo scripto inuenitur. Seipsam ergo manifestè perimit ac destruit hæc fides à Beza descripta. An Paulus de tali fide disputat, quæ nullum in Scripturis fundamentum habet? Sed si verum est, vt est verissimum, nullum esse aliud fidei obiectum quàm quod Deus reuelat, siue in verbo scripto, siue per os Ecclesiæ suæ, per quam audiri voluit, inuictè sequitur, quod Beza hoc loco fidei tribuit, diabolicam esse præsumptionem. Fides enim Bezana illud credit, quod nec Scriptura nec Ecclesia docet.

Specialis fidei Spiritus S. author non est.

Quòd si verò *à Spiritu Sancto* edoctum illum esse dicat Beza, qui habet in se peculiare testimonium Spiritus S. quòd filius Dei est; primùm aduertat, hoc peculiare testimonium non esse scriptum verbum: deinde attendat,

tendat, peculiares afflatus & enthusiasmos non constituere fidem iustificãtem, quæ vna & generalis omnibus credentibus esse debet. Quis autẽ dicet mihi esse necessariò credendum, quòd Beza habet testimoniũ Spiritus Sancti in se quòd ille sit filius Dei & de numero electorum; aut illi vicissim quòd ego illud habeam? Tum videat an hæc à Spiritu Sancto extra Scripturam petita fides non rectà tendat ad Suenckfeldianorum & Superilluminatorum, qui vocantur, insaniam. Postremò, quale hoc testimonium Spiritus S. in quolibet filio Dei sit, infrà suo loco dicemus, & ad charitatem, non ad fidem, illud pertinere ostendemus. Rom. 8.

Sed nunc ex alio capite Bezanæ fidei, ἀναισθησίαν explicemus. Ait *cũ hac fide, indiuiduo nexu coniungi charitatem ac bona opera, vt qui hæc non habeat, falsò ac frustra se iactet fidem habere.* Atqui hoc vnum fidem Bezanam iterũ subuertit. Si enim falsò ac frustra se iactat habere fidem qui nõ habet bona opera, siue illa sint causæ siue effecta iustitiæ, planè concidit illa fides quæ credit ad se propriè ac peculiariter pertinere promissiones Dei. Nunc enim nõ aliter illæ pertinebunt ad quempiam, nisi charitatem & bona opera habeat. Atqui hac de re nemo certus esse potest. Se (inquam) bonis operibus Deo placere, nemo certò scire potest. Vnde sequetur, fidem Bezanam aut rem esse incertam, quum fide nihil certius esse

Charitatis necessaria adiunctio specialem fidẽ subuertit.

esse debeat; aut cum bonis operibus indiuiduo nexu non esse coniunctam. Sanè Caluinus contra hanc Bezæ hypocrisin rotundè sic scribit & consequenter: *Si ex operibus æstimandum est qualiter affectus sit erga nos Dominus, id ne tenui quidē coniectura assequi nos posse fateor.* At-

Instituț. lib. 3. cap. 2. nu. 38.

Beza ex Caluino refutatur.

qui Beza hoc loco sic ex operibus æstimat qualiter erga nos affectus sit Dominus, id est, an fidem habeamus qua credimus Deum nobis esse in particulari propitium, *vt sine bonis operibus falsò ac frustra fidem nos habere iactemus.* Nullam ergo, iuxta Caluinū, fides eius certitudinem habet, imò ne *tenui quidem coniecturæ salutis* hæc eius fides nititur.

Deinde vbi mēs Bezæ erat, hæc quum scriberet? primùm, destruit hæc eius appendix solam fidem iustificantem. Non enim iustificat, imò ne fides quidem est (iuxta Bezæ verba) quæ bonis operibus caret. Secundò,

Bonorum operum necessitas concluditur.

probat necessaria ad salutem bona opera. Si enim ad salutem necessaria est fides, & fides nulla est quæ bonis operibus caret (falsò enim & frustra se iactat habere fidē qui bona opera non habet) manifestè sequitur quòd bona quoque opera sunt ad salutem necessaria. Tertiò, ostendit hæc appendix verā esse hanc synecdochen quam totiēs Beza cum

Fides iustificans cum charitate necessariò cōiuncta.

alijs hæreticis reprehendit, *Fides iustificat*, id est, fides charitate formata, seu fides per dilectionem operans, iustificat. Si enim falsò se iactat fidem iustificantem habere qui bo-

na opera

nâ opera non habet, vera & necessaria erit hæc propositio: Ille fidem iustificantẽ verè habet, qui bona opera fidei coniuncta habet. Ex ea porrò sequitur ista: Fides verè iustificans illa fides est quæ bene operatur. Nihil hîc moramur vtra magis iustificet, fides an charitas ei coniuncta; aut vtrius potiores sint partes ad hominem iustificandum, fidei, an charitatis, quæ in diuiduo nexu illi cõiungitur. Satis nobis est, fidem non iustificare nisi charitati coniunctam, nisi bonis operibus ornatam. Ita tandem per omnia circumactus Beza illam fidem ab Apostolo commendari fatetur, quam nos Catholici, iuxta Augustini doctrinam superiùs allegatam, agnoscimus: nempe fidem nec solam, nec ex timore operantẽ, sed ex charitate operantẽ, quę spem, patientiam, inuocationem, ac bona opera habeat. Atque ita fides Bezana seipsam iterum destruxit & peremit. Sed huiusmodi pugnantia hæretici sæpe loquũtur, dum ab vna parte suas hæreses tueri, ab altera parte absurda quæ ex illis sequuntur à se amoliri conantur. Hæretici cur pugnantia loquuntur.

Descripsit primùm Beza specialẽ fidem, solis promissionibus gratuitis incumbẽtem, iuxta propriam hæresin. Adiecit de indiuiduo nexu charitatis & bonorũ operum, ne nimis absurda, Epicurea, & carnalis, illa specialis fides videretur. Sic secum pugnantia dicere coactus est. Nunc ad alia.

17. *Iustus ex fide viuit.*

MVltum hîc locus ab horum temporum hæreticis exagitatus est, vt solam ex fide iustitiam seu solam iustificantem fidem (hæreticorum hodie Helenam) stabilirent. Eius quoque tractationem Caluinus prætermittere noluit. *Authoritate* (inquit) *Propheta Abacuc probat istam fidei iustitiam. Nam ille, vbi de superborum euersione vaticinatur, simul addit, iustorum vitam in fide consistere.* Abacuc de superborum & amatorum huius mundi subuersione in sequentibus quidē post hæc verba disputat, nouum sermonem auspicatus. Sed hæc apud Abacuc sententia præcedentibus verbis (quæ de Christo vaticinantur) manifestè adhæret. *Respondit mihi Dominus, & dixit: Scribe visum, & explana eum super tabulas, vt percurrat qui legerit eam. Quia adhuc visus procul, & apparebit in finem, & non mentietur. Si moram fecerit, expecta illum; quia veniens veniet, & non tardabit. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso. Iustus autem in fide sua viuet:* id est; Qui non crediderit in venturum Messiam, morte animę morietur. Quicūq; enim iustus est, ille in fide sua, & per fidē suā, beneficio fidei suæ viuet corā Deo, verè iustus corā Deo habebitur & erit. Hic apertus literæ propheticę sensus est. Nūc cū Caluino pergamus. *Nō viuimus autē,* inquit, *corā Deo nisi iustitia: sequitur ergo, iustitiā quoque nostrā in fide positā esse.* Sequitur sanè sic

Abac. 2.

nè sic in fide iustitiã nostrã positam esse, vt absq; ea nulla valeat iustitia. *Qui enim incredulus est* (ait Propheta) *non erit recta anima eius in semetipso*. Hoc quidem rectissimè sequitur. Nuncquid præterea velit Caluinus, attendamus. *Ac futurũ*, inquit *verbũ designat eius vitæ, de qua loquitur, solidam perpetuitatem: ac si dixisset non fore momentaneam, sed perpetuò constaturam. Nam impij falsa quoque vitæ opinione turgent: sed quum dicũt, Pax & securitas, repentinus adest interitus. Vmbra igitur est quæ nõ nisi ad momẽtum durat: fides autem sola est quæ vitæ perpetuitatem adfert. Vnde id, nisi quia nos ad Deum traducit, nostrámque in eo vitam collocat?* Attende hîc quàm malis artibus ex diuinis Scripturis impiè detortis sua placita stabilire Caluinus solet. Dixit Propheta iustum ex fide viuere, & quidem perpetuò viuere, verbo futuro vsus, *viuet*, in quo tam magnum momentum Caluinus ac Beza frustra ponunt. Sed hoc dixit, quia, nisi crediderit, non viuet, vt ex ipsis verbis iam ostendimus. Docet quoque hanc fidem, perpetuam esse debere, nec vnquam intercidere, ob quam causam Paulus in proximo mẽbro dixerat, *ex fide in fidẽ*, vt suprà explicatum est iuxta ipsius Bezæ mẽtem, quæ & eadem Caluini est. Sed quid? An propterea docet quod Caluinus callidè infarcit addítq; de suo, *Fides sola est quæ vitæ perpetuitatem adfert*? Hoc nec Propheta nec Paulus dixit. Hoc proprium Caluini fermentum est, de quo

Caluinĩ artes ad Script. depraũdas.

Fides ad iustitiam perpetuò necessaria.

mox plura. Quod autem subiungit, *fidem nos ad Deum traducere, nostrámque in Deo vitam collocare*, verum hoc sanè est, quatenus per fidem Deum cognoscimus, & dona gratiæ, quibus iustus viuit, à Deo impetramus. Alium sensum si coquit Caluinus, falsus & impius erit. Pergamus, & reliqua Caluini videamus. *Neque enim* (inquit) *congruenter citaret Paulus hoc testimoniũ, nisi hæc mẽs Prophetæ esset, tũc nos demum stare, vbi in Deum fide recumbimus.* Mens Prophetæ erat, fidei constantis & fortis necessitatem docere. *Si moram fecerit, expecta illum; quia veniens veniet, & non tardabit. Ecce, qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso.* Docet ergo Propheta cõstantẽ debere esse filiorum Israel fidem de venturo Messia mundi Saluatore: eam fidem esse adeò necessariam, vt absque ea non recta futura sit anima cuiusque in semetipso, id est, non bono loco erit: *Non placebit animæ meæ*, vertunt 70. & citat Paulus in persona Dei. *Iustus autem in fide sua viuet*; id est, sine fide non viuet, ex fide sua vitæ originem & progressum capiet. Denique, vt Caluini verbis loquamur, *tunc demum vbi in Deum fide recumbit*: quia nisi fide in Deum tendat, ei se totum committat, eius aduentum, redemptionem, & gratiam iustificantem fideliter expectet, venientémque suscipiat, iustus & saluus esse non potest. Hæc est Prophetæ mens. Videamus reliqua. *Et certè* (inquit) *vitam piorum fidei non ascripsit, nisi quate-*

quatenus damnata mundi superbia se ad vnius Dei præsidium colligunt. Non tractat quidem hanc causam ex professo; ideóque nullam gratuitæ iustitiæ mentionem facit: sed ex fidei natura satis constat rite hoc testimonium præsenti causæ aptari. Aduerte, Lector, Caluini artem, qua diuinas Scripturas obtorto collo in suam sententiam torquet. In omnibus his verbis, quòd *fides nostram in Deo vitam collocat*, quòd *fide in Deum recumbimus*, quòd *fides ad vnius Dei præsidium pios colligit*, gratuitam iustitiam nobis à Deo imputatam tacitè significat. Hunc sensum coquit, quem sui bene intelligunt, quod illi satis erat. Iam nihil simile à Propheta tractari (*ad cuius mentem hoc testimonium à Paulo citari* fatetur) & videt & agnoscit. Cur ergo ad hunc sensum Prophetæ verba contorques, Caluine? *Ex fidei* (inquit) *natura satis constat, rite hoc testimonium præsenti causæ aptari.* Ex fidei natura videl. sicut eam Caluinus accipit, intelligit, definit. Vide ergo hæreticorum hodie summam impietatem. Fabricant sibi quandam fidei naturam, qualem quia ex Scripturis ostendere non possunt, ex ea ipsa Scripturas exponunt, ad eius regulam Scripturas deflectũt, iuxta eius sensum Scripturas loqui volunt. Propheta à Paulo citatus debet loqui de iustitia gratuita per fidem imputata, tametsi *nec eam causam tractet, nec vllam eius mentionem faciat*, quia sic habet fidei natura à Caluino definita, vt sit diuinæ beneuolen-

Scripturas deprauãdi ars Caluiniana.

uolentiæ firma perſuaſio, quæ gratuitam iuſtitiam certiſsimè imputatam complectitur.

Nota. Sic omnes Scripturæ quæ de fide loquuntur, hanc gratuitam & imputatiuam iuſtitiam docere debẽt, quia naturam fidei nos Euangelici ſic hodie intelligimus. Sic Caluinus ex ſuis placitis, non ex diuino contextu, diuinæ Scripturæ veritatem fingit & format. Tenemus iam cur hæretici hodie ſolam Scripturam, reiecto Eccleſię ſenſu, fidei regulam eſſe velint.

Quæ adhuc ſequuntur, videamus. *Præterea (inquit) ex hac ratiocinatione neceſſariò colligimus mutuam fidei & Euangelij relationem. Quia enim dicitur iuſtus ex fide victurus, infert vitam iſtam per Euangelium percipi.* Hoc totũ verum eſt de fidei ad iuſtitiam neceſsitate, non de eius vnica & tota perfectione. Mutua eſt fidei & Euangelij relatio, quia fides per Euangeliũ annũciatur, & Euangeliũ in ſolis credentibus eſt virtus Dei ad ſaluté. Ita nec fides ſine Euãgelica prædicatione cõparatur (*Quomodo enim credent ei quem non audierunt?*) nec Euãgelica prædicatio potenter ſalutifera erit, aut virtus Dei ad ſaluté, niſi credẽti, & eius voci obediẽti. *Quomodo enim inuocabunt* nomen Domini, vt ſalui fiãt, *in quẽ non crediderunt?* Sic ipſa quoque vita & ſalus per Euangelium percipitur, quatenus ipſi Euangelio creditur. Quid ex iſtis concludit Caluinus? *Iam (inquit) habemus ſtatum ſeu cardinem principalem huius primæ partis epiſto-*

Fidei & Euangelij mutua relatio.

Rom. 10.

Status præſ. epiſt. à Caluino conflctus.

epistolæ, *Sola Dei misericordia per fidē nos iustificari. Nondum quidem hoc expressum habemus Pauli verbis, sed ex contextu pòst facilè patebit, iustitiam quæ in fide est fundata, totam Dei misericordiæ inniti.* Hęc hoc loco tota Caluini deprauatio est. Videmus nunc scopum ad quem hactenus collineauit. Statum & cardinē principalem partis dogmaticę huius epistolæ vult esse, *Sola Dei misericordia per fidem nos iustificari.* Non dicit, vt cæteri omnes nouatores dicunt, ip- Caluini astutiā.
séque postea fortiter sustinet, *sola fide iustificari*, sed, *sola Dei misericordia per fidem iustificari*: quod quidem aliquo sensu verissimum est, quatenus sola Dei misericordia & bonitas est causa principalis efficiens omnis iustificationis nostræ, & quatenus fides est vnum inter cætera Dei donum, quo à Deo donati & imbuti iustificamur coram ipso. Et hoc totum in reliquo Pauli contextu pòst facilè patebit, *iustitiam in fide fundari*, veluti prima eius & maximè necessaria radice; & sic fundatam *totā Dei misericordiæ inniti*, quia cætera Dei dona fidei superaddita (vt ipsa inprimis *charitas diffusa in cordibus nostris*, per quā cuiús- Rom. 5.
que beneficio *fides operatur iustitiā*, vt radix sit Gal. 5.
frugifera ac salutifera, non sterilis & ad salutem prorsus inualida) non nisi Dei misericordiæ innituntur, cuius solius & pręuenienti gratia, & cooperante ac perseuerante gratuita gratia, in nobis conseruantur, augentur, perficiuntur. Hoc totum reliquæ huius no-

bilisimæ epistolæ contextus docebit, & hic veluti cardo principalis est dogmaticæ partis eiusdem: non autem (quod hîc insinuat tametsi apertè non proferat Caluinus, protulit autem Beza, vt nuper accepimus) sola fide hominem iustificari, quæ, secluſa omni operum iustitia ad salutem necessaria, gratuitam Christi iustitiam per imputationem accipit, hoc est, imputari sibi quantumcumque impio stultissimè & impiè præsumit. Nihil tale propheticum à Paulo citatum testimonium docuit.

Sed nunc quum hæc Prophetæ verba, *Iustus ex fide viuit*, sæpius ab Apostolo vsurpentur, eorum genuinum ac germanum sensum iuxta D. Augustini sani & sancti Doctoris explicationem proferemus. Triplex est verus & genuinus horum verborum sensus, prout tribus in locis hæc verba ab Apostolo vsurpantur. Primus sensus, & huic loco proprius, hic est: Sine fide in Mediatorem iustus non viuit, quia iustitia Dei ex fide est, nõ ex operibus absque fide; sicut alimentum hominis ex pane est, non ex potu absque pane. Sic potest dici, homo ex pane viuit, quia sine pane nõ viuit. Rursum dicit alia Scriptura: *Omni custodia serua cor tuũ, quia ex ipso vita procedit.* Ex similitudine vitæ naturalis hoc desumptum est. Sed quid? Sine capite, sine hepate, sine pulmone, sine sanguine, viuet homo, quia ex corde vita procedit? Atqui vt cor quia prin-

Triplex sensus.

1.

Iustus ex fide viuit quia non sine fide.

Prou. 4.

principium vitæ est, & vltimum moritur, ex eo dicitur vita procedere: sic quia fides principium iustitiæ est, quæ prima ad iustitiam habetur, & vltima deperditur, ex fide dicitur iustus viuere. Sic exponit August. *Nostra fides, id est, Catholica fides, iustos ab iniustis non lege operũ, sed ipsa lege fidei discernit, quia iustus ex fide viuit: per quam discretionẽ fit, vt homo ducens vitam sine crimine, cum suis tamẽ velut laudabilibus moribus, si in Deum rectam fidem & Catholicam non teneat, ex hac vita damnandus abscedat; alius, habens quidẽ opera bona ex fide recta, non tamen vt ille bene moratus, saluandus emigret, propter rectam fidem quæ illi est in Deum, ex qua viuit.* Hæc ille. Eundem sensum docet in lib. de perfectione iustitiæ, & de serm. Domini in monte lib. 1. cap. 9. Alius sensus est quo apud Paulũ accipitur ad Gal. 3. *Quoniam in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est quia iustus ex fide viuit*: id est, ex gratia quam fides implorat, vel quæ nisi credentibus non datur. *Lex enim* (ait Augustinus) *non sperat in Deum, non petit iustitiam à Deo, etc. sed qui fecerit ea, viuet in illis.* Vnde alibi: *Dicimus lege fieri, vt Deus, cùm fieri velit, audiatur; gratia verò fieri, vt legi obediatur.* Tertius sensus est ex Propheta Abacuc, sicut Apostolus accipit ad Hebr. 10. *Adhuc aliquantulum qui venturus est veniet, & non tardabit: Iustus autem meus ex fide viuit*: id est, non ex præsentibus bonis, sed ex fide futurorum bonorum. Vnde paulò pòst: *Fides autem est sperandarum*

Contr. 2. epist. Pelag lib. 3. cap. 5.

2. Iustus ex fide quia ex gratia.

Serm. 15. de verbis Apost. Contra 2. epist. Pelag. lib. 3. cap. 4.

3. Iustus ex fide futurorum bonorum viuit.

Hebr. 11.

darum substantia rerum, &c. Fides enim hominis iam iustificati habet pro obiecto res speratas, & respicit Deum vt remuneratorem in futuro, & vt adiutorem in præsenti. Vnde Augusᵗ. *Fides ex qua iustus viuit, est qua postulat sapientiam à Deo, & postulat in fide nihil hæsitans.* Et paulò pòst: *Iustus ex fide viuens sperat vtique vitam æternam.* Rursum alio in loco: *Iustus ex fide viuit, quæ bonum, quod non videt, credendo quærit. Neque enim esset iustitia fidei, si non esset absconditum, quod prædicatum crederemus,* ait idem alibi Augustinus. Sic Christus docuit dicens: *Spiritus S. arguet mũdũ de iustitia, quia vado ad Patrem,* &c. id est, (ait Augusᵗ. ibidem) *Hæc erit iustitia vestra, vt credatis in eum quem non videtis.* In hoc ergo triplici sensu apud Paulum Iustus ex fide viuit.

De spir. & lit. c. 32.

De ciuit. Dei lib. 19 cap 4.

Enarr. in Psal. 109.

Ioan. 16.

18. *Reuelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem & iniustitiam hominum.*

HAc propositione confirmare Apostolus vult, quòd iustitia Dei in Euangelio reuelatur. Quum enim iustitia Dei, qua Deus credentes in eum iustos facit, omnem iniustitiam & impietatem à credentibus longissimè propellere ac remouere debeat: idem Euangelium, quod iustitiam & sanctitatem à credentibus requirit, docet erga impios & iniustos Deum suam iram ostendere, eósque iustissimis pœnis à Deo subijci. Agnoscit ipse Beza Apostolũ hoc loco istud dicere velle.

Quasi

Quasi (inquit) *hoc quoque retegatur per Euangelium. Nam proculdubio nihil æquè arguit mundum de peccato, atque lux Euangelij.* Sed quum hinc manifestè sequatur, *iustitiam Dei in Euangelio reuelatam*, non summam illam esse Dei integritatem, sed illam quam Deus nobis largitur iustitiam, & totius vitæ nouitatem, huic *iniustitiæ & impietati hominum* contrariam; statim id quod concessit, ipsáque veritas ei extorsit, nouis suis appendicibus & correctionibus penitus subuertit Beza. Subiũgit enim verbis præcedentibus: *Sed hoc tamen est secundum quid. Nimirum quia irritatus Satan furit cum suis; quum alioquin arguere peccata, potiùs ad legis quàm ad Euangelij ministerium pertineat.* Quod ait Beza irritatum Satanam furere cum suis, & ex hac parte iram Dei in Euangelio patefieri, exponit postea hunc sensum habere, quòd homines instigante Satana præcipites in peccata ruunt. Sic enim paulò pòst scribit: *Cedo vnde ira ista Dei colligitur? Ex eo quòd homines laxatis habenis in omne scelus feruntur: quod liquidò apparebit, si quis ad præscriptum legis tum naturalis, tum Moysaicæ, vitam ipsorum exigat.* Vult ergo in Euangelio iram Dei contra omnem iniustitiam reuelari quidem & patefieri, sed non ab ipso Euangelio, ad cuius ministerium non pertinet arguere peccata, verùm ab euentu, *quia Satan furit cum suis*, & homines legem violant tam naturalẽ, quàm in decalogo apud Moysem traditam. Quis non

Sensus Apostolici corruptio.

non videt quàm insanum hoc paradoxum est, & à filo disputationis Paulinæ alienissimum? Primùm enim, quæ hæc consequentia est: Ira Dei in Euangelio reuelatur, quia Satan furit, & homines in scelera præcipites ruũt? An nõ in lege naturæ, sub lege Moysaica, & passim toto orbe quũ sine Deo in hoc mundo homines vixerunt, Satan furit perpetuò cum suis, hominésque laxatis habenis in omne scelus feruntur? An propterea ira Dei reuelatur de cælo, aut iræ diuinæ de cælo apud tales homines vllus sensus est, aut vlla signa patefacta, sicut in Euangelio? Aut si apud eos quoq; omnes ira Dei de cælo reuelatur, quomodo hoc in Euãgelio fieri, quasi quiddam Euangelio proprium, aut certè in Euangelio valde illustre ac singulare, Apostolus commemorat?

Euangelium arguit peccata.

Deinde quàm absurdè & impiè dicitur, *ad Euangelij ministerium non pertinere vt arguat peccata*! Quid hoc monstri est? Christus Dominus Euangelij præco ac minister primarius non fuit? *Ad euangelizandum pauperibus à Deo Patre missus non erat*? Ille verò peccata non arguebat? Omitto Scribas, Pharisæos, reliquósque Iudæos, quorum hypocrisim, incredulitatem, variámque iniustitiam acerrimè & frequenter taxauit. Nónne in genere contra omnes impios iram Dei de cælo denuntiat? An non ira Dei de cælo est, *Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores*?

Luc. 4.

Matt. 22.

ves? quod illi dictum est, qui in nuptijs Filij Dei discubuit, non habens vestem nuptialem, charitatem scilicet, & illam Dei iustitiam quæ in Euangelio reuelatur, lexque Euangelica inprimis postulat. An non ira Dei de cælo est, *Seruum inutilem proijcite in tenebras exteriores?* quod ei dictum est, qui donis gratiæ, fide, charitate, scientia, ad suum & aliorum profectũ vsus non est, sed *Dei gratiam in vacuum accepit*, nec *operatus est iustitiam in corde suo*, faciens opera bona, *quæ præparauit Deus vt ambulemus in illis*. An non ira Dei de cælo est, *Tradidit eum tortoribus, donec redderet vniuersum debitum?* quod ei dictum est, qui legem charitatis fraternæ post acceptam peccatorum remissionem violare ausus est. An non ira Dei de cælo est, *Amen dico vobis, nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cænam meam?* quod de illis dictum est, qui partim ambitione, partim auaritia, partim carnis cura præpediti, doctrinæ Euangelicæ institutum non amplectuntur. Qua ergo fronte affirmat Beza ad Euangelij ministerium non pertinere vt arguat peccata? An non omnes Christi conciones ad pietatem hortantur, à peccato deterrent? Sed nihil est hæreticorum paradoxis absurdius, dum specialem suam fidem contra omnes Scripturas stabilire modis omnibus contendunt. Probat ergo Apostolus iustitiam Dei in Euangelio reuelari, quia ira Dei de cælo contra omnem

Matt. 25. 2. Cor. 6. Psal. 14. Ephes. 2. Matt. 18. Luc. 14.

omnem iniustitiam in eodem reuelatur.

Consequentia autem quam Paulo Beza affingit, prorsus aliena & absurdissima est. Aduertit hoc ipse Beza, &, vt rei absurditatem manifestam aliquo modo vel excusaret vel tolleret, proponit ipsemet hanc difficultatem, vt eam postea dissoluat. Sic enim post præcedentia prosequitur: *Sed quorsum hoc? Assumeret enim Paulus hoc ipsum quod est in quæstione positum, nempe sitne Euangelium potentia Dei ad salutem: id est, an per Euangelium Deus exerat virtutem suam seruandis hominibus.* Atqui probauit hoc Paulus, quia *Iustitia Dei in eo reuelatur ex fide in fidem.* Reuelata enim hæc Dei iustitia ex fide, & credentibus impertita, *potentia Dei est ad salutem*, id est, valet ad saluandos credentes. Id autem quod assumpsit, videlicet *iustitiam Dei in Euangelio reuelari*, ex eo probauit Paulus, quia *ira Dei de cælo contra omnem iniustitiã* in eodem Euangelio *reuelatur.* Verè igitur Paulus assumpsit & probauit id quod est in quęstione positum, sed in proxima antecedenti propositione, non in priori illa quam Beza hîc ponit. Ait tamen Beza: *Hoc probaturus Paulus* (nempe Euangelium esse potentiam Dei ad salutem) *dixit, fidem (cuius mutua est relatio cum Euãgelij prædicatione) adferre nobis eam iustitiam quæ coram Deo nos approbet, ac proinde iter ad salutem ostendere.* Fallitur hîc egregiè & fallit lectorem Beza Non enim Paulus, vt probaret Euangelium esse potentiam

Disput. Apostolicæ connexio.

tiam Dei ad salutem, dixit fidē adferre nobis eam iustitiā quę corā Deo nos approbet, etc. sed vt probaret quod dixerat, *Euangelium potentiā Dei esse ad salutem*, dixit *reuelari in Euāgelio Dei iustitiam ex fide in fidem*. Hoc Paulus dixit, nō id quod fingit Beza. Hęc verba Pauli sunt, non ea quę cōmentus est Beza. Nec dicit nec docet Paulus *fidem adferre iustitiā*, sed dicit ac docet *iustitiā Dei ex fide in Euāgelio reuelari*. Docet quid in Euangelio reuelatur, nō quid adfert iustitiam. Docet ipsam *iustitiam Dei ex fide in Euangelio reuelari*, non quòd hæc iustitia Dei sit ex fide, tanquam ex vnica & sola perfecta causa, vt nunc rem accipit Beza, eo quòd videlicet iustitiā Dei, id est, summam illam integritatē quę in solo Deo est (sic enim iustitiam Dei hoc loco exposuit Beza) nos per fidem apprehendimus, vt nobis imputetur; (hic enim est Bezæ sensus latens) sed quòd hæc iustitia Dei, videl. quā in nobis Deus facit, vt suprà ostēdimus, sit ex fide in Deum, tanquā ex vna partiali & radicali causa, quia omnis vera iustitia à fide incipit. *Iustitia Dei ex fide* apud Paulum nihil aliud est quàm iustitia fidei quam Deus nobis largitur, quam opponit iustitiæ humanæ seu operum humanorum, quam sine Dei adiutorio & gratia Christi superbi homines, siue ex doctrina legis vt Iudæi, siue ex naturæ lumine ac viribus vt Gentiles, sibi venditant. Quod illa Pauli verba manifestissimē ostendunt: *Vt inue-*

Iustitia Dei ex fide.

Philip. 3. *inueniar in Christo non habens meam iustitiam quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est iustitia in fide.* Iustitiam Dei ex fide manifestè exponit esse iustitiam fidei ex Deo: id est, ex dono Dei, vt suo loco plenius exponetur. Falsum ergo inprimis hoc est, docuisse antea Paulum *quòd fides adsert salutem*, quasi illa *vnicum* esset *salutis consequendæ instrumentum*, vt postea Beza affirmat. Sic enim ex falso & fallaci fundamento statim superextruit: *Nunc superest vt hoc probet Apostolus, nos videlicet nullo alio instrumento quàm fide hanc iustitiam consequi.* Ponamus cum Beza Apostolum hoc probare velle. Attendamus quomodo iuxta Bezæ figmentum hoc probet. *Probatur autem hoc ex hac diuisione ἀμέσῳ. Aut per fidem aliena iustitia nobis imputata iusti sumus coram Deo, aut nostra iustitia, id est, legis diuinæ obseruatione.* Primùm, vbi est apud Paulum hæc diuisio? Sanè nusquam. Si autem apud Paulum non est, quomodo ex ea Paulus aliquid probat? Deinde, quomodo est hæc diuisio ἀμεσος, id est, plena & perfecta, & in qua aliud medium inueniri nequeat? Nónne enim iusti esse possumus, & reuera sumus, iustitia quadam nec aliena per fidem imputata, nec nostra simpliciter, & qualicunque legis obseruatione, sed iustitia fidei quæ & nostra est, quia à Deo nobis donatur; & legis obseruationem indiuiduo nexu coniunctam (vt Beza fassus est) habet, non ex nostris viribus, aut legis doctri-

Apostoli intentũ Beza peruertit.

doctrina, sed ex Christi gratia, *in quo creati sumus in operibus bonis*, id est, ad opera bona facienda? Nihil ergo nisi mentitur & fallit hactenus Beza. Videamus tamen quid ex diuisione proposita inferat. Subsumit: *Atqui tota vita hominum clamat, Deum in homines è cælo iram suam effudisse.* Sit ita. Concludit: *Non sunt igitur iusti homines in sese.* Hæc cõclusio quidem de hominibus extra Christum, & necdum Christi gratia iustificatis, est vera: sed antecedentes eius propositiones, ex quibus infertur, à Paulo hocloco nõ ponuntur. Deinde ex hac tota argumentatione, eiúsque conclusione, quid probatur, quid concluditur, vt illa propositio probetur, *Nos nullo alio instrumento quàm fide iustitiam consequi?* Quomodo sequitur: Non sunt homines iusti in sese: ergo nullo alio instrumento quàm fide iustitiam consequimur? An non sicut fidem Deus nobis largitur, qua iustitiam consequamur; sic & alias virtutes largiri potest, quibus eandem adipiscamur? Imò nónne propterea *charitatem diffudit in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum qui datus est nobis*, vt qui iniusti & impij eramus, faciendo opera iustitiæ iusti essemus? *Qui enim facit iustitiam, iustus est; & beatus in facto suo erit.* Non sunt homines in sese iusti, sed per Dei gratiam, eiúsque varia dona, non per solam fidem, iusti fiunt. Habemus ergo incredibilem Bezę impudentiam, & manifestam Paulinæ disputationis in ipso suo ex-

Ephes. 2.

Fides sola instrumẽtum iustitiæ consequendæ non est.

Rom. 5.

1. Ioan. 3. Iac. 2.

Bezana flagitia.

ordio corruptelam. Mentitur Paulum probare velle, *Nos nullo alio instrumento quàm fide iustitiam consequi*. Argumentationem fingit
1. qua Paulus hoc probet, cuius nullum vesti-
2. gium in Pauli contextu apparet. Conclusio-
3. nem format quæ ad rei propositæ probatio-
4. nem nihil confert. Et tamen concludit homo impudens: *Hoc est filum Paulinæ disputationis*.

5. Postremò (quia aliò lectorem abduxit Beza) quid hæc omnia ad hæc Pauli verba, *Reuelatur enim ira Dei de cælo*, &c. Hæc enim verba iam tractat Beza, & horum cum præcedentibus consequentiam ostendere voluit. Sed quia agnoscere noluit in Euãgelio iram Dei de cælo reuelari, peccata & impietatem ab Euangelio argui, Paulinam disputationem aliò deflexit, eiúsque filum & cursum penitus perturbauit. Quod vt accommodatiùs faceret, verba huius loci iterum corrumpit. Quũ enim Paulus dicat, *reuelari in Euangelio iram Dei de cælo super homines impios & iniustos*, bonus Beza vult Paulum dicere hanc iram Dei reuelari super omnes & singulos homines. *In primis* (inquit) *notandum est, hæc ita accipienda non esse, quasi aliqui sint homines qui non sint impij nec iniusti, quos Apostolus hic non arguit: sed ita potiùs, vt sciamus omnes atque adeò singulos homines ab Apostolo vtriusque sceleris coargui*. Sed Pauli verbis manifestam vim facit. Non enim ait Paulus, Reuelatur ira Dei

6. Alia verborum Pauli corruptio.

de cælo

de cælo ſuper omnem hominem: ſed ſic ait: *Reuelatur ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum eorum qui veritatem in iniuſtitia detinent*: vbi non ſolùm de omnibus hominibus non loquitur, ſed de ſolis impijs & iniuſtis, verùm etiam de quibuſdam tantùm iniuſtis & impijs loquitur, nempe Gentium Philoſophis & ſapientibus, qui *veritatem in iniuſtitia detinuerunt*: id eſt, veritatem quam Deo reuelante cognouerũt (vnde ſubiungit, *Quia quod notum eſt Dei*, id eſt, quod de Deo cognoſci potuit; *manifeſtum eſt in illis*, id eſt, illos non latuit; *Deus enim illis manifeſtauit*, ſeu notum fecit) aut loquendi libertate compreſſa texerunt, aut geſtorum iniquitate negauerunt. Beza tamen contra apertiſsima Apoſtoli verba, quod de certa impiorum ſpecie duntaxat dictum eſt, ad omnes planè homines trahi & torqueri vult.

At cur ita obſecro? *Id enim* (inquit) *ita intelligendũ eſſe apparet ex eo quòd inſtituta eſt diſputatio non modò aduerſus omnes in genere, ſed ſigillatim aduerſus ſingulos homines, vt in vno Chriſto ſalutem quærant. Quod etiam docet ipſa Apoſtoli concluſio, quæ vniuerſaliter exprimitur his verbis*: *Ex operibus legis nõ iuſtificabitur omnis caro coram illo.* Cap. 3. 20.

Verum quidem eſt, Apoſtolum in ſequentibus id docere, quòd Deus *concluſit omnia ſub peccato, & quòd omnes egent gloria Dei*: ſed ex illa concluſione aut diſputatione Apoſtoli non ſequitur Apoſtolum hoc loco aut in hac ſenten- Bezæ excuſatio refellitur.

sententia idem docere, quum disertè hîc non de omnibus, sed de solis impijs, adeóque de certo impiorum genere loquatur. Multò minùs sequitur (quod Paulum hoc loco docere Beza vult, & cuius rei gratia sic hunc locum sibi deprauandum existimauit) *nullos esse homines qui non sunt impij aut iniusti.* Omnes enim certè homines in peccato inuenit Christus, vt in eo salutem omnes quærant, sed non omnes in peccatis suis relinquit Christus qui in eo salutem quærunt. Alioqui malus medicus esset, veniens sanare peccatores, & *saluũ facere quod perierat*, si adhuc in suis peccatis omnes manerent. Sed insanus & impius Beza cum alijs horum temporum hæreticis, quia peccati seruitus illis placet, & sola apprehẽdente fide saluari volunt, omnes planè homines ac singulos, etiam in Christo regeneratos, adhuc impios & iniustos esse definiunt, & ad hanc detestabilem sententiam Paulinę disputationis verba contorquent. Tenendus igitur diligenter verborum Pauli, qualem iam dedimus, verus & germanus sensus, ne hæreticorum corruptelis seducti, impijs eorum hæresibus fundamenta iaci, aut aditum aperiri sinamus.

Christus omnes in peccato inuenit, sed non relinquit.

Luc. 5. & 19.

24. *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.*

LOcus contra hæreticos, Caluinum maximè, qui ex his & alijs similibus S. Scripturæ verbis, Deum docet peccatorum nostrorum authorem & causam actiuam atque operatricem esse. Instit. lib. 1. cap. 18. n. 2. Sed Deum non aliter tradere quàm deserendo, aliæ Scripturæ manifestè docent, vt mox dicemus. Deus igitur tradit homines sua iam propria voluntate malos in desideria sua, quia permittit eos sequi desideria cordis sui: non suppeditando illis maiora illa auxilia gratiæ, sed propter peccata præcedẽtia ea iustè subtrahendo, sibi ipsis eos relinquit. Hac de causa Paulus alio in loco de ijsdem dicit: *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis in auaritiam:* ἐν πλεονεξίᾳ: id est, vt libidini suæ certatim ac plenissimè satisfacerent. Docet propria sua mala voluntate homines seipsos tradere in omnem immunditiam, vt sic necessariò intelligamus, quod hîc dicit, *Deum tradere in passiones ignominiæ*, nõ aliter accipiendum esse, quàm quòd Dei prouidentia & iustitia permisit vt ipsi seipsos traderẽt, iuxta id quod idem Paulus in alia concione dixit, *Dimisit omnes gẽtes ingredi vias suas:* quod & alia Scriptura apertiùs dicit, *Et dimisi eos secundùm desideria cordis ipsorũ; ibunt in adinuentionibus suis.*

Deus nõ est author peccati.

Ephes. 4.

Act. 14.

Psal. 80.

S. Augusti. doctrina defenditur.

Abutuntur hæretici quibusdam Augustini disputationibus ex eius contra Iulianum lib. 5. cap. 3. & lib. de gratia & lib. arbitrio c. 20. Sed disertè in eisdem locis docet August. Deum peccatum in homine nec operari, nec velle, nec simpliciter decernere, nec ad illud vllo modo excitare, sed solùm in quibusdam peccatoribus sua iudicia potenter exercere, & hominum iam malorum volũtates ad sua iusta iudicia ordinare: nempe vel ad ipsos peccantes castigandos per augmenta peccatorum, vt hîc apud Paulum; vel alios, qui hoc meruerunt, per huiusmodi peccata flagellando. Quæ omnia latiùs disputata, & loca Augustini difficillima accuratè explicata, vide in opere nostro de Iustificat. lib. 11. cap. 12. & seqq. Quo etiam in libro tota Caluini infernalis doctrina, qua Deum peccati authorem perspicuè facit, aperitur & refutatur.

Verborũ Pauli sensus germanus.

Porrò si Pauli disputationem oculatiùs inspiciamus, hæc verba (*Deus tradidit illos in reprobum sensum*) nihil aliud velle intelligemus, quàm si sic dixisset, Deus illos perdidit; sicut solemus dicere, Perdidit illum argentum suum; vel, Perdiditillum ingenium suum; quia videlicet argẽto & ingenio suo ad suam perniciem abusus est. Sic enim Paulus ait: *Sicut non probauerunt Deum habere in notitia*, id est, non dignati sunt agnoscere Deum quem cognouerunt, nec colere Deum quem colendum esse sciebant, sed, vt superiùs dixerat,

rat, *veritatem Dei in iniustitia detinuerunt*, id est, veritatem de vno & vero Deo, quam tenebant, loquendi libertate compressa texerunt & dissimulauerunt, & sic notitia sua impiè admodum abusi fuerunt (de quo vide Ciceronis & Senecæ verba apud August. de ciuit. Dei lib. 6. cap. 10.) *Deus tradidit illos in reprobum sensum*, id est, abusus ille notitiæ de Deo causa fuit cur traderentur & iustè dimitterentur sequi sensum reprobum, & creaturas pro creatore innumeras (vt hîc Paulus commemorat) stultissimè colerent. Quod enim Cicero de Dijs poëticis, qui saltem homines fuerant, scripsit; *Hæc & dicuntur & creduntur stultissimè, & plena sunt vanitatis, summæque leuitatis*; hoc multò magis verum est de Dijs Ægyptiacis, & Babylonicis volucribus, quadrupedibus, & serpentibus. De natura Deorum lib. 2.

Sed hîc Bezæ in hunc locum tergiuersatio aperienda est. Caluini magistri sui vestigijs omnino vult insistere, eleganti tamen aliquo verborum fuco suam & magistri sui turpitudinem obtegere & cerussare conatur. *Tradit* (inquit) *Deus vt iustus iudex*. Verum hoc est, quia nemo sic traditur nisi ob pœnam præcedentium peccatorum, ex iusto Dei iudicio. *Cedo verò* (ait Beza) *an qui facinorosum tradit carnifici, inuitus tradit an volens?* Sanè volens, quia & Deus volens permittit, non inuitus. *An carnificum arbitrio ita exponit, vt pœnæ genus certis finibus non circumscribat?* Et hoc quoque Bezæ subterfugia occluduntur.

Diabolus Dei carnifex est in ratione pœnæ, nõ culpæ.

in Deo verum est, quatenus à Diabolo malo pœnæ vexandos vel iustos suos Deus tradit, ad maiorem ipsorum coronam, sicut S. Iob & alios innumeros, vel etiam homines impios propter demerita flagellandos dimittit. Non enim plus Diabolo permittitur, quàm diuinæ iustitiæ & voluntatis ratio postulat. Sed quoad malum culpæ, nulli fines à Deo præscribuntur, verùm vnusquisque à Diabolo, non ex Dei præscripto, sed ex propriæ voluntatis libidine superatur. Pergit Beza: *Cuius denique vi & authoritate agit carnifex? an non iudicis?* Hîc Beza cum suo Caluino, in ratione reprobi sensus & pessimorum desideriorum quibus impij traduntur, plus tribuit Deo quàm Diabolo. Ait enim carnificem, qui Diabolus est, non sua vi & authoritate, sed Dei, agere. Authoritas hac in parte nulla est, nec Dei, nec Diaboli. Non Dei, qui in traditione malorum simplici vtitur voluntate permittente, non vlla authoritate, seu cogente, seu ex aliqua necessitate determinante: non Diaboli, quia quomodocũq; impios ad malum prouocat, ex sua id malitia innata facit, non ex authoritate aut potestate illi à Deo data. Vis autem quam in Deo iudice Beza ponit, actiuam in Deo respectu peccati operationem constituit, vt cum suo Caluino authorem malorum Deum doceat.

Beza in ratione culpæ priores partes tribuit Deo.

Addit tamen, vt hoc à se detestabile crimen

men remoueat, & dicit: *Neque tamen, quum hæc dico, carnificis opus cum iudicis imperio cõfundo.* Dicit nebulo se hoc non facere, facit tamen. Vim enim & operationem Diaboli, *qui operatur in filijs diffidentiæ*, tribuit disertè iudici Deo. *Vi* (inquit) *iudicis agit carnifex.* Hoc est, vi & potentia Dei agit Diabolus. Bezæ excusatio refellitur.

Hac honesta metaphora, quum suum venenum porrexit, Catholicam sententiam persequitur. *Quorsum igitur* (inquit) *nonnulli, vt veluti laboranti iustitiæ Dei subueniant, otiosam in Deo permissionẽ imaginantur?* Nempe mauult cum Caluino Beza operosam & actiuam in Deo mali operationem ponere, quàm otiosam permissionem. Sed qui permissionem malorum culpæ in Deo ponunt, non illam otiosam ponunt. Deus enim volens, sciens, & prudẽs peccata permittit, & impios à Diabolo in varia desideria trahi & pertrahi finit, non otiosè, vt quasi oscitanti aut nescienti aut negligenti Deo ista exciderint. Permissionem autem in Deo, nõ actionem aliquam, respectu peccati, cur Catholici & orthodoxi statuant, Beza agnoscit & dicit: *Nempe ne Deus videatur malorum author.* Omnino. Hac de causa nullam in Deo peccati operationem, sed solam vel permissionem, vel ad altiores fines ordinationem in Deo agnoscimus. Quid ad hæc Beza? *Id verò absit vt cuiquam bono vel in mentem veniat.* Ergo impius Caluinus, qui disertis verbis scripsit, non solùm Permissio malorum in Deo non est otiosa.

Instit. lib. 2. c 4. n. 3. quòd *Deus per ministrum suum Satanam consilia impiorum destinat quò visum est, sed etiam voluntates eorum ad malum excitat, & conatus firmat.* Impius quoque & Beza, qui Diabolum in prouocando impios ad malum, *vi & authoritate iudicis Dei agere* profitetur. Sed infernales isti hæretici claris verbis suam impietatem profiteri nolunt. Satis habent vt à suis intelligantur. Sibi consulunt, ne perspicuè à nobis refellantur.

Caluin. & Beza suã impietatẽ profiteri non audent.

Sed pergamus cũ Beza, qui seipsum adhuc magis aperiet. *Cauẽdũ est* (inquit) *etiã atque etiã, ne hac præposterа modestia* (de permissione peccati in Deo, & ne malorũ author videatur) *in summam arrogantiã desinat.* Ecce, negare Deum esse authorem malorum, præposterа modestia Bezæ videtur. Ergo pro sua libertate non verebitur ille dicere, Authorem malorum esse Deum. Sed cur cauendum est ne hæc necessaria modestia (nisi Deum Diabolo parem facere velimus) in summam arrogantiam desinat? *Quum enim* (inquit Beza) *Scriptura non vereatur vbique Deo dare, quòd impios excæcet, induret, seducat, tradat in reprobum sensum; præstat certè hæc fateri, & Deo gratias agere quòd nos respexerit, quàm vel pro reprobis litigare, vel nullam in Deo iustitiam agnoscere cuius causa non possit à nobis intelligi: denique modestiæ cuiusdã prætextu magis ac magis friuolas distinctiones comminisci. Hæc igitur curiosis finamus.* Hæc est videlicet Bezæ religio. Indignissima de Deo cogi-

cogitare ac dicere fas erit, si aliquid vel obscuriùs vel figuratè Scriptura loquatur; nec modestiæ ratio habenda est, vt Dei honorem tueamur; sed quicquid litera scripti verbi in cortice habet, hoc totum rotundè & simpliciter fateri oportet: vt iam authore Beza, non manus tantùm & pedes, oculos & aures, vniuersáque corporis membra Deo propriè tribuamus, sed etiam iram, dolorem, pœnitentiam, omnesque affectus humanos, quantúcunq; indignos & imperfectos, in Deo esse ingenuè fateamur, quia sic Scriptura loquitur. *Præstat* (inquit) *hæc fateri, quã pro reprobis litigare.* Quasi verò qui Deum authorem malorum non esse fortiter sustinent, pro reprobis litigent, ac non potiùs pro Dei honore, eiusque maiestatis purissima bonitate pugnent. Impius Beza reproborum, nõ Dei causam agi existimat, quando causam peccati in ipsis reprobis & authore Diabolo, non in Deo, ponendam contendimus. Sed quis magis reproborũ & Diaboli causam agit, quàm impius Caluinus & Beza, qui originem peccati non in reproborum & Diaboli malitia, sed in ipsius Dei tum decreto tum voluntate & operatione actiua ponunt, quia sic Scripturæ prima facie loquuntur? Tandem neganda quidem non est in Deo iustitia cuius causa nos latet, qui sua specialia dona multis negat & subtrahit occulto sed iusto iudicio suo: sed vt Deus malorum author dicatur, aut

Scripturæ literã cõmodè exponi Beza non patitur.

aut ea propriè facere existimetur, quæ Scriptura eum facere primo aspectu ait, non occulta esset Dei iustitia, sed manifesta turpitudo, Dei bonitati intrinsecæ sic aduersa, vt tam Deum negare quàm hoc de Deo asserere liceat: quod pulchre ostendit D. Basilius in homilia de hoc argumento. Ita Beza quam impietatem claris verbis asserere non audet, eandem tamen obliquè fouere & tueri non erubescit.

Argumentum Capitis II.

INGREDITVR Apostolus communem accusationem Gentilium, qui iudicabant Iudæos legem suam non seruantes. Deinde & Iudæos de lege non seruata arguit: concludens neque ex lege scripta, nec ex lege naturæ, quempiam iustificari posse sine fide in Christum. Interim veram iustitiam operum à Deo mercedem accipere, & veros factores legis à Deo iustificari, disertissimè docet.

2. *Scimus quoniam iudicium Dei est secundùm veritatem in eos qui talia agunt.*

ANte omnia docere Apostolus vult, veram bonorum operum iustitiam à Deo flagitari, quia omnem iniustitiam iusto iudicio punit. Interim valet hic locus contra imputatiuam hæreticorũ hodie iustitiam, qua

quà docent, hominibus in ſtatu peccati, & perpetuò peccantibus, idque ex rei veritate mortaliter peccantibus (quia inter veniale & mortale reſpectu iudicij diuini nullum diſcrimen ponendum eſſe affirmat Caluinus) imputari Chriſti iuſtitiam per fidem; & peccatores haberi iuſtos coram Deo. Deſtruitur quoque ex his verbis eorum imputatiua peccatorum remiſsio quam ponunt, docentes manere in baptizatis concupiſcentiam vt peccatum, ſed non imputari. *Iudicium enim Dei ſecundùm veritatem in eos qui malè agunt*, nec habet pro iuſtis qui peccatores ſunt, nec peccatum quod manet ſuſtuliſſe dici poteſt. Imputatiua iuſtitia

4. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?*

DOcet hic locus cooperationem liberi arbitrij cum gratia, quam ſemper negat Caluinus. Paulus enim docet, Gratiam & auxilium conuerſionis multis ſufficienter offerri quos efficaciter non conuertit, qui ipſi per duritiam cordis ſui gratiæ ſufficiēti, & quæ efficax fieri poterat, liberè reſiſtunt, vt de Iudæis Stephanus dixit, *Vos ſemper Spiritui Sancto reſtitiſtis*: & ad eoſdem Chriſtus, *Quoties volui congregare vos ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alis ſuis, & noluiſtis!* Iſti ſecundùm duritiam ſuam & impœnitens cor theſaurizabant Liberi arbitrij cū gratia Dei cooperatio. Act. 7. Matt. 23.

zabant sibi iram Dei, quæ postea erupit, euersa per Romanos Hierosolyma. Istos benignitas Dei, το χρηστον τυ θευ (quæ infrà cap. 11. *seueritati* Dei opponitur, ideóque gratiam & misericordiam significat) ad pœnitentiam adduxit: id est, ideo data est vt adduceret, nisi illi per duritiam suam restitissent. Isti denique grauissimè peccarunt, hac Dei benignitate abutentes. Atqui nullum fuisset abusus diuinæ gratiæ peccatum, si vel voluntariè & liberè gratiam Dei non repulissent; vel talem gratiam non repulissent, cum qua de facto cõuerti potuissent. Alioqui si etiam illam gratiam accipiendo, seu eius ductum sequendo, eique consentiendo, non fuissent conuersi, mansissent in peccato absque sua culpa; saltem absque hac magna duritia & impœnitentia qua tantam Dei iram thesaurizabant. Nunc autem sua maxima culpa manserunt in peccato. Restiterunt ergo libera electione tali gratiæ, quæ eos ad pœnitentiã adducere poterat, siue quæ ad conuersionem illorum fuit ex se & per se sufficiens. Vide Origenem lib. 3. de principijs, capite 1. & August. serm. 88. de tempore, & Ludouicum Molinam de concordia liberi arbitrij cum gratiæ donis, quæst. 14. art. 13. disp. 12. & quæst. 23. art. 4. & 5. disputatione 1. num. 9. & disputatione 3.

6. *Reddet vnicuique secundùm opera eius.*

PErspicuè hîc Apostolus docet, ex illo recto Dei iudicio esse apud eũ certam mercedem operum tam bonorũ quàm malorum (quam in solis malis hæretici agnoscunt) vt ex his verbis disputat S. August. epist. 47. de gratia & lib. arbit. cap. 8. alijsque multis in locis. Vide opus nostrum de Iustificatione lib. 10. cap. 3. & 5. & Promptuarium Catholicũ in Domin. Septuagesimæ, ad illa verba: *Voca operarios, & redde illis mercedem suam.* Merita bonorum operum. Matt. 20.

Theodorum Bezam hæc verba turbarũt. Acriter igitur contra bonorum operũ mercedem disputat, quam disertissimè hoc loco Paulus affirmat. Hominis dementiã aperire operæprecium est. *Ego* (inquit) *contrà colligo, quod disertè aiunt Dauid & noster Apostolus infrà cap. 3. vers. 20. Ergo ex operibus suis nullus hominum iustificabitur.* Sed in illis verbis nihil contra bonorum operum iustitiam doceri, eodẽ loco infrà ostendetur. Addit: *Equis enim adferet hæc opera, quibus vitam æternam persolui dicit Apostolus? An homines non regenerati? Atqui reuelatur ira Dei aduersus omnes homines, quia omnes peccauerunt.* Nugator dementissimus id quærit, de quo nemo Christianus vel per somnium cogitauerit. Addit: *An filij Dei? At ne Abraham quidem habet de quo glorietur coram Deo, vt infrà cap. 4. vers. 2. ostendimus.* Respondeo, In annot. in hunc locum.

deo, hoc Bezam ostendere non posse, vt infrà docebitur, eodem in loco. Concludit: *Ergo vnus Christus hæc adferet, factus nobis nimirum iustitia & iustificatio, quem quidem sola fide apprehendimus.* Hæc ille. Sed hoc spectrum Bezanum suis in locis refutatum dabimus. Christus factus est nobis iustitia & sanctificatio, quia per Spiritum gratiæ suæ nobis impartitum vtriusque causa efficiens est.

Bezæ cōmētarius textum Pauli penitus immutat.

Deinde si solus Christus illa opera adferet, quibus vitā æternā persolui hîc dicit Apostolus, non debuisset dicere, *Reddet vnicuique secundùm opera sua*; sed, Reddet vnicuique *secundùm opera Christi.*

Sed putat Beza se omnem operum bonorum retributionem, quam disertissimè Apostolus hîc affirmat, euertere posse, quia dicit alibi Apostolus, *Quis enim dedit illi prior, & retribuetur ei?* infrà cap. 11. Sed ipsemet Beza optimè nouit hæc Pauli verba de alia retributione loqui, quàm de qua hîc Paulus loquitur. Ait enim eo in loco Beza, *obseruandū esse hunc locum aduersus eos qui fidei vel operum præuisionem faciunt electionis causam.* Rectè sanè. Sed hoc in loco Paulus Deum retribuere vnicuique secundùm opera sua dicit quoad præmium & mercedem vitæ æternæ, non quoad electionem & vocationem primam. Prima Dei ab æterno electio & in tempore vocatio, sic prior est omni opere humano, & sic præuenit omnes in benedictione, vt

Alius Pauli locus à Beza corruptus.

hac in

hac in parte nemo sit illa prior vt retribuatur ei; id est, vt electionem suam vel vocationē primam per modum retributionis accipiat. Cæterūm electis & vocatis, & *vocationem atque electionem suam per bona opera certam facientibus* (vt Petrus loquitur) fit retributio gloriæ secundūm opera cuiusque, sicut iaceipientibus in vacuum gratiam Dei fit retributio pœnæ iuxta opera cuiusque. Ita vtraque Pauli verba vera sunt, quia etsi in speciem contraria, de diuersa retributione loquuntur. Sed hæc est hæreticorum hodie impudentissima pertinacia; Scripturis diuinis ipsorum dogmati apertissimè repugnantibus, iudicium suum submittere nolunt; verùm, alijs Scripturis perperam intellectis, ipsas inter sese Scripturas committere contendunt. 1. Petr. 4.

Hæretici Scripturas cōmittūt.

Sed sensum Catholicū verba in Paulo sequentia euidentissimè confirmant. Nam post sententiam generalem, hac distributione vtitur: *Iis quidem qui secundùm patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternā*, supple tribuet: *ijs autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autē iniquitati, ira & indignatio*, supple tribuetur. Boni quippe operis mercedem Deo remuneratori tribuit: mali operis supplicīū iustitiæ diuinæ maluit tribuere quàm Deo punienti. Sed ad hæc quid Beza? Primùm cauillatur, de *illis in quibus fides operatur*

Bezæ cauillum impudẽtissimũ.

tur Apostolum hoc non loqui. Et quare? *Quia* (inquit) *de illis nondum disseruit.* Sed hoc est vna impudentia aliam astruere. An enim *boni operis patientia* esse potest in alio quàm in quo fides operatur?

Sed esto. Demus hoc impudẽtiæ Bezanæ. De quibus ergo loquetur Paulus? Ait: *Superest ergo vt eos alloquatur Apostolus qui Christo nondum per fidem sunt insiti. Isti verò quæ bona opera proferent?* Planè nulla quæ ad vitam æternam conferunt, de quibus Paulus loquitur. Quid ergo? Si nec de illis in quibus fides operatur, Paulus loquitur; nec de illis qui fide carent, hoc loqui potuit; de quibus tandem aut quomodo hæc verba Paulum dixisse putabimus? Hoc absurdum Beza perspexit; sed quomodo saluat, videamus. Ait: *At enim si tales nulli sunt, quales hîc describit Paulus, cur hoc profert? An vt vanam aliquam ideam proponat? Minimè verò, sed vt hac proposita conditione salutis, omni ex parte quoad hominis vires ac facultates ἀδυνάτῳ impossibili, omnes sua ipsorum iustitia spoliatos ad eum adducat, à quo vno per solam fidem apprehenso, gratis iustificentur: vt ipse disertè concludit infrà cap. 3. vers. 20. 21. &c.* Quid potuit dementius dici? Paulus docet retributionem bonorum operum, quia nulla talia sunt; & vt omnes doceat hoc impossibile illis esse, vt bene per fidem operentur. Eadem responsio omnes Christi conciones Euangelicas de varijs pietatis præceptis subuer-

Dementissima textus Paulini depravatio.

tet

tet; & quicquid rectè fieri iussit, ideo iussisse censendus est, quia quum à nobis præstari nequeant, ab illo pro nobis præstanda dimittamus. Præcepta sanè bonorum operum ad Christum nos adducunt, vt quod solis naturæ viribus præstare non possumus, per eius imploratam gratiam præstemus: sed ideo dari præcepta, quia nulla ratione præstari possunt, quid nisi ridiculum planéque dementem eum esse probet qui præcipit? Deus autē qui præcipit rectè facienda, ideo haud dubiè præcipit, vt fiant; sed fides docet quomodo fiant. *Ideo iubet lex* (ait S. Augustinus) *vt admoneat quid faciat fides: id est, vt cui iubetur, si nondum potest, sciat quid petat: si autē continuò potest, & obedienter facit, debet etiam scire quo donante possit.* Hæc ille. Quòd autem ait Beza suam sententiam ab Apostolo concludi infrà cap. 3. vers. 20. &c. peregregiè illū mentiri eodem loco ostendemus.

Præcepta legis quo modo ad Christum adducūt.

De Spiritu & lit. cap. 13.

13. *Non enim auditores legis iustificabuntur apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.*

DOcet hîc Apostolus non quidem quòd sola legis mandatorum obseruatio iustificat ante fidem vel absque fide (quo sensu cap. 4. negat Abrahā ex operibus legis iustificatum esse coram Deo) sed quòd per fidem iam iustificati, vel certè per fidē Deo in lege iubenti credentes, (tales enim sunt *auditores legis* de quibus hîc loquitur Paulus, qui audientes

Opera iustificãt.

dientes credũt, & *in lege peccauerũt*, quia, quod crediderunt, opere nõ præstiterũt) per opera & obseruationem legis aut magis iustificantur, aut completam iustitiam consequuntur, quæ per fidem nisi inchoata fuerat. Priorem sensum sequitur S. Augustinus in lib. de Spiritu & lit. cap. 26. Posterior sensus literæ Apostolicæ magis inhærere videtur, & placet Chrysostomo alijsque Græcis. Planè enim docere Paulus vult, Iudæos, quum essent auditores legis, & omnia crederent quæ lex diceret, non propterea saluari & iustificari, eo quòd legem non seruauerunt. Moxque hac in parte Gentiles Iudæis præponit, qui absque lege scripta, per solã legẽ naturæ magistrã, ea quæ lex etiã scripta iubet (quandoquidem quicquid decalogus præcipit, excepto solo Sabbati præcepto, lex etiã naturæ docet) opere præstabant. Quare obiter hîc interponit, quòd factores legis iustificabũtur coram Deo: nõ vt doceat Gentes seruantes legẽ sine fide iustificari, sed vt doceat Iudæos audientes legẽ & credentes, sine obseruatione legis nõ iustificari. Quæ Apostoli disputatio iustificationẽ ex operibus legis in fide factis manifestẽ probat. Sed illam luculentius S. Iacobus explicauit, vt eo in loco dicetur.

In comment. in hunc locum.

Dicit tamen in hunc locũ Caluinus: *Qui hoc loco abutuntur ad erigendã operũ iustificationẽ, etiam puerorum cachinnis sunt dignissimi.* Solent causidici impudentes & effrontes, quũ malam

lam causam bonis rationibus tueri non possunt, aut quum luculento aduersarij argumento premi se vident, ipsum argumentum cachinnis excipere, aduersario stupore obijcere, contra hominis cæcitatẽ & ignorantiã plenis buccis declamitare. Sed apud prudentem iudicem adeò hoc causidici impudentis causam non promouet, vt eam vel maximè lædat. Certum enim habet in probatione nebulonem deficere, quando ad cõuitia & maledicta eum conuerti videt. Idem de Caluino quilibet æquus lector censebit. Luculentissima sunt Apostoli verba. Operum iustificationem ita docent, vt non solùm *factores legis iustificari* affirment, verùm etiam *auditores legis apud Deum iustificari* negent; vbi nõ solùm operum iustitiam Apostolus ponit, sed & solius fidei iustitiam tollit. Solius quippe fidei iustitia est, audire legem & credere, sed eam nõ facere, nec ad eã faciendam astringi, vt ipse Caluinus alibi definit. Nunc hoc totum argumentũ, & qui eo vtuntur, *puerorũ cachinnis dignissimos*, impudenti vsus audacia, proclamat Caluinus. Atqui & Augustinus, & Chrysostomus, & omnes veteres tã Latini quàm Græci, in suis ad hunc locum commentarijs, operum iustificationem ex hoc loco collegerunt. Hos omnes quasi in forum productos puerorum cachinnis explodendos exponit Caluinus. Nec Apostoli verba per se clara & luculenta, nec disputatio eius

Caluini impudentia.

Instit. lib. 3. cap. 11.

perſpicua, (qua Iudæos coram Deo non iuſtificari oſtendit, quia legem, quam vera dicere credebant, opere non complebant) nec veterum Patrum conſenſus aliud amplius apud Caluinum poſſunt, quàm *res puerorum cachimis digniſsima.*

Audiamus tamen tantæ impudentiæ cauſam ſi quã adfert, & quo fuco illam palliare contendit. *Hoc tantùm* (inquit) *valet præſens ſententia. Si ex lege iuſtitia quæritur, impleri legem oportere: quia in operum perfectione poſita eſt legis iuſtitia.* Et paulò pòſt: *Vrget apud Iudæos Apoſtolus legis iudiciũ, quòd nõ poſſunt per legẽ iuſtificari, niſi legem impleant; ſi tranſgrediantur, paratam mox illis maledictionem.* Dupliciter hîc lectorẽ fallit impoſtor Caluinus. Non agit hîc Apoſtolus de *legis iudicio*, nec de iuſtificatione per legem; ſed de *iudicio Dei*, & de iuſtificatione coram Deo. De iudicio Dei vide quoties in hoc capite loquatur. *Iudicium Dei eſt ſecundum veritatem in eos qui talia agunt.* Rurſum: *Exiſtimas, ô homo, quòd effugies iudicium Dei?* Adhuc iterum: *In die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei.* Et adhuc ſemel: *In die quum iudicabit Deus occulta hominum.* Agit ergo Apoſtolus de iudicio Dei, non de iudicio legis. Quanquam enim ſemel dixit, *Qui in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur*, hoc tamen quoque ad Dei iudicium referendum eſt. *Per legem enim iudicari*, eſt Dei iudiciũ ex legis præſcripto, quã Deus tulit, ſubire. Docet ergo Apoſtolus toto hoc

Impoſtura Caluini duplex.

Verſ. 2.

Verſ. 3.

Verſ. 5.

Verſ. 16.

Verſ. 12.

to hoc capite, omnes qui impiè agũt, & legẽ non seruant, seu scriptam in cordibus, seu scriptam in tabulis, à Deo grauiter iudicandos, *cuius iudicium secundùm veritatem est, sine acceptione personarũ, qui reddet vnicuique secundùm opera sua: quia tribulatio & angustia super omnem* Rom. 2. *animam hominis operantis malũ, & thesaurizant impij iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei.* Docet similiter Apostolus toto hoc capite, non iustificationem ex lege, vt ait Caluinus, sed iustificationem coram Deo, quam hîc ostendit sine bonis operibus nullam esse, sicuti in sequentibus docebit sine fide in Christum nullã quoque esse. Agit de iudicio Dei circa seruantes legem, non secus quàm de eodem circa transgressores legis. Propterea nõ solùm impios & malè agentes à salute excludit propter iudicium Dei contra tales, sed etiã legem seruantes saluari & coronari docet ex eodem iudicio Dei erga tales. Quare quum dixisset, *Qui reddet vnicuique secundùm opera sua,* (quod haud dubiè ad Dei iudicium pertinet,) subiungit non solùm de impiorum tribulatione & angustia, sed (priori etiam loco) de bonorum operum retributione æterna: *ijs* (inquit) *qui secundùm patientiam seu perseuerantiam boni operis gloriam, honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam.* Non ergo disputat hîc Apostolus de iustificatione per legem, nec obseruationem legis ideo vrget, vt, si per legem iustificari quis velit, lex ab eo im-

Apostoli vera doctrina de iustificatione coram Deo.

eo impleri debeat, (vt callidè cõminiscitur Caluinus) sed agit de iustificatione coram Deo & in iudicio Dei, docétque ad hanc iustificationem *perseuerantiam boni operis requiri*: docet *non auditores legis apud Deum, sed factores legis iustificari*. Docet Iudæum *corde circũcisum in spiritu laudem habere apud Deum*. Obseruari debet contra Caluini versutias de salute & iustificatione in iudicio Dei & coram Deo Apostolum disputare. Quum negat Apostolus *auditores legis iustos esse apud Deum*, móxque addit *factores legis iustificari*; nónne luce clarius est, quòd apud Deum illos iustificari affirmat? Si apud Deum iustificantur, ergo Dei iudicio, non legis, iustificantur: ergo iustificatio illis tribuitur vera & absoluta, nõ iustificatio legis: ergo denique non vrget Apostolus eos non posse per legem iustificari qui legem audiunt, nisi legem impleant; sed vrget Apostolus eos non posse apud Deũ iustificari, nisi legẽ impleant, id est, omnino non posse iustificari sine legis obseruatione.

Apostolicæ doctrinæ corruptio.

Nunc autẽ Caluinus planè ridiculam & puerorum cachinnis dignam facit Apostoli disputationem. Hanc enim illam esse fingit, *Factores legis iustificabuntur*, scilicet per legem, si illam impleant: sed legem nemo implet: ergo operum iustificatio nulla hîc statuitur, quia nulla talis inuenitur: hoc est dicere, ergo factores legis nunquam iustificabuntur; & falsum est quod Apostolus dixit, *factores*

legis

legis iustificari. Hunc à Caluino sensum Apostolo ascribi, verba eius proximè subsequentia declarant. *Nos verò*, inquit, *non negamus præscribi in lege absolutam iustitiam: sed quia omnes transgressionis cõuincuntur, quærendam esse dicimus aliam iustitiam. Quin ex hoc loco argumentari licet, neminem operibus iustificari. Si enim ij soli qui legem implent, per legem iustificantur; sequitur, nullum iustificari, quia nullus reperitur qui iactare queat legis complementum.* An non hæc pulchra est Caluini interpretatio, quæ Apostolum mendacem facit, & eius, quod Apostolus dixit, planè contrarium concludit? Dixit Apostolus, *factores legis iustificari.* cõcludit Caluinus, *nullum factorem legis iustificari*, quia nullus facit legem. Hæc est impia & detestabilis textus Apostolici deprauatio; quæ dum Apostoli totam disputationem aliò transfert, vt de iudicio legis eum disputare faciat, qui de iudicio Dei disputauit; & de iustificatione legis eum agere fingat, qui de iustificatione coram Deo egit; Apostolum tandem mendacij arguat, & illud eum asserere, quod fieri nõ potest, concludat. Eadem impietate hunc locum tractat in Institut. lib. 3. cap. 17. num. 13. Quæ eius eo loco disputatio, ex ijs quæ dicta sunt, deiecta manet.

Caluiniana corruptio Apostolum mendacij arguit.

Sed & impietas Caluiniana, qua legem à nemine impleri audacissimè affirmat, vno verbo ex ipso Paulo refelletur. Ait postea in

Lex impleri potest.

Rom. 13. hac epistola Paulus: *Qui diligit proximum, legem impleuit.* Ergo aut nemo vnquam dilexit proximum, aut aliquis legem impleuit. Nisi fortè & hîc quoque Apostolum mendacij arguere Caluinus velit: quod ad illum Apostoli locum, vita comite, examinabitur.

Caluini vestigijs insistens Theodorus Beza, hæc Pauli verba ad aliquam iustitiæ partem operibus decidendam facere minimè permittit. *Respondeo* (inquit) *hoc ipsum superesse quominus operibus decidas aliquam iustitiæ partem, quod tamen sophista* (illum enim sibi aduersarium proponit, Catholicos hoc nomine designans) *nusquam nisi in vno Christo inuenies: id est, vt istam iustitiam adferas. Istam si habes, profer, & sanè iustus eris ex lege. Sed quum non habeas, (nisi fortè iustior es quàm Abraham, & Apostolus ipse, clamans se non esse sibi conscium, nec tamẽ in hoc iustificatum) aut tibi, miser sophista, cum tuis meritis, bullis, & indulgentijs pereundũ est, aut amplectenda tibi iustitia ex fide & gratia, quæ iustitiam absque lege tibi imputatã stabiliat.* Hæc ille. Sed huic hæretico nos respondemus:

Iustitia in vno Christo, quo sensu.

Rom. 5. Rom. 8. Rom. 13. Tit. 3. 1. Cor. 1.

Nos in vno Christo inuenimus iustitiã, quia vnus Christus per dona gratiæ suæ, per *charitatem Dei diffusam in cordibus nostris, per Spiritũ dilectionis quẽ accepimus, quæ dilectio implet legem,* denique *per regenerationem & renouationẽ Spiritus S. quem effudit in nos abunde, factus est nobis iustitia, sanctificatio, & redemptio.* Afferimus ergo iustitiam, eamque nostram, non quidẽ ex lege,

ex lege, id est, beneficio legis, aut ex doctrina legis, sed iustitiam legis, id est, quam lex præscribit, eamque ex fide & gratia Christi, quia ex fide illa incipit, & per gratiam & charitatem illa perficitur. Hanc ex Deo iustitiam habemus, & hanc proferimus: nec tamen iustiores sumus quàm Abrahã & Apostolus. Nam & Abrahã ex *operibus iustificatus est*, nisi mentitur Iacobus; & Apostolus fatetur *inuenisse se iustitiam, non suam ex lege*, id est, non suis solius viribus ex doctrina legis acquisitã, sed *ex fide Christi, quæ ex Deo est*: videl. quòd iam esset *noua creatura in Christo, nõ seruiens vltrà peccato, sed iustitiæ; nec ambulans secundùm carnem, sed secundùm spiritum*, vt sic *iustificatio legis impleretur in illo*. Talem iustitiam legis sese inuenisse & habuisse Apostolus profitetur. Quomodo autem idem Apostolus dicat, *se nihil sibi conscium, in eo tamen iustificatũ non fuisse*, aut Abraham *coram Deo ex operibus non esse iustificatum*, infrà suis locis, vita comite, explicabitur. Hanc iustitiam operum & obseruationis mandatorum Dei per fidem & gratiam Christi, aut tu, miser hæretice, habere & proferre debes, aut cum tota tua apprehendente sola fide, & imputatiua iustitia, (quam nec Abraham nec Apostolus vnquam agnouerunt) pereundum tibi certò erit.

Iacob. 2. Philip. 3. Gal. 6. Rom. 6. Rom. 8.

*Apostoli doctrina de operũ iustificatione magis explicatur.

*Interim clara & perspicua manent præsentia Pauli verba: *Non auditores legis iusti sunt apud*

apud Deum: id est, nõ illi iusti sunt apud Deũ qui credunt vera esse quæ lex dicit, tam iubendo facere quàm promittendo facientibus vitam & salutem (audire enim hoc loco, credere est) *sed factores legis iustificabuntur*: id est, qui faciunt legem, iusti sunt; iuxta illud
1. Ioan. 3. Ioannis: *Qui facit iustitiam, iustus est.* Iudæi (ad quos hæc verba pertinere ipsemet Beza fatetur) audiebãt quidẽ legẽ, & credebant illam, sed non faciebant, quod & Christus il-
Ioan. 7. lis exprobrauit: *Nónne Moyses dedit vobis legẽ, & nemo ex vobis facit legem?* Contra illos ergo disputans Paulus, disertè dicit, *auditores legis non esse iustos apud Deum*, id est, solam fidem de præceptis aut promissionibus legis (lex enim non solùm iubebat, sed & promittebat salu-
Leuit. 18. tem ac vitam facientibus eam, dicens: *Qui fecerit ea homo, viuet in illis*: & *mandatum legis* fuisse *ad vitam*, id est, ad salutem consequendam institutum ac datũ, Apostolus affirmat)
Rom. 7. neminem posse iustificare: quod tamen hæretici hodiè contra Apostolum docent. Nec ea negatione contentus Apostolus, qua solam fidem excludit, addit etiam pro operum iustitia affirmantem propositionem: *factores legis iustificabuntur*: id est, vt Augustinus optimè & solerter exponit, *iusti iustificabuntur*:
De Spir. & liter. cap. 26. id est, iam per fidem & gratiam Christi iustificati & iusti facti, faciendo legem magis iustificabuntur, & incrementum iustitiæ accipient. Probat ergo hic locus egregiè aliquã

iustitiæ

iustitiæ partem, eius videlicet incrementum, bonis operibus decidi. Nec sophistæ sed orthodoxi sunt (nisi etiam Augustinus sophista est) qui operum iustitiam ex his Apostoli verbis manifestè concludunt. Duo isti arietes (Caluinus & Beza) hunc locum lædere non potuerunt.

26. *Nónne præputium illius in circunciſionem reputabitur?*

DOcet hoc loco Apostolus, *Circunciſionẽ quidem prodeſſe ſi legem obſerues*: id est, esse te Iudæum, & de illo peculio Dei, cuius signum est circuncisio, multũ prodest, si mandata legis obseruas. Sic baptismus & professio fidei Christianæ prodest, si legem & mandata Dei seruamus. Si autem præuaricatores legis sumus, circuncisio Iudæis præputium, & baptismus nobis gentilitas prophana facta est, id est, perinde cum illis & nobiscum agetur, ac si nec illi circuncisi nec nos baptizati essemus. Quinimo *si præputium*, vel Gentilis aliquis & infidelis, *seruet legem*, moraliter scilicet, & secundùm substantiã actus moraliter boni, *præputium illius in circunciſionẽ reputabitur*, id est, censebitur ipso circuncisio melior, non absolutè (quia fide caruit) sed in comparatione quadam, quatenus quoad opera præferendus est, & quatenus per illa opera condemnabit Iudæum non operantem, sicut Christus in Euangelio dixit: *Viri Niniuitæ* Sola fides non sufficit. Luc. 11.

Niniuitæ surgent, & iudicabunt nationem hanc. Vnde & Paulus hîc subiunxit : *Iudicabit id quod ex natura est præputium legem consummans, te qui per literam & circunciſionem præuaricator legis es.* Docet ergo & hic locus contra hæreticos fidem aut professionem fidei absque legis diuinæ obseruatione bonisque operibus ad salutem non sufficere. Bonus Beza illud Apostoli, τον νομον τελουσα, *legē consummans*, primùm vertit, *si seruet legem*; deinde exponit *poni in conditione quod non affirmatur*. Ne videl. hinc colligat quispiam legem ab aliquo seruari posse. Sic primùm textum corrumpit, ponendo in conditione, quod Apostolus affirmatiuè dixit: deinde ait ipsam conditionē non affirmari. Hæc est eius duplex hoc loco corruptela.

Beza duplex corruptela.

29. *Circunciſio cordis in Spiritu, non in litera.*

Iustitia inhærens.

LOcus notādus pro iustitia nobis inhærēte, quam hæretici hodie negant, imputatiuā substituendo. *Circunciſionem enim cordis* (ait August.) *intelligit Apostolus puram ab omni illicita concupiscentia voluntatem, quæ non fit litera docente & sonante, sed Spiritu adiuuante atque sanante.* Et propter hanc iustitiam inhærentem, siue propter hanc internam cordis circunciſionē, addit Apostolus de Iudæo in abscondito, id est, cuius pietas & iustitia habet radices in corde defixas, *cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo*: docens videlicet, Deum laudare

De Spir. & lit. cap. 8.

laudare factores legis, non professores; & à Deo approbari veram & realem cordis puritatem, non permanentem cordis impuritatem cum imputata aliqua extrinsecus iustitia. Talis imputatio circuncisionem cordis in Spiritu penitus tollit, quia permanentem impuritatem disertè ponit.

Argumentum Cap. III.

VVlt docere, Iudæos, etsi quasdam habeant prærogatiuas, vt S. Scripturam, circuncisionem, &c. tamen in statu peccati & negotio iustificationis pares esse Gentilibus, & æquè indigere gratia Christi: ideóque vanam esse eorum iactationem de operibus legis. Duas autem initiò proponit quæstiones, vnam de Iudæorum præ cæteris Gentibus prærogatiua, de circuncisione alteram: quarum primam hoc cap. soluit, secundam cap. 4.

20. *Quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.*

IN huius loci tractatione mirè satagũt hæretici, vt omnem ex bonis operibus coram Deo iustitiam longè latéque exterminent, suamque solam iustificantem fidem substituant. Caluinus satis habẽs operosè ostẽdere de operibus legis moralibus, non de ceremonijs, Paulum hîc loqui, quare aut quomodo legis

legis mãdatorum opera non iuſtificant, pluribus non diſputat. Hunc defectum (vt videtur) ſupplere volẽs Theodorus Beza, homo cæteris diligentior & accuratior, vt in Caluini ſchola diutius inſtitutus, ad hãc rem perficiendam, omnem hîc lapidem mouet. Primùm ordinẽ & filum diſputationis Paulinæ inuertit; poſtea ipſa verba peregregiè corrumpit ac deprauat. Ad primum quod attinet; fatetur hæc verba *concluſionem eſſe præcedentium; & ex hac concluſione pendere quod prius Paulus dixerat, totum mundum*, id eſt, omnes homines, *ſubditũ eſſe Deo*, ſiue iræ Dei obnoxium. *Ego verò*, ait Beza, *etſi hæc veriſſima eſſe confiteor, tamen puto Apoſtolum contrario potiùs ordine id, de quo hîc agitur, ex illo colligere.* Videt diſertè profitetur ſe ordinem diſputationis Paulinæ inuertere. Fatetur enim verum eſſe (quod eſt veriſsimum) Paulum hoc loco illud concludere quod toto præcedenti cap. 1. & à principio cap. 3. huc vſque, & à maiori parte primi capitis, ab illo videlicet loco, *Reuelatur ira Dei de cælo in omnem impietatem, &c.* diſputauerat: videl. & Gentium Philoſophos, & omnes in communi Gentiles, qui legem naturæ non ſeruarũt, & ipſos Iudæos, qui ſuam quoque legem ſcriptam non cuſtodierunt, omnes fuiſſe ſub peccato, egere gloria Dei, ſeu gratia Chriſti. Nunc enim in hoc cap. poſtquã docuiſſet, Iudæos, tametſi quaſdam haberent prærogatiuas, vt S. Scripturam,

Paulinæ diſputationis ordinem Beza inuertit.

D. Pauli vera diſputatio à verſ. 18. cap. 1. vſque ad verſ. 20. cap. 3.

pturam, legem & Prophetas tamen æquè indigere gratia Christi ac Gentiles, quia æquè peccauerant, non seruantes legem suam, de qua Dauidem conquerentem inducit, moxque infert, *ea quæ lex loquitur, iis quæ sunt in lege, legem loqui*, vt probet hæc Prophetæ verba ad ipsos Iudæos maximè pertinere; tum concludit vniuersaliter tam de Gentibus quàm de Iudæis, *vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo*, id est, omnes obnoxij sint Deo & iudicio eius. Et quare omnes Dei iudicio sint obnoxij? *Quia* (inquit) *ex operibus legis* (siue scriptæ, siue naturæ) *non iustificabitur omnis caro coram illo*, id est, nemo iustificabitur ex illis solis coram Deo. Et quare? *Per legem enim cognitio peccati*, id est, quia lex siue scripta in tabulis per modũ mandati externi, siue scripta in cordibus per modum syndereseis & testimonij ac iudicis perpetuò arguẽtis, nullum remedium peccato adfert: nisi quòd eius notitiam inducit: & facit quidem vt cognoscatur peccatum, sed non facit aut vt eius regnum ac dominium tollatur, aut vt eius reatus per remissionem & veniam deleatur. Hæc quum dixisset Apostolus, & probasset *reuelari iram Dei de cœlo in omnem impietatem*, redit ad primum suum ac principale subsumptum, quo dixerat, *Iustitiam Dei in Euangelio reuelari ex fide in fidem*. Ait enim: *Nunc autem*, id est, in Euãgelica prædicatione, *sine lege*, id est, sine adiutorio legis, aut admi-

Vers. 20.

Lex quid facit & quid non facit.

Rom. x. 18.

Rom. i. 17. Rom. 3. 21.

niculo operũ legis præcedentium, *iuſtitia* Dei (de qua priùs dixerã) *manifeſtata* ſeu reuelata *eſt*: nũc quidẽ toto orbe patefacta, ita tamen vt eadẽ fuerit *teſtificata a lege & Prophetis*, quia tum lex tum Prophetæ gratiæ Chriſti per Euãgelicã prædicationem propalandæ teſtimoniũ perhibent; *iuſtitia* (inquam) *Dei per fidẽ Ieſu Chriſti*: nõ ex legis ſcriptæ dictamine, aut naturæ viribus: idque nõ erga ſolos Iudæos qui legẽ & Prophetas tenuerũt, ſed *in omnes & ſuper omnes qui credũt in eũ*: quia, vt antea oſtenſũ eſt, *omnes peccauerũt, & egẽt gloria Dei*. Hęc eſt hoc loco tota & perſpicua Apoſt. diſputatio.

Beza fingit Paulũ intendere quod nuſquam in Paulo apparet.

Nunc, vt eam peruertat Beza, videamus. *Puto* (inquit) *Apoſtolum contrario potius ordine, id, de quo agitur, ex illo colligere*. At quidnam eſt *id de quo agitur*? aut quid hîc Apoſtolo propoſitum vult? *Docere* (inquit Beza) *nullum hominem alia ratione quàm fide in Chriſtum ſalutem conſequi*. Hoc argumentum, hic ſcopus, hæc intentio in Apoſtoli verbis nuſquam apparet. Vult quidem docere Apoſtolus, abſque fide in Chriſtum neminem ſalutem conſequi. Ideo omnes concluſit ſub peccato, qui ex lege iuſtificari ſe poſſe, ſeu ſcripta ſeu naturali, exiſtimabant. Sed *non alia ratione quàm fide*, id eſt, ſola fide, *omnes iuſtificari*. Apoſtolo docere propoſitum non fuit. Spectrum hoc eſt hæreticorum noſtri temporis, ex vnius Lutheri inſano cerebro depromptum. Aliud & longè aliud eſt, nõ abſque fide quempiam

coram

oram Deo iustificari, aliud per solam fidem iustificari. Illud eius necessitatē absolutam, hoc eius perfectionem vnicam affirmat. Multa sunt ad rem necessaria, quæ eam non perficiunt, vt ad hominis alimentum panis, ad arborum fructus pluuia, & similia. Qui ei quod necessarium est, perfectionem tribuūt, dum vni necessario firmiter retinēdo incumbunt (puta soli pani aut soli potui) à totius rei possessione excidunt, (nempe ab aliméto) quia cætera necessaria, vnde id perficiatur quod quærunt, hac ratione negligūt & amittunt. Idē hodie hæreticis accidit in causa salutis ac iustificationis nostrę coram Deo. Quia Paulus fidei necessitatē premit, eius vnicam & sufficientē perfectionē cōcludūt. Métitur ergo insigniter Beza in hoc suo primo fundaméto.

Fidei necessitatē in perfectionem transformāt hæretici.

Videamus tamen quæ superextruat, vt tota eius oratione perspecta, eiúsque falsitate & absurditate retecta, veritas ipsa magis eluceat. *Hoc* (inquit) *probat Paulus ex eo quòd vna fide in Christum iustificemur.* Atqui hoc esset idem probare per idem. Sinamus eum tamen paulisper, & cætera videamus. *Nos vna fide iustificari ex eo docuit Paulus, quòd necesse sit nos aut fide aut lege iustificari.* Hoc rursum Paulus non docuit, neque hoc dilemma vsquam statuit. Id tantū Apostolo proponitur, vt doceat nos fide in Christū iustificari, vtq; eius necessitatē ad salutē doceat. Iustificationem ex lege ideo Apostolus reijcit, non quia legis

Cur Paulus iustificationem ex operibus legis reijcit.

obseruatio non iustificat, sed quia absque fide in Christũ & gratiæ adiutorio (quod nisi credentibus in Christũ datur) nemo legẽ seruauit, nec Iudæus nec Gentilis. Alioqui (quod cõtra istos hæreticos & Paulinę disputationis deprauatores diligenter notandũ est) Paulus in hac ipsa disputatione præcedente, vbi pro fidei in Christũ necessitate acerrimè pugnat, ex legis tamen obseruatione homines iustificari apertissimè docuit. *Factores* (inquit) *legis* Rom. 2. 13. 29. *iustificabuntur. Circumcisio prodest, si legem obserues. Qui in abscondito Iudæus est*, in quo videl. *est circumcisio cordis in Spiritu, non litera; eius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Rursum in præcedentibus legis obseruationi & bonis operibus promisit Paulus *mercedem vitæ æternæ*, quam legis obseruatio nunquam promereretur, si pars & causa aliqua iustitiæ nostræ nõ essent. Rom. 2. 6. & 7. *Reddet vnicuique secundùm opera eius: his qui secundùm patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam.* Quid apertius dici potuit pro bonorum operum mercede, & pro iustitia legis, ijs qui seruant eam? Hoc igitur dilemma, quod fingit Beza, Paulus non posuit; videl. *quòd necesse sit aut fide aut lege iustificari*, quasi ex vtraque iustificari absurdum aut impossibile esset. Deinde superiùs cap. 1. hoc idem dilemma alijs verbis Beza posuit, vbi & illud refutatum reliquimus. Pergamus nihilominus cum Beza. *Lege vero nos non iustificari ostendit ex eo quòd nemo sit homi-*

hominum cui Deus è cælo nõ teſtetur ſe infeſtiſſimum eſſe. Nã ex ira colligitur iræ cauſa, id eſt, iniuſtitia. Cedo verò vnde hanc iniuſtitiam? Ex eo quòd neque Gentes naturæ legem obſeruant, neque Iudæi Moyſis legem. Hoc totum eſt verum, & hoc eſt quod priùs diximus, ideo Apoſtolum oſtendere, neminem ex lege iuſtificari, id eſt, neminem Gentilem aut Iudæum abſque fide Chriſti, quia nulli tales legem obſeruant. Sed ex eo non ſequitur homines ex ſola fide iuſtificari; aut eos ex lege non iuſtificari, qui eam per fidem in Chriſtum faciunt & obſeruant. Perſpiciendum diligenter eſt, in quo ſeipſos & alios hæretici fallunt. Pergamus cum Beza. *Hæc in ſumma Paulus adhuc demonſtrauit, ſimulq; aduerſus ea obiter diſſeruit, quæ vel hi vel illi obijcere poterant. Nunc verò tandem ex eo quòd totum mundum probauit iræ Dei eſſe obnoxium, concludit quod probandum ſuſceperat, nullum videlicet hominem ex operibus vllius legis iuſtificari.* Verum hoc eſt, vt diximus, quia nullus abſque fide in Chriſtum legem ſeruauit, ſed omnes peccauerũt, & egent gloria Dei. In hoc (inquam) ſenſu verum eſt, Paulum concludere *neminem ex operibus vllius legis iuſtificari.* Quem ſenſum quia Beza non tenuit, aut ſaltem diſſimulauit, vide quid inferat. *Ac ita demum ſublata vna parte dilemmatis, alteram ponit: nos videlicet, quum lege non iuſtificemur, vna fide iuſtificari, ac proinde vna fide ſeruari, quæ quidem eſt ex Euangelij auditu. Ita tandem efficitur, Euangelium eſſe potentiam Dei* Pauli vera cõcluſio.

in salutem omni credenti, in qua quæstione posuimus huius epistolæ statum. Tota eius conclusio claudicat & concidit, quia dilemma, quod fingit, Apostolus non posuit, vt iam ostensum est. Idcirco non sequitur hoc enthymema: *Ex operibus legis nemo iustificatur*: ergo ex vna fide omnes iustificantur. Non sequitur, inquam, quia causa cur ex operibus legis neminem iustificari Apostolus concludat, non ea est, quòd opera legis obseruata neminem possint iustificare (contrarium quippe hoc ipso loco docuerat) sed hæc est, quia absque fide Christi nec Gentes nec Iudæi legem obseruauerũt, quod Apostolus sua præcedenti disputatione demonstrauit: quo demonstrato, etiam id effectum est, *Euangelium esse potentiam Dei ad salutem omni credenti*, quia in Euangelio *reuelatur iustitia Dei ex fide*, id est, illa iustitia reuelatur, qua Deus nos iustos facit credentes in illum, quia non nisi credentibus suam gratiam impertit, vnde iustè viuatur. Hæc est vera Apostoli hoc loco disputatio, ex ipsius verbis liquidò demonstrata, quam nefariè peruertere voluit Beza, vt id ex Apostolo concluderet, quod Apostolo propositum fuisse nulla eius verba demonstrant; imò cuius contrarium disertis verbis Apostolus demonstrauerat. Atque hæc de ordine ac filo disputationis Paulinæ hactenus.

Operum iustificatio reiecta non probat solius fidei iustificationẽ.

Nunc quomodo ipsa Pauli verba Beza corruperit, vt verborum Pauli sensus, qualem

Pauli verba Beza corrũpit.

lem dedimus, magis ac magis illustris appareat, paucis explicandum est. *Ex operibus legis iustificari* (ait in hunc locum Beza) *significat ex eo quòd præstetur lex iustificari. Neque enim hæc possunt aut debent de operibus legis simpliciter aut absolutè intelligi, quæ vel lex naturæ vel lex Moysis præcipiunt aut vetant (quum ea sint reuera huiusmodi, vt, si quis ea præstaret, iustitiam fuerint ei meritò collatura) sed opera legis vocat eorum præstationem quæ lex præcipit, siue opera quatenus à nobis aut præstantur aut non præstantur, non autem simpliciter quatenus præcipiuntur à lege.* Videat hîc lector egregiam nefarij hominis impostu-ram. *Non possunt* (inquit) *nec debent intelligi hoc loco opera legis simpliciter, & quatenus præcipiuntur à lege.* Quare verò nec possunt nec debent sic intelligi? *Quia* (inquit) *ea reuera eiusmodi sunt, vt, si quis ea præstaret, iustitiam ei fuerint meritò collatura.* Atqui hoc est prorsus principium petere. Hoc est dicere, Non debet sic intelligi, quia hoc facit contra me; quia hoc sententiam meã subuerteret, qua dico Paulum hoc loco docere quòd obseruatio legis non iustificat, sed sola fides. Nam si hic sensus admittatur, *Ex operibus legis nemo iustificatur*, quia opera legis, quatenus ex sola doctrina & mandato legis innotescunt, neminem iustificant; si hoc solo sensu Paulus negat ex operibus legis homines iustificari, quia doctrina legis non sufficit ad iustitiam aut executionem operum; tunc legis obseruationem

Impostura Bezæ egregia.

Paulus non remoueret à causa iustificandi, vt ego volo, sed solam doctrinam legis: ipsa verò obseruatio legis posset esse nihilominus causa iustificandi, quia reuera præstatio legis iustitiam adfert, quã præstationẽ seu obseruationẽ ego censeo omnibus esse impossibilem, ideóque illã quoque his Pauli verbis à iustificationis negotio remoueri volo. Videat ergo lector, & obseruet, quòd reiectæ veræ interpretationis nullã causam adfert Beza, nisi quia illa interpretatio contra ipsum facit: quod est principium petere, quo illud sibi pro absurdo concedi vult, quod non absurdum sed verum esse aduersarius dicit, & absurdi aliquid habere ipse probare debuit.

Iam verò vtrũque manifestum est, tam de operibus legis Apostolum hîc loqui quatenus præcipiuntur, quàm de illis non loqui quatenus præstantur. De illis se loqui quatenus præcipiuntur, verbis proximè sequentibus demõstrat; *Per legem enim cognitio peccati:* de illis se non loqui quatenus præstantur, alijs verbis præcedentibus apertè docuerat dicens; *Factores legis iustificabuntur.* Quare S. Augustinus, Apostoli hoc loco sensum multo, opinor, feliciùs assecutus quàm Beza, illam Pelagianorum impiam euasionem, qua dicebant *se laudare Deum iustificationis sua authorem in eo qtòd legem dedit, cuius intuitu scirent quemadmodum viuere debeant,* ex his Apostoli verbis refellit, dicens: *Nec audiunt quod legunt,*

Paulum loqui de operibus legis quatenus præcipiũtur.

Rom. 2.

De Spiritu & lit. c. 8.

legunt, quia non iustificabitur ex operibus legis omnis caro coram illo. Censuit nempe Apostolum hoc sensu dicere, *Ex lege nemo iustificatur*, quia ex doctrina & auditu legis nemo iustificatur, quod volebant Pelagiani absque adiutorio specialis gratiæ. Sed & postea ne adderēt & dicerent Pelagiani, *hominem quidem non iustificari per legis imperium* (quod hîc Apostolum docere fortè faterentur) *iustificari tamen per liberum arbitrium*, hanc impietatem ita refutat, vt ostendat Apostolum in sequentibus docere gratiā Christi legis doctrinæ adiungendā esse, vt sic ex legis obseruatione homo iustificetur. Quod enim Apostolus statim subiecit, *Nūc sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata à lege & Prophetis*, exponit sic August. *Per legē quidē testificata, quia lex iubēdo, & minādo, & neminē iustificando, satis indicat dono Dei iustificari hominem per adiutorium Spiritus.* Et paulò pòst: *Iustitia Dei sine lege est, quam Deus Spiritu gratiæ credentibus confert sine adiutorio legis, id est, non adiuto à lege.* Sic ergo *ex operibus legis*, quæ nimirum ex sola legis doctrina, aut ex solo imperio & timore legis præstantur, nemo iustificatur: quia quomodocunque per illa subsidia præstantur, non verè nec sicut oportet præstātur. Non ex radice fidei & charitatis proficiscuntur, ideoque Deo placere aut hominem coram Deo gratum ac iustum facere non possunt. Hanc vim habēt illa verba, *ex operibus legis neminem iustificari*, quod ad opera legis attinet.

Ibidem cap. 9.

De iustificandi vocabulo.

Nunc de vocabulo iustificandi quęstionem etiam hoc loco mouet Beza, vt huius loci sensum, quem cupit, lectori probabiliùs inculcet, eumque faciliùs decipiat. Quia res futuris apud Paulum disputationibus pleniùs intelligendis non parum conducet, eum hoc loco audiemus, *Quid hîc valeat iustificandi verbum* (ait Beza) *non immeritò quæritur, quum nulla grauior possit quæstio exoriri, & ab huius verbi explicatione tota pene pendeat huius controuersiæ decisio.* Primùm igitur Catholicam, vt sibi videtur, proponit sententiam. *Dicunt sophistæ, Nos fide iustificari, sic accipiendum esse, quòd credentibus (id est, ijs qui in genere assentiuntur verbo Dei) in seratur gratia, præeuntibus præparationis operibus data, qua adiuuante & cooperante induti iustitia seruamur, sicut scriptum est, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Itaque apud istos fide iustificari, non declarat iustum fieri ἐνεργείᾳ, sed δωρέᾳ; id est, gratiam accipere, cuius adiutorio postea nos ipsos iustos faciamus. Hæc illorum est doctrina.* Catholicam doctrinam, quam sophistarum vocat, nec rectè nec plenè explicauit. Dicunt Catholici, iustificandi vocabulum dupliciter accipi debere, sicut duplex est hominis iustificatio. Vna est iustificatio impij, qua homo primùm Deo reconciliatur, & fit ex impio iustus; ex filio iræ, filius Dei. Hanc primam iustificationem (sic enim distinctionis causa vocari solet) dicimus fieri ex fide qua credimus Deo, à qua necessariò incipiendum est, *quia sine fide impos-*

Iustificādi vocabulū in sensu Catholico.

Heb. 11.

impoßibile eſt placere Deo. Ad fidem accedere debet amor Dei, odium peccati, & ſtatus præteriti, pœnitentia, ſpes veniæ, quibus præeuntibus præparationis operibus, ex ſpeciali Dei auxilio profectis, *non datur* (vt ait Beza) *gratia*, quaſi illorum merito daretur, ſed diſpoſitiones ſunt in Scripturis requiſitæ: quibus poſitis, aduenit forma gratiæ qua Deus gratuitò peccatorem donat, per & propter merita Chriſti in quem credit, quem amat, in quem ſperat atque confidit; quæ ſanè gratia eum formaliter iuſtum & Deo gratum facit. Hac gratia Dei adiuuante & cooperante cum libero hominis arbitrio iam ſanati & iuſtificati, fiunt opera iuſtitiæ, ſeu obſeruatio mandatorum Dei, qua magis iuſtificantur, ſeu iuſtitiæ incrementum accipiunt credentes, quæ etiam illis ad vitam æternã conſequendam neceſſaria eſt, ſicut ſcriptum eſt; *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Matt. 19. Itaque apud Catholicos fide iuſtificari nec ἐνεργείᾳ nec δυνάμει iuſtum fieri declarat, ſed vnam cauſam iuſtificationis noſtræ, eamque primam ac radicalem, ſignificat. Ipſum ſanè iuſtificari, ſeu ex impio iuſtum fieri, ſignificat gratiam Dei habitualem accipere, ſeu, vt Paulus loquitur, *Spiritum Dei inhabitantem habere*: Rom. 6. cuius ſanè adiutorio nos ipſos iuſtos facimus, vt Beza loquitur; id eſt, noſtræ iuſtitiæ augmento & merito cooperamur, iuxta illud Apoſtoli, *Gratia Dei mecum.* 1. Cor. 3. Hic enim Spiritus Sanctus credentibus datus,

eſt

est *fons aquæ saliẽtis in vitã æternã*, id est, principium & causa copiosa bonorum operum quæ perducunt ad vitam æternam. Hæc est Catholicorum doctrina de fide iustificante, breuiter & rudi minerua explicata, quantum huic loco sufficit: quam alio loco pleniùs & vberiùs per omnes eius partes explicatam & ex diuinis Scripturis cõfirmatã dedimꝰ. Nũc quæ sit Bezæ & suorum sententia audiamus.

In princip. fidei in prolegõ. lib. 5.

Sed ij per quos nostra ætate Dominus veluti sepultum Christi beneficium in lucem reuocauit (ergo nouellũ & recẽs esse suũ dogma fatetur: ergo Christi beneficium de iustificatione humani generis hactenus sepultũ & ignoratũ fuisse affirmat: ergo ante hos homines nostra ætate exortos nemo Christianus, nemo saluus factus fuit: *Qui enim ignorat, ignorabitur*; & qui sine fide peccauerunt, sine fide peribunt: quæ sola ad omnia, quæcũque dicturus est Beza, refutanda sufficiunt) *quũ hæc viderent ex diametro pugnare cũ Apostoli doctrina & argumẽtis*, (non cum Apostoli doctrina, sed cũ Lutheri placitis, cui magis adhærere quàm veteri totius Christiani orbis fidei maluerũt, hoc solo nomine inprimis detestandi) *verbum, Iustificari, in hac propositione, Iustificamur fide sine operibus, siue gratis, siue sola, (hæc enim omnia idẽ pollẽt) explicãt ex Hebræorum consuetudine, pro absolui coram Dei tribunali: non quòd iusti simus in nobis ipsis (frustra enim Christus esset mortuus, vt colligit Apostolus ad Galat. 2. 21.) sed quia Christi iustitia nobis imputetur,*

Fides iustificans Caluiniana nouella.

tur, *gratis per fidem, siue quia Deus nos in Christo* χαριτωσε, *Ephes.* 1. 6. Hæc nouella explicatio innumera absurda habet, quæ latiùs explicata videre lector potest in opere nostro de Iustificatione, maximè in lib. 5. & prolegomenis eius. Sed vt hîc breuiter aliquid dicamus, primũ, *iustificari per fidẽ sine operibus legis*, vel *iustificari gratis per Christũ* nõ idem pollent quod iustificari sola fide, vt hoc eodẽ cap. vbi illa duo Apostolus dicit, explicabitur. *Iustificari sine operibus legis per fidem*, significat fidẽ ad iustificationẽ esse necessariã, absque bonorũ operum executione quæ fidẽ præcedat, quia quæcũque bona opera fidẽ præcedunt, ad iustificationẽ facere aut iuuare nõ possũt. Iustificari autem sola fide in sensu Bezæ significat, vt homo iustificetur solã fidem sufficere, nec vel cũ fide iustificãte charitatẽ, pœnitẽtiam, spem veniæ, vt aliquas iustificationis causas disponentes cõcurrere, vel post fidem ad iustitiæ incremẽtum charitatis opera accedere. Qui sensus quãtum à priore longè lateque distet, nemo tam cæcus est qui non videat. *Iustificari gratis per gratiam Christi, per fidem in sanguine eius*, significat iustificari seu Deo reconciliari, *nõ ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos*, vt alibi Paul. loquitur, *sed secũdũ suã misericordiã qua saluos nos fecit*: ad quã misericordiã tamẽ percipiẽdã fides adesse debet, nõ quidẽ sola, sed inprimis & ante omnia. Ideo adiecit Paulus, *per fidẽ in sanguine eius*: quia de fide Christi

Iustificari sine operibus per fidem, multum differt à iustificatione per solã fidẽ.

Tit. 2.

Christi hoc loco quæstio est. Sed alius Apostolus charitatem non minùs esse necessariam docet dicēs: *Qui non diligit, manet in morte.* 1. Ioan. 3. Sic iustificatur impius, Deoque reconciliatur non solùm per fidem in sanguine Christi, sed etiam per dilectionē Dei & proximi. Quòd autem, iustificari, exponunt pro, absolui, ex Hebræorum consuetudine, insulsè faciunt multas ob causas. Primùm, quia tametsi aliquando, tamen non semper in ipso veteri Testaméto illa vox eo sensu accipitur. Deinde, vt ibi sēper hoc modo acciperetur, doctrina tamē Euāgelica & Apostolica, quæ nouā per Christū iustificationē docet, ex Hebraica verbi significatione pēdere non debet: sed vt alia multa, ita & hoc verbū in ea significatione accipere oportet quā præsens causa postulat. Tertiò, vt in ea significatione accipiatur vocabulū iustificādi, sensum tamē hæreticorum nihil adiuuat. Nā in forēsi iudicio nemo legitimè absoluitur, aut pronunciatur iustus, nisi qui reuera talis est Esai. 5. *Væ qui iustificatis impiū*, id est, absolutis & pronūciatis iustū qui nō est. Rursum Prou. 17. *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominatio est.* Atqui isti in suo sensu iustificāt impios. Ait enim Beza, *Non quòd iusti simus in nobis ipsis.* Vult ergo Deum *iustificare impios*, id est, in sensu literæ Hebraicæ, eos iustos pronunciare qui non sunt. Quid nunc iuuat Bezam aut suos vocabulum iustificandi ex Hebræorum consuetudine

Iustificādi vox ab Hebræorū cōsuetudine non accipiēda.

1.
2.
3.

tudine

tudine acceptum? Sanè vt homines in se impios & iniustos Deus pro iustis habeat, (quod postea impius Beza apertè dicit, tum hoc in loco, tum infrà ad Rom. 4. 5. vbi latiùs refutabitur) non absurdè tantùm sed & impiè asseritur. Deus enim ita iustificat impios, vt non solùm absoluat eos à reatu peccatorum præteritorum, sed etiam faciat ex impijs iustos, id est, non sola remissione peccatorum (vt cũ Pelagianis sentit Beza cũ suis) sed etiã interna renouatione, qua iusti in seipsis sunt, eos iustificet; vt ex varijs postea Scripturis in Paulo maximè apparebit. Quare iudicialis huius vocabuli significatio inhærentem iustitiam in iustificatis per Christum non excludit, sed necessariò includit.

At (ait Beza) *si iusti sumus in nobis ipsis, frustra Christus esset mortuus, vt colligit Apostolus ad Gal. 2. 21. vbi ait: Si per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est.* Magna & incredibilis est Bezæ & aliorum hodie hæreticorum cæcitas. Si iusti sumus in nobis ipsis, Deo nos per Christum iustificante (nam de iustificatis per Christum hæc scripsit Beza) Christus frustra mortuus esset. Quis talem dementiam non exhorresçat & execretur? An non enim prorsus contrarium necessariò sequitur? Si iustificati per Christum iusti non essemus, planè Christus frustra mortuus esset. Quid enim? An disertissimè Paulus ipse non dicit? *Dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniqui-*

Hæreticorum hodie cæcitas magna.

Tit. 2. *iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Ecce, Christus mortuus est, non solum vt absolueret ac *redimeret ab omni iniquitate* præterita sed vt *mundaret sibi populũ acceptabilem*: id est, vt ex immũdo mundum faceret, ex impio iustum, *sectando bona*

1. Ioan. 3. *opera*, quæ sunt opera iustitiæ. *Qui enim facit iustitiam, iustus est.* Alia loca sunt quæ idem manifestè docent, vt ad Colos. 1. Rom. 8. Ephes. 5. Hebr. 9. 1. Petr. 1. & 1. Ioan. 1. quæ singula suo loco tractabimus.

At Paulus dicit: *Si per legẽ iustitia, ergo gratis Christus mortuus est.* Nihil hoc ad rhombum, loquitur hoc Apostolus non de iustificatis

Tit. 2. per Christum, *vt piè, iustè, ac sobriè in hoc seculo viuant*, de quibus nunc sermo est, sed de illis qui per carnalẽ legis obseruationem absque fide & gratia Christi iustificari se posse præsumebant, vt Iudæi increduli; aut saltem carnalem illam obseruationem ad iustificationem per Christum acquirendam, necessariam esse opinabantur, vt illi Galatæ ad quos Paulus scripsit. Hæc quoque verba suo loco explicabuntur. Eò se vertat lector qui plura videre desiderat.

Imputari Christi iustitiã per fidẽ, nulla Scriptura dicit.

Tandem in hoc solo ponit Beza iustificari per Christum, *quòd Christi iustitia nobis imputetur gratis per fidem.* Sed aduertat lector, omnes Pauli Epistolas, omnẽque Scripturam Apostolicam aut Euangelicam, siue aliã quamcumque voluminũ diuinorum, nusquam & nunquam

nunquam hanc imputatam iustitiam leget. Spectrum est cerebri Lutherani, quod Caluino & Bezæ placuit. Quod autem Paulus dicit, *Deus nos in Christo* ἐχαρίτωσε, *gratos fecit*, illud adeò pro imputatiua iustitia non facit, vt contra illã maximè faciat. Docent enim illa verba, Deũ nos in Christo multis gratiarum donis replesse, vt sancti ac iusti essemus in nobis ipsis. Hoc enim vis verbi ἐχαρίτωσε designat, quod multò plus est quàm si dixisset, ἐχαρίσατο, in gratiam recepit, vt notauit doctissimus Chrysostomus; vt ad illum locum plenius dicemus. Ipsa ergo iustificatio per fidem, quam hîc ponit ac definit Beza, non solùm diuinis Scripturis conformis non est, sed & illis ex diametro repugnans; nec solùm Scripturis repugnans, sed & in se absurda & impia, vtpote quæ faciat Deum sic iustificare impium, sicut iniqui & corrupti iudices iustificant impios, & condemnant iustos.

Videamus nũc quid amplius iustificationi per Christum tribuat. *Huius* (inquit) *iustificationis effectus est illa innouatio Spiritus, quæ in nobis nõ per opera corã Deo iustificandis*, (quod quidem verum est de prima iustificatione impij, vbi nulla opera iustificationis causæ efficientes aut merita sunt, tametsi causæ disponentes sunt, vt antea dictum est) *sed tamen antea per fidem iustificatis* (non tamen per solã fidem, sed per alias quoque virtutes æquè

disponentes ac fidem, vt charitatem, pœnitentiam, spem veniæ, &c.) *fructus illos iustitiæ profert, de quibus loquens Apostolus, proposito nobis Abrahamo credentiũ patre: Si Abrahã* (inquit) *ex operibus iustificatus fuit, habet quòd glorietur, sed non apud Deum.* Vult ergo Beza fructus iustitiæ, quos per renouationem Spiritus iam iustificati proferunt, nullo modo quempiam iustificare, quia ipse Abraham ex operibus coram Deo iustificatus nõ fuit. Atqui Abrahamum ex operibus iustificatum fuisse disertissimè Iacobus affirmat. Nec Paulus Abrahamum ex operibus in fide factis iustificatum fuisse negat, sed ait Abrahamum ex operibus simpliciter non fuisse iustificatum, intelligens opera absque fide, vt eo loco latiùs explicabimus; & tam Abraham quàm alios ex bonis operibus in fide factis coram Deo iustificari, eo in loco inuictè ostendemus. Porrò fructus iustitiæ esse quoque opera iustitiæ, & verè iustificare, id est, magis iustum facere, tum Paulus in locis iam dudũ tractatis, tum infrà in alijs tractãdis edocet: & ipse inprimis D. Ioannes, qui in Apocalypsi de bonorum operum studio dicit; *Qui iustus est, iustificetur adhuc*: & epist. 1. ait; *Qui facit iustitiam, iustus est, sicut & ille iustus est*: quæ vtraque loca postea tractabuntur.

Iustitiæ fructus iustificãt coram Deo.

Cap. 22. Cap. 3.

Pronunciat tamẽ & concludit Beza: *Hanc doctrinam qui non complectetur, anathema erit.* Vide quid faciat cathedra Geneuensis: quæ

Arrogantia stulta.

fulmina

fulmina iaculatur, quos crepitus facit, quos sibi spiritus sumit superba meretrix, contra Sponsam Christi, contra omnium maiorum fidem (hanc enim suam nouellam esse ipsemet professus est) contra diuinas Scripturas! Audet superbus hæreticus omnibus qui hactenus fuerunt toto orbe Christianis anathema dicere. Professus enim est, ab ijs hanc doctrinã tradi, qui *nostra ætate veluti sepultũ Christi beneficium in lucem reuocarunt.* Quid ergo ad huius hominis dementiam ac furorem reliquum esse potest?

Sed Bezam adhuc (vt audio) superstitem, eiusque sectatores, quibus hæ Annotationes Bezanæ magis placent quàm omnes veterũ Patrum commentarij, vno verbo monebo. *Carduus Libani misit ad cedrum quæ est in Libano, dicens, Da filiam tuam filio meo vxorem: transierunt q̃ bestiæ saltus quæ sunt in Libano, & conculcauerunt Carduum. Percutiens inualuit Geneua super Edom,* super indoctos & instabiles Ecclesiæ Catholicæ filios: & *sublenauit illam cor suum. Sit contenta gloria sua,* qua gloriatur in malitia quæ potens fuit in iniquitate: & *sedeat in domo sua.* Superbiat apud domesticos & sectarios suos. *Quare prouocat malum, vt cadat ipsa,* & magistri *sui secum?* Dicit anathemã toti Ecclesiæ Christianorum. *Dilexit maledictionem, & veniet ei. Induit maledictionem sicut vestimentum, & intrauit sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus eius. Fiat ei sicut vesti-*

Genuẽsium arrogantia retũditur.

4. Reg. 14.

Psal. 108.

mentum quo operitur, & sicut zona qua semper præcingitur. Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Dominum, & qui loquuntur mala aduersus animã meam. Hæc vox seu Christi seu Ecclesiæ eius est. Beza maledicens Ecclesiæ, quæ hactenus fuit, vniuersæ, sponso quoque eius Christo maledixit: veniet super eum maledictio: atque vtinam hactenus non venerit!

Beza duo argumenta contra seipsum proponit, & neutri seipõdet.

Post ridiculum suũ anathema vnum Pauli locum sibi obijcit Beza, quasi veritatis amans, & vt lectori omnino satisfaceret. *Sed* (inquit) *nonnulli obijciunt, Apostolũ ipsum infrà cap. 5. vers. 19. τὸ δικαιοῦσθαι interpretari δικαίων καθίστασθαι*, id est, *iustum constitui*; *& minimè conuenire Dei naturæ vt iniustos absoluat.* Duo proposuit contra seipsum argumẽta. Vnum, Apostoli verbum, quo de Christo infrà cap 5. dicit: *Ita & per vnius obeditionẽ iusti constituentur multi.* Alterum rationis firmæ, quia iniustos & impios absoluere, seu iustos pronunciare qui tales nõ sunt, Dei certè naturæ, & veritati inprimis repugnat. Nunc quomodo ad hæc duo respondeat, aduertat lector. *Respondeo* (inquit) *nos fide iustos fieri, sed imputata nobis Christi iustitia; & propterea, quamuis in nobis simus iniusti, tamen vt in Christo verè iustos absolui, atque adeò remissis peccatis fieri Christi cohæredes.* Primùm ad Apostoli verba nihil respondet, ne gry quidem. Illa autem quantam vim habeant, & quàm euidenter inhærentem nobis Christi beneficio iustitiã confirment,

frment, atque imputatam subuertant, suo mox loco cap. 5. ostendemus. Deinde ad alterum etiam argumentũ nihil respondet. Non respondet, inquam, ad allatam absurditatẽ, *Dei naturæ repugnare vt iniustos absoluat*; nec quomodo cum Dei veritate & iustitia tanta absurditas subsistere queat, docet. Tantum modo stultorum aut pertinacium hominum more, conclusionẽ ex illis argumentis consequentẽ negat, suamque denuo sententiã fortiter affirmat. Ait enim rursum & repetit, *nos imputata Christi iustitia iustos fieri, & vt verè in Christo iustos absolui, quamuis simus in nobis iniusti*. Atqui hoc ipsum illud absurdũ est, quod ex illis argumentis duobus, quæ attulit, refutatũ & reiectũ fuit. Ait enim Apostolus, nos esse *constitutos iustos*, nos factos esse iustos per Christi obedientiã. ergo non imputari nobis Christi iustitiã, aut habere tãtùm pro iustis, quũ simus iniusti. Esse iustũ, & esse iniustũ, cõtraria sunt. Esse nos iustos, constitui iustos, effici iustos, ait Paul⁹: (hoc enim totũ significat δικαίους καθίςασθαι) esse nos iniustos, ait Beza. Sic Pauli verbis nõ respondet, sed fortiter cõtradicit. Rursum, absoluere iniustos, & pronũciare iustos qui nõ sunt iusti, *Dei naturæ repugnat*. Respõdet Beza nos esse in nobis ipsis iniustos, & tamẽ quasi iustos absolui. Sic absurditatẽ allatã non soluit, sed statuit; nec expedit, sed agnoscit. Vel igitur docere hæretici debẽt quomodo ista cõtraria subsistũt, cõ

Imputatiua iustitia Paulo cõtradicit & Dei naturæ repugnat.

stitui iustum, & esse iniustum; absolui & pronunciari à Deo iustum, & non esse corã Deo iustum, quod Dei naturæ repugnat; vel vt commentitium iustificandi modũ à se ipsis hac ætate inuentum statuant, ipsa Pauli verba ad Rom. 5. 19. prorsus negare, & absurditates seu impietates potiùs Dei naturæ pugnantes aperte tueri ac defendere.

Addit adhuc aliquid Beza, quasi præcedentem impietatem moderari volens, sed reuera ei manifestè contradicens. *Quod autem attinet ad nouam vitam, siue iustitiam quam nobis inhærentem vocant, ea certè non est causa sed testis eius iustitiæ, cuius imputatione seruamur. Quoniam quisquis in Christo per fidem iustificatur, is quoque Christi Spiritu sanctificatur.* Primùm aio hanc explicationem præcedenti doctrinæ manifestè contradicere. Si enim *quisquis in Christo per fidem iustificatur*, imputata illi per fidem Christi iustitia (sic enim, iustificari in Christo per fidem, expositit Beza) *is quoque Spiritu sanctificatur*; ergo quisquis in Christo per fidẽ iustificatur, is quoque iam in seipso non est iniustus aut impius, sed est in seipso sanctus & iustus. Quid enim? Qui Spiritu Christi sanctificatur, sanctus non erit? immundus, iniustus, impius erit? Aut Spiritus Christi aliter sanctificat, quàm per dona gratiæ suæ internam sanctitatem impertiendo, & *nouam in Christo creaturam* efficiendo, vt homo in nouitate vitæ ambulet, *vt seruiat Deo in sanctitate*

Contradictio manifesta doctrinæ Caluinianæ.

Gal. 5.

Zacharie & iustitia coram illo omnibus diebus vitæ suæ, quod Zacharias propheticè prædixit futurum, dato nobis Christo? Audiat hoc loco Beza quid ipse Caluinus de hac per Spiritum Christi sanctificatione scripserit. *Christus* (inquit) *Spiritum accepit à Patre, quem in suos omnes effundat. Non enim voce tantùm vel scripto dictat quid rectum sit, sed Spiritus sui gratia intus format corda hominum ad seruandam iustitiæ regulam.* Hæc ille in Harmonia, luculenter ostendens quæ sit vera nostra sanctificatio per Spiritum Christi. Sunt ergo ex diametro ista contraria: Sumus in nobis ipsis iniusti, & sumus Spiritu Christi sanctificati. Rursum, quum per fidem iustificamur, sumus in nobis ipsis iniusti: &, quum per fidem iustificamur, Spiritu Christi sanctificamur. Sanctum & iustum esse, sanctitas & iustitia, coniuncta in Scripturis ponuntur, & idem prorsus significant. Sic absurdissimam suam hæresim circa iustitiam imputatiuam & fidem iustificantem per imputatam Christi iustitiam, absque manifesta & perspicua cõtradictione explicare hæretici non possunt.

Luc. 1.

Ad Matt. cap. 12. vers. 18.

Imputatiua iustitia sine contradictione explicari non potest.

Iam verò falsum quoque & ineptum est quod ex suorum placitis affirmat Beza, *nouã vitam siue iustitiam inhærentem, non esse causam sed testem eius iustitiæ, cuius imputatione seruamur*, id est, ex qua nobis imputata iustificamur. Hæc enim noua vita vel iustitia inhærẽs aut ipsam significat reuouationem, & per Spiri-

Iustitia inhærens est causa iustitiæ, nõ testis.

tum Christi sanctificationem (quâ agnoscit Beza) quæ in prima nostra iustificatione confertur, aut consequentè postea vitæ nouitatem & fructus iustitiæ in bonis operibus. Vtroque modo non testis sed causa iustitiæ nostræ est. In prima iustificatione causa formalis, vnde iusti & sancti & filij Dei dicimur, qui priùs filij iræ fueramus, est ipsa renouatio interna & sanctificatio nostra per Spiritum Christi, quæ partim *ex fide* constat
Act. 15. *purificante intellectum*, partim & multò excel-
Rom. 5. lentiùs ex charitate *diffusâ in cordibus nostris*,
Rom. 8. qua Deo per amorē filialem vnimur, *accepto spiritu adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba Pater*. Causa, inquam, formalis, seu ipsa forma est iustificationis nostræ per Christum, illa vitæ nouitas, & sanctificatio per
Gal. 4. Spiritum Christi, *quem misit Deus in corda nostra*, vt Paulus docet. In consequenti vitæ nouitate & fructibus iustitiæ acceptæ, illi fructus, illa bona opera non solùm testimonia quædam sunt acceptæ iustitiæ, & inhabitantis corda nostra Spiritus Dei, sed etiam causa sunt formalis maioris iustificationis, vt ex illis magis iustificemur, magis ac magis iusti denominemur. Rursum, causa sunt meritoria salutis finalis & vitæ æternæ, quam Deus bonis iustorū operibus misericorditer & iustè retribuit: misericorditer ex parte gratiæ ac radicis eorum, & quia remunerat supra condignum; iustè nihilominus, & vt

iustus

iustus iudex, quia talem mercedem repromit tere dignatus est: vt iam reddere quod promisit, iustitiæ diuinæ actio sit. Sic causa iustificandi qua seruamur, iustitia inhærens, vitæ nouitas, bona iustorum opera sunt. Sic in iustificandi vocabulo explicando toto cælo errauit Beza, errauit Caluinus, quem Beza ad verbum sequitur, errant omnes hodie hæretici, eodem ferè modo rem explicantes. 2. Tim. 4.

21. *Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est.* 22. *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt in eum.*

QVamuis hæc verba in proximè præcedenti sententia obiter tractata & explicata fuerint, tamen quia hoc loco plurima sua venena inspergit Caluinus, quasique defensionis suæ cardinem pro sola fide iustificante in his verbis ponit; sicut in præcedentibus posuit Beza, contra eius venena antidotum proferemus, & omnes defensionis eius partes examinabimus. Quærit & examinat quæ sit hoc loco *iustitia Dei sine lege*, quam postea *iustitiã Dei per fidem* Christi Apostolus vocat. *Dubium* (inquit) *est qua ratione Dei iustitiam appellet, quam per fidem obtinemus: ideóne qua sola corã Deo consistit, an quòd eam nobis Dominus sua misericordia largiatur. Quoniã vtraque interpretatio bene quadrabit, neutra ex parte contendimus. Hanc ergo quam & Deus homini communicat,*

municat, & solam amplectitur, & pro iustitia agno-
scit, dicit reuelatam citra legem esse, id est, sine le-
gis adminiculo. Hæc hactenus literæ Apostolicæ non præiudicant. Sed addit instillandi paulatim venenũ suum: *Vt lex pro operibus ac-*
cepta intelligatur. Neque enim ad doctrinam refer-
conuenit, quam mox gratuitæ fidei iustitiæ testem
citat. Quòd ad cæremonias quidam restringunt pau-
lò pòst mane & frigidum esse ostendam. Hîc legis nomine, non doctrinam legis, sed opera legis seu opera bona accipi vult, vt sine illis iustitiam Dei reuelari Paulus doceat. Ad cæremonialia quod attinet, ea ab Apostolo non intelligi manifestum est, nec vlla refutatione opus erat. At verò non opera legis, vt vult Caluinus (id est, in fide facta, de quibus semper loquimur quum ea fidei adiungenda dicimus vt saluemur, & quæ hîc Caluinus excludi vult, vt in sequentibus patebit,) sed partim opera præcedentia sine fide (vt suprà dictum est) partim ipsam doctrinam legis à Paulo hoc loco intelligi S. Augustinus interpres Caluino sanior perspicuè docet. *Iustitia* (inquit) *Dei sine lege, non sine lege*
manifestata est. Quomodo enim per legem testificata, si sine lege manifestata est? Sed iustitia Dei sine
lege est, quam Deus Spiritu gratiæ credentibus con-
fert sine adiutorio legis, id est, non adiuto à lege.
Quandoquidem per legem ostendit Deus homini in-
firmitatem suam, vt ad eius misericordiã per fidem
confugiens sanetur. Ecce iustitia Dei per fidem sine

Iustitia Dei sine lege non est iustitia sine operibus legis.

De Spiritu & lit. cap. 9.

sine lege manifestari dicitur, quia vt illa per Spiritum gratiæ homini conferatur, legis doctrina efficere non potuit, legisque adiutorium imbecille & insufficiens planéque impotens erat. Caluinus, qui legis nomine, eius doctrinam intelligi negat, hanc vnam negationis suæ causam adiungit: *quia doctrinã legis gratuitæ iustitiæ testem Paulus citat.* Atqui hoc ipsum contra illum maximè facit. *Lex quippe testimonium perhibet iustitiæ fidei hoc ipso* (ait Augustinus) *quòd iubendo, & minando, & neminem iustificando, satis indicat dono Dei iustificari homines per adiutorium Spiritus.* Hæc ille. Non ergo idcirco *per iustitiam Dei sine lege* iustitia sine doctrina legis intelligi non debet, quia doctrinã legis gratuitæ Dei iustitiæ testẽ Paulus citat, vt Caluinus affirmat, sed prorsus econtra, idcirco illud, *sine lege*, significare debet, *sine doctrina legis*, quia lex seu doctrina legis gratuitæ Dei iustitiæ testis est: siue quia *iustitia Dei per legem testificata est*, vt Paulus loquitur, vel, vt Caluinus vertit, *testimonio legis comprobata.* Hæc enim legis testificatio, siue hoc testimonium quo lex comprobat iustitiam Dei ex fide, est ipsa doctrina legis, eiusque infirmitas & impotentia, quæ per suam infirmitatem docet nos gratuitam Dei iustitiam, nempe *quòd Dei dono per adiutorium Spiritus*, non legis adminiculo, iustificamur coram Deo.

Caluinĩ ratio cõtra ipsum militat.

Vbi supra.

Et totus hic sensus, ab Augustino traditus,

tus, literæ Apostolicæ perspicuè & firmiter cohæret. Quum enim dixisset Apostolus, *operibus legis neminem iustificari, quia per legem agnitio peccati est*, non remedium peccati, id est, opera legis, quatenus sunt opera legis, nisi fidei, quatenus ex doctrina legis proficiscuntur, non ex fide, neminem iustificare possunt coram Deo, quia lex nihil aliud quàm docet quid sit faciendum & cõuincit peccatorem, (*lex enim data est ad conuincendum, non ad sanandum*, ait alibi Augustinus) conuenienter subiunxit Apostolus: *Nunc autem*, id est, in prædicatione Euangelica; *sine lege*, id est, sine adminiculo doctrinæ legis (quia omnia docet Euangelium) & sine vllo terrore iubentis legis (*non enim spiritum seruitutis accepimus iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum Dei*) *reuelata est iustitia Dei per fidem Iesu Christi*: cui quidem lex & Prophetæ testimonium perhibebant: lex, suæ doctrinæ infirmitate & terrore, vt iam dictum est; *Prophetæ, quia id, quod prædixerunt, Christi impleuit aduentus*, ait loco prius citato Augustinus. Stat igitur firmiter & literæ Apostolicæ cohæret ille sensus quem reijcit Caluinus: nec conuenire vllo modo potest ille sensus quem ponit Caluinus: nempe vt nomine legis, sine qua iustitia Dei per fidem Christi reuelatur, ipsa opera bona ex fide facta intelligantur.

Legis nomine doctrinã legis intelligi demonstratur.

Contra Faustum lib. 16. cap. 19.

De Spiritu & lit. cap. 9.

Falsò igitur & mendaciter concludit in hunc modum Caluinus: *Restat ergo, vt operum*

merita

merita excludi sciamus. Vbi etiã videmus, quomodo non admisceat opera Dei misericordiæ; sed sublata & erasa omni operum opinione, solam illam statuat. Caluini conclusio mendax & impia.

Totum hoc mendacio & impietate plenum est. De mendacio & falsitate iam satis dictũ est. Impietate plenum est, *in iustitia Dei per fidem Christi*, omnem operum opinionem tollere & eradere. Quum enim iustitia Dei per fidẽ Christi hoc loco sit illa iustitia *qua Deus induit hominem quum iustificat impium*, (sicut enim fides Christi hîc dicitur, non qua credit Christus, sed qua nos credimus in Christum; sic illa Dei iustitia hîc dicitur, non qua Deus iustus est, sed qua nos ex Dei dono iusti & sancti coram ipso sumus) illa autem iustitia qua Deus nos induit quum iustificat impium, nihil aliud sit quàm illa *noua creatura in Christo*, quam Paulus describens ait, *Creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ Deus præparauit* (per donum gratiæ suæ, & per adiutorium Spiritus sui) *vt ambulemus in illis*; impietate & blasphemia plenum est quod Caluinus dicit, *in iustitia Dei per fidem sublatam & erasam esse omnem operum opinionem.* Augustin. de Spir. & lit. c. 9 & epist. 120. Gal. 6. Ephes. 2.

Obseruare autem lector debet, Caluinum impostorem vafrum, vt tam apertæ impietatis inuidiam ac notam declinaret, in hac sua conclusione non vti vocabulo *iustitia Dei per fidem Christi*, quo Paulus (quem hîc exponit) vtitur, sed substituisse vocabulum *misericordiæ Dei*: quasi hîc de remissione peccatorum ageretur, Caluinus Apostoli verbum extrudit, vt suum supponat.

ageretur, (vbi opera sanè excluduntur omni causa & merito eius, soláque Dei misericordia cernitur) ac non de tota iustitia hominis Christiani in Euangelio reuelata quam Paulus vocat *iustitiam Dei per fidē Christi*. In hac quidē iustitia Dei per fidē Christi qua Deus credentes in Christum iustificat suæque gratiæ donis iustos coram ipso & sanctos facit, magna est Dei misericordia. Aliud tamen & longè aliud est Dei misericordia aliud ista iustitia. Illa causa, ista effectus est. Illa radix, ista fructus est. Illa principium, hæc complementum est. In illa operum nostrorum ratio nulla est, quia tota à Deo est; in hac operum ratio vel maxima est, quia, *in bonis operibus ambularemus*, hæc misericordia data est; & ambulando in illis, iustitiam Dei habemus in nobis. *Tam hæc iustitia Dei quàm hæc fides Christi nostra est*, ait Augustinus loco citato; *sed ideo Dei & Christi dicitur, quòd eam nobis largitate donatur*. Nūc Caluinus vt bona opera penitus tollat, & omnē eorum opinionem eradat, (sic enim loquitur) pro *Dei iustitia*, quæ in nobis & nostra est, *Dei misericordiam*, quæ extra nos est, substituit: pro effectu causam, pro fructu radicem, pro cōplemento principium vafre & veteratoriè supponit. Quod ab attento lectore diligenter notandum. Durum enim & inuidiosum satis esse aduertebat Caluinus, si apertè diceret, *iustitia Dei per fidem* (quam ipsemet antea fatebatur

Misericordia Dei & iustitia Dei per fidem differunt.

Ephes. 2.

batur *eam esse quam homini Deus communicat*) *omnem operum opinionem tolli & eradi oportere.* Molliori verbo vti voluit, *misericordiæ Dei*: cui opera nostra non admiscere oportere, oratio satis honesta videtur. Quia quum de misericordia Dei agitur, semper *præuenit nos* Psal. 111. *Deus in benedictionibus suis*, & opera nostra nullum illic meritū habent. Tales astutiæ Caluino familiares sunt, quibus incautos lectores capit. Pergamus iam.

Neque verò me latet (ait Caluinus) *Augustinum secus exponere. Iustitiam enim Dei esse putat regenerationis gratiam, & hanc gratuitam esse fatetur, quia Dominus immerentes Spiritu suo nos renouat. Ab hac autem opera legis excludit, hoc est, quibus homines à seipsis citra renouationem conantur Deum promereri.* Ecce Augustini sententiā suæ contrariā agnoscit Caluinus, & contemnit. Quomodo autem eam in sequentibus refutet, mox videbimus. *Mihi etiam plus satis notum est, quosdam nouos speculatores hoc dogma superciliosè proferre, quasi hodie sibi reuelatum.* Sibi ipsi cōtradicit Caluinus. Si noui isti quos dicit speculatores hoc dogma, quod Augustinus docuit, protulerunt, profectò nō noui speculatores, sed tā antiqui dogmatis, quàm antiquus Augustinus est, explicatores fuerunt. Sūt autē, de quibus loquitur, Osiandrini, in quos ad hunc locum copiosè inuehitur Philippus Melanchthon. Nec hoc Augustini dogma illi proferūt, sed longè aliud, idemque

Augustini sententiā agnoscit Caluinus, & cōtemnit.

idemque stultissimum, nempe essentialiD iustitia, qua ipse Deus iustus est, nos qu que ab eo iustos fieri. Quod ab Augustin doctrina diuersissimum est, quum iustitia Dei semper illam esse neget qua ipse Deu iustus est, & illam esse semper doceat quam nobis largitur, non essentiam suam communicando, sed dona gratiæ suæ impertiendo Nunc vt sententiam orthodoxam ab Augustino traditã & ab Ecclesia Dei semper agnitam, conuellat Caluinus, dispiciamus.

Sed Apostolum (inquit) *omnia sine exceptione opera complecti* (in illis verbis, *sine lege*) *etiã quæ Dominus in suis efficit* (id est, ipsa opera renatorum, facta in fide, & per gratiam Christi) *ex contextu planum fiet. Nam certè regeneratus erat Abraham, & Spiritu Dei agebatur, quo tempore iustificatum fuisse operibus negat. Ergo à iustificatione hominis non opera tantùm moraliter bona, vt vulgo appellant, & quæ fiunt naturæ instinctu, excludit, sed quæcunque etiã fideles habere possunt.*

Augustini expositio de doctrina legis, non operibus, contra Caluinũ defenditur.

Primùm, obseruanda est alia Caluini impostura. Dicit, Apostolũ hoc loco, in illis verbis, *Sine lege*, omnia sine exceptione opera complecti, *ex contextu planum fieri*. Nec tamen ex contextu huius loci vnum verbũ adfert, sed ex verbis capitis sequentis disputat, quæ ad huius loci contextum non spectant. Sic primò lectorẽ fallit. Deinde, quod de Abraham adfert, proximo capite, suo loco, discutietur; planumque fiet, Abrahã ex operibus

Impostura Caluini.

iusti-

iustificatum esse, ab Apostolo negari, non quia opera in fide facta non iustificant, (vt hîc Caluinus colligit) sed quia, si Abrahami opera sine fide facta fuissẽt, eum coram Deo non iustificassent. Hic vnus de Abrahæ operibus locus, perpetuus est hæreticorũ Achilles ad iustitiam operum debellandam, & perpetuum eorum effugium atque asylum ad eã declinanda quæ pro bonorum operum iustitia apertissimè in Scripturis dicuntur. Quem idcirco (vt dixi) suo in loco accuratè expendemus.

Pergit Caluinus: *Deinde si illa est iustitiæ fidei definitio, Beati quorum remissæ sunt iniquitates; non disputatur de hoc vel illo genere operum, sed, abolito operum merito, sola peccatorum remissio iustitiæ causa ponitur.* Rursum ex præsenti contextu nihil disputat, sed ex verbis seq. capitis. Rectè autem dixit, *si illa est iustitiæ definitio*, &c. quia reuera nihil minùs quàm iustitiæ definitio, sunt illa Dauidis verba à Paulo citata, vt in proximo capite, suo proprio loco, ostendemus. Hîc enim nihil aliud Caluinus quàm ante victoriam triumphum canit; & quum in omni disputatione priùs probandum, postea ponendum & asserendum sit, Caluinus ponit antequam probet: concludit & quasi concessum sibi sumit, quod & inprimis negari compertum habet, & nullo argumento comprobauit. Hæc igitur in alium locum differenda sunt, vbi, quod hîc ponit Caluinus,

Caluini argumentatio insulsa.

nus, absurdissimè poni docebitur. Alioqui conditionaliter argumentanti, *Si illa iustitiæ definitio est*, hoc & illud sequitur; conditionaliter & breuiter responderi potest, *Si illa iustitiæ definitio non est*, nec hoc nec illud sequitur. Pergit Caluinus:

Putant hæc duo optimè conuenire: fide iustificari hominem per Christi gratiam, & tamen operibus iustificari quæ ex regeneratione spirituali proueniãt, quia & gratuitò nos Deus renouat, & eius donum fide percipimus. Omnino Augustini hæc doctrina contra Pelagianos fuit, adeoque omnium ante & post Augustinum in Ecclesia Dei Patrum. Quid ad hoc Caluinus? *At Paulus* (inquit) *longè aliud principium sumit. Nunquam scilicet tranquillas fore conscientias, donec in solam Dei misericordiam recumbant.* Expectamus vt hoc ex Paulo probet Caluinus. Neque enim qui Augustino & alijs Patribus fidem habendam negat, eam sibi habendam esse (opinor) postulabit. Illud conatur facere. *Ideo* (inquit) *alibi postquam docuit Deum fuisse in Christo vt homines iustificaret, modum simul exprimit, non imputando illis peccata.* Modus quidem iste est quo Deus in Christo homines iustificat: sed non est totus & vnicus modus, in quo lectorem fallit Caluinus. Deus in Christo homines iustificat non solùm non imputando peccata, sed etiam intus in corde renouando, vt opera iusti tiæ proferant. Quod idem Paulus alibi Caluinum docet: *Non ex operibus iu-*

Iustificatio ex operibus gratiæ à Caluino impugnata defenditur.

Tit. 3.

stitiæ

stitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis (hic est remissio seu non imputatio peccatorum, qua reconciliamur Deo) *& renouationis Spiritus Sancti quem effudit in nos abunde.* Hîc est illa regeneratio spiritualis, & gratuita renouatio interna, ex qua opera bona prouenitur, in illis qui per Christi gratiâ iustificantur. Hic est alius ille modus quo Deus in Christo homines iustificat, non solùm *non imputando peccata*, sed etiam per Spiritum suum, *quem effudit in nos abunde, per abundantiam gratiæ suæ*, intus in corde renouando, *& creando in bonis operibus, vt ambulemus in illis.* Rom. 5. Ephes. 2.

Porrò & hîc iterum lectorem fallit Caluinus, & aliud pro alio supponit. Non enim dicit Apostolus, *Deum fuisse in Christo vt homines iustificaret, non imputando illis peccata*, sicuti eum dicere affirmat Caluinus; sed Apostolus dicit, *Deum fuisse in Christo vt homines sibi reconciliaret, non reputando illis peccata ipsorum.* Vtitur (inquam) verbo recõciliationis, non verbo iustificationis. Latiùs hæc vox patet quàm illa. Reconciliatio principium tantùm iustificationis notat, & remissionem peccatorum significat: quem propterea vnicum modum Apostolus illic posuit. Iustificatio totum Dei opus significat quo impium iustificat, non solùm non imputãdo peccata, sed etiam intus in corde renouando per Spiritum S. quem effundit abunde: & inprîmis Caluinus Apostoli verbum extrudit, vt suum supponat. 2. Cor. 5.

Rom. 5. *charitatem diffundendo in cordibus eorum per Spiritum S. qui datus est illis*, vt alibi Apostolus docet. Sic iterum Caluinus non solùm in tota doctrina Apostolica, sed etiam in verbis & litera ipsa Apostolica lectorem fallit, impostor perpetuus, & omnium, qui hac ætate scripserunt, vaferrimus, ideoque deterrimus. Sed & hæc Apostoli verba suo quoque loco tractabimus. Pergit Caluinus:

Gal. 3. 12. *Similiter ad Galatas legem fidei contrariam, quoad iustificandi effectum, ideo facit, quia vitam promittit facientibus quod iubet. Atqui lex non literalem operum laruam duntaxat præcipit, sed sincerum Dei amorem. Sequitur ergo, in fidei iustitia nullum operum meritum admitti.* Breuiter respondeo (nam latiùs postea suo loco) legem ab Apostolo fidei opponi quasi contrariam quoad iustificandi effectum; legem quoque sincerum Dei amorem & internam animi iustitiam præcipere; sed non sic nec ex ea parte opponi legem fidei, *quia vitam promittit facientibus quod iubet*, vt Caluinus asserit, quasi iustitia fidei eandem vitam non promitteret ea facientibus quæ fides iubet; verùm ideo & ex ea parte opponi, quia lex iubet tantùm ac promittit tantùm, præcipiendo & promittendo; fides autem id quod iubet impetrat, id quod promittit præstat. Vtraque requirit opera tam lex quàm fides. Iustitia fidei est, *Non regnet peccatum in mortali corpore vestro*, & illa omnia quę Paulus postea cap. 6. & 8. disputabit *de lege Spiri-*

Lex quomodo fidei opponitur.

Spiritus vitæ (quã fides adfert, non lex) *quæ liberauit nos à lege peccati & mortis.* Sed lex extrinsecus tantũm iubet, & terret: fides in Christũ gratiam impetrat, qua id fiat, & suauiter fiat, quod lex iubet. Sequitur ergo, in fide iustitia, non (vt Caluinus dicit) *nullum operum meritum admitti*, sed omnia bonorũ operũ merita concludi. Pergit mentiri & fallere Caluinus:

Vnde cõstat friuolã esse cauillationẽ, nos in Christo iustificari, quia Spiritu renouemur, quatenus sumus Christi membra: nos fide iustificari, quia fide inseramur in Christi corpus: nos gratis iustificari, quia nihil in nobis Deus inueniat præter peccatum. Hæc omnia sanæ & orthodoxæ doctrinæ capita friuolas cauillationes cauillator friuolus vocat. Ex precedentibus ista constare affirmat. In ea affirmatione quantũ mẽtiatur, iudicet æquus lector. Nũc sua subiũgit Caluin⁹ axiomata: *Nam ideo in Christo iustificamur, quia extra nos.* Ex parte causæ iustificationis nostræ qua formaliter iusti sumus, id est, *qua filij Dei nominamur & sumus*, vt Ioãnes loquitur, ineptũ atque ridiculum est, ab eo nos denominari quod extra nos est, aut illud nos esse quod nõ sumus ipsi, sed alius extra nos est. Addit Caluinus: *Ideo fide, quia in solam Dei misericordiam & gratuitas eius promissiones nos recumbere necesse est.* Contrà affirmamus, & ex Scripturis affirmamus: Ideo fide, quia *accedentẽ ad Deũ oportet credere*, quia *sine fide impossibile est placere Deo*, quia à fide exordiẽdũ est. Rursũ ideo fide, quia fides

Caluini axiomata refutãtur.

Iustificatio ex fide quare.

I Hebr. 11.

impetrat omnem gratiam, vel quatenus non nisi credentibus in Christum datur gratia,
Ioan. 4. iuxta illud Christi: *Qui credit in me, fluent de ventre eius flumina aquæ viuæ*: vel quatenus
Augustin. de Spiritu & lit. c. 3 fides *orãdo impetrat, quod lex iubẽdo imperat.* Fides enim docet cõfugere ad Christũ, & ab eo petere quod lex iubet: vt non destruatur lex per
3. fidem, sed statuatur. Denique *ideo ex fide* (ait
Rom. 4. Apostolus) *vt secundùm gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solùm, sed & ei qui ex fide est Abrahæ*: id est, vt in vniuersum ad omnes, cuiuscũque nationis sunt, in Christum ex Dei gratia credentes, promissa benedictio & hæreditas cõferatur: vbi iterum fidei necessitas ad consequendam salutem ostenditur. Postremò *ideo fide, quia in Christo Iesu*
4. Gal. 5. *neque præputium neque circuncisio aliquid valet, sed fides per dilectionem operans*: id est, ad iustificationem & salutem per Christum consequendam, neque Gentilem neque Iudæum fuisse, quicquam ad rem facit, sed fidem habere quæ per dilectionem perficiatur. Has & alias causas cur ex fide iustificemur, Scripturæ docent. Quod autem Caluinus adfert, *ideo fide, quia in solam Dei misericordiam & gratuitas eius promissiones nos recumbere necesse est*, nec in Scripturis habetur, & valde mancum ac mutilum est. Nõ enim ideo fide iustificamur, quia in hoc vnum obiectum, quod Caluinus commemorat, recũbere aut huic vni inniti necesse sit: sed ideo fide iustificamur, quia

Fides non propter vnum obiectum iustificat, sed propter multa.

omnem

omnem veritatem diuinitus inspiratam credere necesse est. Quod hoc vno argumento contra omnes Caluinistas inuictè demõstratur. Dicit Apostolus: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Atqui confessio oris ad salutem necessaria, totam veritatem diuinitus reuelatam complectitur, nõ solam Dei misericordiam, & gratuitas eius promissiones. Ergo fides cordis ad iustitiam necessaria, id est, fides iustificans, totam veritatem diuinitus reuelatam complectitur, non solam Dei misericordiam, & gratuitas eius promissiones. Pergamus iam cum Caluino: Rom. 10.

Ideo gratis, quia nos sibi reconciliat Deus peccata sepeliendo. Istud parum aut nihil differt ab eo quod pro orthodoxa sententia priùs allatum fuit, *ideo nos gratis iustificari, quia nihil in nobis Deus inueniat præter peccatum.* Quũ enim omnes quos Deꝰ iustificat, in peccatis inueniat, eorũ peccata sepeliendo, vel potiùs cõdonando, & non imputando ad pœnam, eos reconciliando gratis iustificat. Atque hæc est prima illa iustificatio seu reconciliatio, qua Deus iustificat impium, id est, ex impio facit iustum. De qua propriè in hac Epistola Paulus disputat, quum fide iustificari omnes docet. Displicet hoc Caluino, & reconciliationem gratuitam, qua Deus iustificat impium, perpetuam vult esse hominis iustitiam: id est, quos Deus habet pro iustis, vult esse perpe- Iustificatio gratuita.

tuò impios, qui perpetua & gratuita reconciliatione indigeant. Sic enim post gratuitã iustificationem, *qua Deus nos sibi reconciliat peccata sepeliendo*, prosequitur: *Neque verò adiustitiæ initium id restringi potest, quemadmodum illi somniant.* Quare verò? *Nam* (inquit) *& illa definitio, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, in Dauide locum habuit, quum diu se exercuisset in Dei cultu; & Abraham post tricesimum vocationis suæ annum, tametsi rarum exemplar sanctitatis fuerit, non habet opera quibus glorietur apud Deum: atqui ideo, quòd promissioni credit, imputatur illi in iustitiam.* Neutrum exemplum iuuat Caluini impietatem. Illa sententia, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*, in Dauide locum habuit, non quando in Dei cultu se exercuit (nisi fortè hoc ipsum pro iniquitate Caluinus habeat) sed quando abiecto Dei cultu, adulterio, homicidio, & superbia, numerando populum sibi subiectum, aliisque fortè grauibus criminibus Deum offendit. Abraham habuit opera quibus apud Deũ gloriari potuit, *& ex quibus iustificatus est, immolando filium suum*, nisi mentiatur Iacobus, qui hoc dicit: nec à Paulo negatur habuisse opera ex quibus iustificabatur, sed negatur iustificari ex operibus, simpliciter & per se sumptis, atque à fide seiunctis: quam ob causam fidem Abrahæ commendat, quæ cum ipsius bonis operibus coniuncta fuit. Pergit Caluinus:

Impia Caluini doctrina de perpetua filiorũ Dei impietate.

Iac. 2.

Et

Et quum Paulus tradit Deum homines iustificare peccata non imputando, concionem recitat quæ quotidie in Ecclesia repetenda est. Verum hoc est propter multos in Ecclesia peccatores, *qui semel illuminati, &c. prolapsi sunt, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ad vomitum redeuntes,* qui noua per Christum reconciliatione indigent. Sed talis reconciliatio in huiusmodi, nouum est iterum iustitiæ initium, *& prima stola* denuo reddita: non est perpetua aliqua iustificationis nostræ ratio. Eadem sanè concio de peccatis quotidianis & leuioribus, quibus vita iustorum non caret, intellecta, perpetua est in Ecclesia Dei: cuius quotidiana vox est & verax, *Dimitte nobis debita nostra.* Sed non distinguit Caluinus flagitia & scelera impiorum, *quæ qui agunt, regnum Dei non possidebunt,* à lapsibus iustorum, *in quibus offendimus omnes.* Pergit Caluinus;

Hebr. 6.

Luc. 15.

Gal. 5.

Iac. 4.

Et illa pars conscientiæ, quæ operum respectu turbatur, non vnius est diei, sed in totam vitam durare debet. Monstri hîc aliquid alit Caluinus, & sententiæ suæ turpitudinem verbis concisis & obscuris (more suo) tegit. Sed eam in lucem proferemus. Carnificinam conscientiæ, qua impij homines propter opera scelerata & flagitiosa turbantur, vult Caluinus non vnius diei, sed totius vitæ humanæ esse. Quid hac sententia prodigiosius efferri potuit, loquendo de regeneratis in Christo, & fide iustificatis, de quibus nunc sermo est? Impio-

Conscientiæ carnificinam perpetuã docet Caluinus.

Ephes.2. rum sanè hominum, *qui sine Deo in hoc mundo viuunt*, conscientia per totam fortè vitam turbatur, quia *nō est pax impijs, & viam pacis non cognouerunt*, *sed quasi mare feruens cor eorum.* Esai.48. Psal.13. Esai.57. qui perpetuam conscientiæ turbationem carnificinam in regeneratis ac iustificatis per Christum ponere, vt sic perpetua illa reconciliatione cum Deo indigeant, qua iustificet impios, id est, qua ex impijs iustos facit, nihil aliud est dicere, quàm totam hominis Christiani vitam, adeoque iustitiam fidei, perpetuum esse scelerum ac flagitiorum statum Christi gratiam neminem in iustitia & sanctitate renouare, sed in pristinis flagitijs manentes, de die in diem, de hora in horam Deo Patri reconciliare. Hnic prodigiosæ blasphemiæ refutandæ nō immorabor, quam & innumeræ Scripturæ confodiunt, & ipsamet seipsam apud quemlibet pietatis amantem primo statim aspectu prodit. Audiamus iam conclusionem eius:

Vnde sequitur, non aliter nos esse iustos vsque ad mortem, nisi quia in solum Christum respicimus, in quo nos Deus adoptauit, & nunc acceptos habet. Ex falsis antecedentibus concludi nulla veritas potest. Ideo, reliqua disputatione falsitatis conuicta, non est quòd de conclusione laboremus: tamen, quia speciem pietatis oratio habet, laruam illam detrahemus. Non aliter sanè iusti sumus vsque ad mortem, nisi in solum Christum respiciendo, quia Deus

Iustificatio quomodo Christum perpetuò respicit.

per

per Christum non solùm nos sibi reconciliat iustificans impios, (quod solum considerari Caluinus vult) sed quia iam reconciliatos, ablutos, iustificatos, *nouam in Christo facit creaturam*, dona gratiæ per Christum perpetuò subministrans, *vt in sanctitate & iustitia seruiamus Deo omnibus diebus vitæ nostræ*, & sic vsque ad mortem iusti simus, *nō seruiendo immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem*, (vt Caluinus vult, cum perpetua conscientiæ turbatione) *sed seruiendo iustitiæ in sanctificationem*, vt Apostolus affirmat. Nam *in Christo Deus nos adoptauit, & nunc acceptos habet*, quia per *redēptionem à Christo* factam *mundauit sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum*, & acceptos habet, *qui faciunt voluntatem Patris eius*; adeò sanè acceptos, vt illos *pro fratribus, sororibus, & matre habeat*: non autem in suis flagitijs & sceleribus manentes, quorum conscientia propter opera turbatur, idque per totam vitam. Pergit post fallacem conclusionem, ad postremum tandem hoc loco corollarium Caluinus.

Gal. 6. Luc. 1. Rom. 6. Tit. 2. Matt. 12.

Hinc quoque refellitur eorum cauillum, qui falsi nos insimulant, quia ex Scriptura haberi asserimus nos sola fide iustificari, quum particula exclusiua nullibi in Scripturis extet. Atqui si & sine lege & extra nos est iustificatio, cur non solius misericordiæ censetur? Si solius misericordiæ est, ergo solius fidei. Hoc postremum eius corollarium adeò impiam de sola fide doctrinam non tuetur, vt

Sola fides à Caluino stabilita euertitur.

eius

eius turpitudinem vel maximè arguat. Nam
nec vera sunt quæ quasi concessa sumit; nec
quod ex concessis infert, vllam consequen-
tiam habet. Non est verum quòd *sine lege ius-
tificatio* in sensu Caluini, id est, sine operum
fidei iustitia: verum est in sensu Apostoli
iustitiã Dei sine lege esse manifestatam, id est, absq;
quæ necessaria doctrina legis per Euãgelicam
prædicationem esse toto orbe reuelatam, vt
iam explicatum est: nec hoc iustitiam ope-
rum, quæ lex docet, excludit, quando ex fide
Iesu Christi fiunt. Quare vt sine lege in sen-
su Apostoli, sic omnino cũ lege in sensu Cal-
uini, fit in nobis iustificatio. Rursum, non est
verum quòd *extra nos est* iustificatio. Iustifi-
camur enim à Deo Saluatore nostro *per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde*. Hæc renouatio
non est extra nos. Hæc effusio Spiritus San-
cti in nos, quæ est *charitas diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*, est
maximè intra nos. Denique si extra nos est
iustificatio, adeò sola fide non iustificamur,
vt nec ex ipsa fide aliqua fiat iustificatio. An
enim ipsa fides extra nos est? An *donum Dei
in nobis* non est? An non opus est quod nos
operamur? Actus fidei qua creditur in Chri-
stum, an ipsius credentis actus non est? Actus
autem agentium in ipsis agentibus esse quis
dubitat? Ita, vt dixi, nec vera sunt, quæ hîc
Caluinus garrit, & contra eum concludunt,

Iustificatio non est extra nos. Tit. 3.

Rom. 5.

Ephes.

solam-

solamque eius fidem euertunt, nō stabiliunt. Quod autem infert, *cur non solius misericordiæ tensebitur?* nulla est ex præmissis conclusio, quæ videlicet non secus ex contrarijs consequetur. Iustificatio enim nostra, tametsi ex lege sit, id est, ex iustitia operum fidei, qualia lex docet; & tametsi intra nos sit, id est, internam renouationem nostram in se complectatur; nihilo secius solius Dei misericordiæ censebitur. Nam opera fidei quum sint opera gratiæ Dei, & renouatio interna quum sit purum Dei donum, tametsi nec illa exerceantur ab homine, nec ista recipiatur in homine, absque ipsius hominis libera cooperatione, solius tamen misericordiæ totum erit, quia ipsa cooperatio libera non nisi per adiuuantem Dei gratiam fieri potest. Quare qui opera iustitiæ prædicant, & renouationem internam vnam iustificationis nostræ partem ponunt, totum Deo tribuunt, totum misericordiæ Dei assignant, quum tam initium quàm progressum, tam velle quàm perficere Deus operatur. Ex quibus omnibus postremū Caluini enthymema quàm insulsum ac ridiculum sit, liquidò patet. *Si solius* (inquit) *misericordiæ, ergo solius fidei est.* Iam enim demonstratum est, non solam fidem, sed & ipsa opera fidei, ipsamque totam renouationem internam, ex misericordia Dei prouenire. Deinde, iuxta hoc enthymema, sola fides misericordiæ Dei deputabitur:

Misericordia Dei sola solā fidem iustificantē non probat.

nec

nec vlla alia, quantumcunque bona, ex
misericordia promanare dicentur. Quem
admodum enim ex isto enthymemate, Si
solo Deo est generatio arborum & plan
rum, ergo solius humidi censebitur, neces
riò sequetur, solum humidum Deo attribu
& alia, quæ ad generationem concurrun
Deo tribuenda non esse, puta calidum
culturam; sic ex hoc Caluini enthymema
Si solius misericordiæ Dei est iustificatio, ergo solu
fides est, sequetur necessariò solam, fidem D
misericordiæ attribui, & alia, quæ ad iustifi
cationem & salutem hominis concurrunt
Deo tribuenda non esse; puta ipsam chari
tatem, spem, pœnitentiam, totamque in
ternam renouationem. Sed quemadmodum
illud enthymema absurdum, sic hoc Caluini
impium est. Quemadmodum in generatio
ne arborum & plantarum, non solum hu
midū, sed & calidum, & alia cultura, ipsaque
inprimis terræ bonitas ac dispositio à Deo
sunt, & ab ipsius concursu generali depen
dent; sic in iustificatione hominis totaque
eius salute procuranda, ex misericordia Dei
eiusque speciali concursu & auxilio, non so
la fides, sed charitas, spes, pœnitentia, alia
que necessaria, & ipsa inprimis interna re
nouatio nouaque regeneratio promanant.
Hoc ita clarè vno verbo Paulus docuit, vt
hanc impiam Caluini collectionem lucu
Tit 2. lenter refutet. Ait Paulus; *Secundùm miseri*
cordiam

cordiam suã saluos nos fecit. Sed quomodo? *Per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus Sancti, quem effundit in nos abunde.* Non igitur sola fides, sed tum lauacrũ seu baptismi Sacramentum, quo accepta peccatorum remissione regeneramur, tum tota interna renouatio Spiritus S. quem Deus effudit in nos abunde, id est, cuius varia dona copiosè nobis largitus est, ex Dei misericordia proueniunt. Impia igitur & prorsus insulsa est hæc postrema Caluini consequentia: *Solius misericordiæ est iustificatio, ergo solius fidei.* Atque hæc de Caluini hoc loco disputatione operosa, qua & Apostoli textum deprauare, & futuris adhuc in Paulo deprauationibus suis hoc fundamentum substernere voluit, hactenus dicta sint.

23. *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.*

HAnc sententiam, quæ omnes in Christo nondum iustificatos concernit (nam de illis tam Iudæis quàm Gentibus hactenus Paulus disputauit, docens *omne os obstrui, & omnem mundum subditum esse Deo*, id est, obnoxium iræ Dei absque iustitia fidei nunc in Euangelio reuelata) impius Beza ad ipsos in Christo iustificatos contorquet. *Hoc* (inquit) *verbum ὑστερεῖσθαι propriè de ijs dicitur qui relinquuntur à tergo, ita vt ad metam peruenire non possint. Quod ijs optimè conuenit, qui Dei veritatem in iniustitia detinent, id est omnibus hominibus regeneratis*

Bezæ manifesta impietas.

neratis. Quid magis impium dici potu
quàm omnes homines regeneratos Dei ve
tatem in iniustitia detinere? id est, vt supr
exposuit, *sacrilegij reos esse, quum eum, quē Deu
esse norunt, non tamen ita vt par est colunt:* qu
Apostolus (vt suprà exposuimus) de sol
Philosophis Gentiliū dixit, qui *Deum cogn
centes, eum non sicut Deum glorificauerunt,* n
creaturas nihilominus pro Creatore cu
vulgo infidelium coluerunt. Sic igitur hu
locum exponit Beza: *Ad gloriam Dei, quæ h
loco vitam æternam significat, quo minùs possint ho
mines peruenire, testatur Apostolus omnes homi
eo impediri, quòd sint peccato contaminati, vt op
teat omnes vel à gloria Dei excludi, vel aliunde mu
gram illam puritatem ac iustitiam mutuari, qua
necesse est adferat quisquis gloriæ Dei particeps
cupit.* Hic quidem scopus est impiæ interpr
tationis, vt iustitiam imputatiuam statua
Sed obseruet lector, sic nunc illam à Bez
statui, vt non solùm omnes peccato conta
minari asserat (quod aliquo sensu verum
esse potest, propter peccata venialia, nec ta
men aut veram iustitiam, aut gloriæ cælestis
consecutionem illud impedit) sed etiam
omnes in summo quasi impietatis gradu cō
sistere. Summa enim impietas est eorum qui
veritatem Dei in iniustitia detinent, quam plur
mis verbis cap. 1. Apostolus explicauit: *Mu
tauerunt gloriam incorruptibilis Dei in imagi
nem corruptibilis hominis, &c. Propter quod tra
didit*

didit eos Deus in desideria, in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis. Qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & seruierunt creaturæ potiùs quàm Creatori. Hæc omnia tum illo in loco ad omnes omnino homines Beza pertinere vult, tum hîc explicatius dicit, *etiam omnes regeneratos* in eorũ numero esse. Obseruet ergo Lector, quòd imputatiua hæreticorum iustitia, non propter defectum & imperfectionem iustitiæ nostræ, quæ totam legẽ non implet, & aliquo semper peccato contaminatur (vt alibi prætexere solent) sed propter summam turpitudinem & impietatem in omnibus regeneratis adhuc manentem, ab illis statuitur. Sic quicquid alibi de fructibus & notis iustitiæ & gratuita filiorum Dei obedientia, quasi finali causa iustificationis nostræ per Christum disputant (vt accuratè docet Caluinus in Harmonia) nihil aliud esse intelligere debemus quàm ad populũ phaleras, fucũ quendam, & hypocrisim ad Epicuream doctrinam, quam animis fouent, (de summa omnium & singulorum turpitudine & impietate) quoquo modo contegendam.

Imputatiua hæreticorũ iustitia cũ summa impietate cõfistit.

In cap. 1. Lucę vers. 73.

24. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, &c.*

HOrum temporum hæretici ex his verbis minimè intellectis, aut certè studio deprauatis, impiè docent, omnem nostram in hac vita iustitiam nihil aliud esse, quàm gratuitam

Imputatiua iustitia.

tuitam imputationē redemptionis per Chri-
ſtum factæ, eiuſque ſanctitatis & iuſtitiæ quæ
in Chriſto erat, nobis eā fide apprehendē-
tibus. vt iuſtificari gratis hoc loco ſit, habere
perpetuam iuſtitiam coram Deo planè gra-
tuitam, ſine vllo vnquā opere noſtro, quod
iuſtitiam conferat; gratia verò ſit fauor Dei,
nos acceptans propter redemptionem, id eſt,
remiſsionē peccatorū perpetuam per Chri-
ſtum ſemel factam, mediante fide noſtra in
Chriſtum, eiuſque mortem ac ſanguinem.
Sed toto cælo errant, ſeque ipſos & alios to-
to cælo excludunt. Nam iuſtificari hoc loco
ſignificat, non iuſtos coram Deo cenſeri, vt
Caluinus hîc nugatur, ſed reconciliari Deo,
& primam iuſtificationem, per quam ex im-
pio homo fit iuſtus, conſequi. *Omnes peccaue-
runt* (ait Paulus) *& egent gloria Dei, iuſtificati
gratis*. Loquitur de Gentibus & Iudæis non-
dum in Chriſto iuſtificatis. In hac prima iu-
ſtificatione & remiſsione peccatorum, ſimul-
que interna renouatione, iuſtificamur gratis,
ſine præcedentibus bonis operibus quæ ali-
quid mereantur ad hanc conſequendam iu-
ſtificationem, ſed non ſine legitima per actus
multarum virtutum diſpoſitione: non ſine
fide (vt ipſi docent hæretici) non ſine chari-
tate, ſpe veniæ pœnitentia, & ſimilibus actio-
bus ex ſpeciali & præueniente Chriſti gratia
procedentibus. Sic hæc verba Pauli exponit
Epiſt. 105. Auguſtinus: *Vt iuſti fierent homines, me ita non*
fuerunt;

Iuſtificatio merè gratuita, eſt prima reconciliati cum Deo.

fuerunt; iusti enim facti sunt cùm iustificati sunt: sed, sicut dicit Apostolus, iustificati gratis per gratiam ipsius. De huius gratiæ commendatione maximè ad Romanos Apostolica epistola loquitur. Ea est enim qua iustificatur impius: id est, fit iustus qui priùs erat impius. Hæc ille. Porrò gratiã Dei exponit S. Augustinus non fauorem Dei externum, & acceptationẽ quandam, vel, vt Caluinus fingit, ipsius Christi communicationem cum ea quæ in ipso erat iustitiâ nobis imputanda, sed prorsus donum internũ virtutum à Deo infusarum, quibus formaliter iusti sumus. Vnde in eadem epist. 105. *Nemo iustificatur nisi gratia Dei, non solùm remissione peccatorum* (vt volebant olim Pelagiani, volũt & hodie hæretici) *sed priùs inspiratione fidei & timoris Dei.* Rursum alio in loco: *Istam gratiam qua iustificamur, id est, qua charitas Dei infunditur in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis, in Pelagij scriptis numquam legere potui* Hæc ille. Sic nec in hæreticorum hodie scriptis illam gratiam vnquam legi. Iterum alio in loco: *Iustificati gratis per gratiam Christi, cuia gratia in interiore homine renouato iustitia scribitur, quam culpa deleuerat.* Et adhuc apertiùs eodem in libro: *Iustificati gratis per gratiam ipsius, quia nec per legem nec per propriam voluntatem iustificamur* (scil. vt causas iustificationis nostræ, eam per modum meriti præcedentes) *sed per gratiam Christi, quia etsi sine voluntate nostra non fiat* (qua videlicet excitanti & oblatæ gratiæ assenti-

De gratia Christi, cap. 30.

De Spir. & liter. cap. 27.

De Spir. & lit. c. 6.

mur) *tamen sanat priùs gratia voluntatem* (id est, nouas illi vires tribuit) *vt sanata voluntas impleat legem*. Hæc ille. Sententia igitur Apostoli hæc est: *Omnes egent gloria Dei, iustificantur* seu ex impijs iusti facti, gratis absque vllo
Tit. 3. merito suo, *non ex operibus quæ fecimus nos, sed per gratiam ipsius* nos intus renouantem, quæ potissimùm charitas est, diffusa in cordibus nostris, *per redemptionem quæ est in Christo Iesu*, propter meritũ redemptionis factæ per Christũ, quæ est causa gratiæ nobis collatæ. Nam
Ioan. 4. *dum enim fuit Spiritus datus, quia nondum fuit Iesus glorificatus. Per fidem in sanguine ipsius*, id est, mediante fide in passionẽ & mortem Christi non quia illa fides è verbo concepta, sola sit formalis (vt Caluinus loquitur) seu instrumentalis causa, sed quia nõ nisi credentibus in Christũ datur illa gratia Dei intus renouans atque iustificans. Et hoc totum *ad ostensionem iustitiæ suæ*, vel quam Deus exegit ad iustam redemptionem nostram, (vt præclarè ostendit August. de Trinit. lib. 13. cap. 13 & seqq.) si ad postremum verbum, de sanguine Christi respexit Paulus; vel qua alios iustos facit, sicuti dici solet ostensio quædam diuitiarum, qua per hominem diuitem alij ditantur, si ad totam præcedentẽ sententiam Apostolus respexit. Sed priorem sensum sequentia in Paulo verba magis insinuant: *in sustentatione Dei, ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore, vt sit ipse iustus*, non parcens filio suo,

& iustificans eum qui est ex fide Iesu Christi: id est, & pariter misericors in iustificando credentes: vt sic misericordia & veritas obuiauerint sibi, iustitia & pax osculatæ fuerint. Psal. 84. 14.

27 *Exclusa est gloriatio tua, non per legem factorum, sed per legem fidei.*

Operum iustitia.

MVltum placuit hic locus hæreticis, qui intelligunt legem operum esse illam quæ opera præcipit, legem fidei esse illā quæ fidem præcipit. Quum igitur *lex fidei omnem gloriationem de iustitia excludat* (ait Caluinus) *iustitia operum cum iustitia fidei sociari non potest.* Hæc ille Institut. libro 3. cap. 11. num. 13. Nec multò aliter Beza: *Lex fidei, id est, doctrina Euangelica, quæ salutem proponit sub conditione, Si credideris; quam conditionem Dominus gratis dat vt implere possimus; opponitur legi operum, id est, omni doctrinæ quæ salutem promittit cum conditione, Si omnia feceris, quam vnus Christus pro nobis impleuit. Illa igitur omnẽ gloriationem tollit, vtpote quæ iustitiam, ac proinde salutem non acquirendam à nobis, sed ab alio nobis quæsitam donet; idq; vnum flagitat, vt donatam velimus fide recipere; denique efficiat vt velimus.* Sed contra peruersas & impias hasce Apostoli corruptiones sic disputat S. Augustinus: *Lex factorũ ipsa est quæ dicit, Non concupisces, quia per illam est cognitio peccati. Volo igitur scire si quis mihi dicere audeat, vtrùm lex fidei non dicat, Non concupisces. Si enim non dicit, quid causæ est cur non in ea positi securi atque im-*

In Annotat. in hunc locum.

punè peccemus. Hoc enim & illi putauerunt Apo-
lum dicere, de quibus ait: Et sicut quidã dicimur
Rom 2. *dicere, Faciamus mala vt veniant bona, quorũ dam-*
Lex fidei *natio iusta est. Si autem dicit etiã ipsa lex fidei No*
præcipit *concupisces, sicut tam multa præcepta Euangelica*
opera. *Apostolica testificari & clamare non cessant, qua*
lex factorum etiam ipsa non dicitur? Aut quare p
illam excluditur gloriatio, quum & per illam s
cognitio peccati? Quid interest, breuiter dicã. Q
operũ lex minando imperat, hoc lex fidei credẽdo im-
petrat. Lege operũ dicit Deus, Fac quod iubeo. Le
fidei dicitur Deo, Da quod iubes. Ideo enim iubet l
vt admoneat quid faciat fides: id est, vt cui iube
si nondum potest, sciat quid petat; si autem contin
potest, & obedienter facit, debet etiam scire quo
nante possit. Hæc ille de Spiritu & lit. cap. 1
Et paulò pòst cap. 20. adhuc clariùs: *Nem*
lege operum iustificatus est qui iam iustus est, sed
lege fidei, qua scilicet credidit nullo modo posse s
infirmitati ad implenda ea quæ lex factorũ iubet,
nisi diuina gratia, subueniret. Hæc ille. Gloriatio
ergo excluditur per legem fidei, quia doce
fides, non ex nobis sed ex Dei gratia nos iu-
De Spiri- stos fieri: &, vt alio in loco Augustinus scribit,
tu & lit. cap. 10. *quia per legem fidei quisque cognoscit si quid bon*
viuit, ex Dei gratia se habere. Per legem factor
rum non excluditur gloriatio; quia qui per
sola opera sua sine Dei gratia se iustificari
putat, in seipso gloriatur. Propter quod
Ephes. 2. Apostolus alibi dixit: *Gratia saluati estis per*
fidem, non ex operibus, ne quis glorietur.

Hæc ci

Hæc est ergo iuxta S. Augustinum gratiæ Christi prædicatorē maximum & iuxta veteris Ecclesiæ fidem, vera oppositio inter legem factorum & legē fidei. Oppositio quam fingit Beza, vt lex fidei solam conditionem credendi, lex operum conditionem omnia faciendi ad salutem necessariam proponat, nouella est, commentitia est, & disertissimis Pauli verbis cōtradicit qui cōditionē faciēdi non secus quàm credendi ad salutem necessariam clarissimè docet. *Si secundùm carnem vixeritis, morieminī.* Quo vno verbo omnia peccata carnis, quæ ad Gal. 5. enumerat, complectitur *Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Quo vno iterum verbo omnia virtutū opera quæ spiritus aduersus carnem pugnans producit, & opera seu fructus spiritus vocat Paulus eodem in loco, vbi & illa similiter enumerat, cōplectitur De qua perpetua pugna & militia ad salutem necessaria alibi dicit: *Nisi quis legitimè certauerit, non coronabitur.* Non est ergo Euangelica doctrina, sed Satanica; nec lex fidei, sed commentum hæreticorum; sic proponi salutem sub conditione credendi, vt excludatur conditio faciendi omnia quæ Deus iubet. Imò cū Christo apertissimè hæc impia doctrina aduersa fronte pugnat: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Hîc proponitur ad salutem necessaria cōditio omnia faciēdi quæ Deus iubet. Sed nō est hæc aut Christi aut Pauli doctrina, illa

Bonorum operum conditio in iustitia fidei. Rom. 8.

2. Tim. 2.

Matt. 19.

na, illa lex factorũ aut illa lex operũ quam hîc legi fidei Paulus opponit, vt eruditè & sacris Scripturis conformiter exposuit Sanctus Augustinus.

Alia via incedit Caluinus vt hunc textum corrumpat, nec tã clarè & perspicuè vel expositioni S. Augustini, vel diuinis Scripturis sese opponit. *Gloriationem* (inquit) *hanc dubiè excluſam dicit, quia nihil poßumus noſtrum producere, quod Dei ſit approbatione aut commendatione dignum.* Verum hoc est de omni eo quod purè nostrum est, & absque Dei gratia productum. *Quòd ſi* (inquit) *materia gloriandi eſt meritum, ſiue illud de congruo ſiue de condigno nomines, quo homo ſibi Deum conciliet, hîc vtrũque euerti vides. Neque enim hîc de imminutione vel moderatione agitur, ſed Paulus ne guttam quidem reliquam facit.* Respondeo, ad conciliationem nostram cum Deo, de qua reuera hîc Paulus propriè agit, Catholica Ecclesia nullum ponit ex parte nostra meritum, vt in Conc. Tridentino perspicuè explicatum est. Nec materia gloriandi in seipso vllum meritum est, sed bene gloriandi in Deo, iuxta illud Pauli; *Qui gloriatur, in Domino glorietur*: quod numquam diceret, si gloriari in Domino non liceret. Sequitur in Caluino: *Deinde ſi per fidem tollitur operum gloriatio, vt non poßit fides purè prædicari, quin omnia Dei miſericordiæ deferendo prorſus hominem laude ſpoliet; ſequitur, nullis ad iuſtitiam conſequendam operibus nos adiuuari.*

Meritum ad primã iustificationem nullum.

2. Cor. 1.

uari. Hæc consequentia nulla est, futilis & ineptaest. Si quidem per fidē tolleretur operum executio aut necessitas, tunc bene sequeretur, nullis ad iustitiam consequendam operibus nos adiuuari. At non idem sequitur ex sublata operum gloriatione. Per fidē tollitur operum gloriatio, id est, talia opera, de quibus homo in seipso glorietur; ideoque bene sequitur, nullis huiusmodi operibus ad iustitiam consequendam nos adiuuari, ex quibus homo in seipso glorietur, tanquam videlicet à seipso & ex seipso factis, absque adiutorio gratiæ Dei. Nunc autem opera quibus homo ad iustitiam consequendā adiuuatur, sunt opera gratiæ Dei, & quæ Deus operatur in homine, ipso cooperante homine; vt tum Dei tum hominis opera sint quæcunque bene & laudabiliter ad salutem aut iustitiam consequendā operatur homo. Sic non in sola fide, sed & in istiusmodi operibus bonis omnia Dei misericordiæ deferendo, omni laude spoliatur homo, qui in seipso gloriari aut ex seipso laudari vult. Quæ explicatio & ea quæ apud Caluinum sequuntur, futilia ac puerilia esse cauilla manifestè ostendit. *Intelligit* (inquit) *hoc loco Apostolus, si iustitia esset in lege operum, non exclusum iri nostram gloriam: sed quoniam solius fidei est, ideo nihil esse nobis arrogandum, quoniam à Deo omnia accipit fides, nihil affert præter humilē inopiæ confessionē.* Futile (inquam) & ineptum

Operum gloriatio sublata non tollit operum iustitiam.

hoc totũ esse, ea, quæ iam diximus, demonstrant. Quum enim opera ex quibus iustificamur, sunt opera gratiæ Dei in nobis, non ex sola fide, sed ex huiusmodi quoque operibus nihil est nobis arrogandum. A Deo omnia accipiunt bona opera non secus quàm fides. Bona iustorum opera, quatenus Deum authorem habent, nihil quoque afferũt præter humilem inopiæ confessionem. Nonne illa humilis inopiæ propriæ confessio est: *Domine, dabis pacem nobis: omnia enim opera nostra operatus es in nobis?* Est vox cantici noui quod *cantabitur in illa die*, vox Euangelica; qualis & illa Pauli est: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Omnia opera iustorum illam semper humilem confessionem habent, quam Christus eos docuit, dicens: *Sine me nihil potestis facere.* Qua tamen voce adeò bona facta non excluduntur, vt paulò pòst ibidem dixerit, *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Deinde, fides ipsa nónne opus credentis est? An verò sola fides Dei donũ est? Prorsus à Deo omnia accipit, charitas, spes, cõtinentia, oratio, eleëmosyna, abstinentia, carnis mortificatio, omniaque virtutum opera non secus quàm ipsa fides. Actus quoque fidei nõ secus actus hominis est credentis in Deum, quàm charitas Dei & proximi actus hominis est Deum & proximum diligentis. Non ergo secus excluditur gloriatio nostra per veræ pietatis opera quàm per fidem. Non

Opera iustitiæ nihil sibi arrogant.

Esai 26.

Philip 4.

Ioan. 15.

secus

secus iustitia in lege huiusmodi operũ excluditgloriationem, quàm iustitia in lege Fidei. Sed lex operum per quam non excluditur gloriatio, & ex qua stulti homines gloriandi materiam accipiunt in seipsis, nõ in Domino, est illa iustitia operum, quam sine gratia Christi ta Iudæi quàm Gentiles se habuisse aut habere posse præsumebant. Et cõtra hos, horumque opera Apostolus disputat, non contra credentes in Christum iustos, eorumque bona opera ex Christi gratia producta.

Vnde illud quod adhuc subiungit Caluinus, splendidum mendacium est, & textus Apostolici manifesta corruptio. Ait enim: *Et notanda est diligenter fidei & operum antithesis, in qua sine adiectione opera vniuersaliter ponuntur, & omnia quæ fingi possunt opera comprehendit.* Iubet diligenter notari, in quo voluit lectorem suum peregregiè ludere. Fidei & operum antithesis hoc loco ex reliqua Apostoli disputatione spectanda est. Apostolus autem non vniuersaliter de omnibus quæcunque fingi possunt operibus disputat, sed de operibus Iudæorum in Christũ credere recusantium, suáque in lege & eius sola doctrina gloriantium, & de operibus Gentium qui Christi fidem negligebant concludens postea, *vnum esse Deum qui iustificat circuncisionem ex fide, & præputium per fidem*: id est, qui sine fide neminem iustificat, quantacunque & qualiacunque opera legis, seu scriptæ, seu naturalis, sibi

Opera vniuersaliter Paulum non excludere.

sibi venditet. Deinde, si Paulus sic fidem operibus opponit, vt operum nomine *vniuersaliter omnia quæ fingi possunt opera comprehendat*, ergo & illa quoque opera cõprehenduntur,
Gal. 5. de quibus idem Paulus dixit, *fides quæ per dilectionem operatur*. Hæc enim fides opera adiuncta habet. Hæc etiam fides illa est, *quæ in Christo valet*, id est, quæ iustificat. De fide enim iustificante disputat. Quum enim dixisset, *Euacuati estis à Christo qui in lege iustificamini, à gratia excidistis*: (id est, beneficio gratiæ Christi caretis, quæ semel reuelata cũ vmbraticis illis & purè legalibus non consistit) *nos enim spiritu*, id est, spiritu gratiæ accepto, *ex fide* (hoc nobis promittente) *spem iustitiæ*, id est, speratam iustitiæ mercedem, vel ipsam iustitiam præsentis vitæ, quam speramus, *expectamus*: quum hæc, inquam, dixisset, subiungit per modum confirmationis: *Nam in Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet*, id est, neque legalia obseruasse aut circumcisum fuisse aliquid ad iustitiam corã Deo valet; *neque præputium*, id est, neque Gentilium more moraliter vixisse; *sed fides quæ per charitatem operatur*, id est, meritò ex fide spem iustitiæ expectamus, quia illa demum fides in Christo ad iustitiam valet, quæ per virtutem charitatis operatoria fit, bonáque producit opera. Sic fides apud Paulum non ommbus quæ fingi possunt operibus opponitur, sed contrà illa opera ad iustitiã requirit, quæ charitas producit,

ducit, vel quæ per charitatem & cum charitate ipsa pariter producit.

Quæ etiam explicatio alteram hîc Caluini impostu-ram & luculentum mendacium refutat. Sic enim hunc locum concludens ait: *Operum quidem iustitia commendatur in lege, sed fidei sua lex est, quæ nullam in operibus, qualiacunque sint, iustitiam relinquit.* Atqui disertissimè in verbis citatis docuit Apostolus fidem in Christo iustificantem illã esse, *quæ per charitatem operatur*, id est, quæ operum iustitiam requirit. Si enim illa fides iustificat quæ per charitatem operatur; manifestè sequitur, nec solam esse fidem quæ iustificat, sed cum operibus coniunctam; nec ipsam fidẽ sine operibus iustificare, sed pariter cum illis; nec denique aliquam fidei legẽ esse quæ nullam in operibus iustitiam relinquit, sed veram illam fidei iustificantis legem esse, quæ aliquam in operibus iustitiam relinquit, quando sine operibus nullam ipsamet iustitiam adferat.

28. *Arbitramur hominem iustificari per fidem, sine operibus legis.*

LOcus ab hæreticis mirum in modum deprauatus. *Est in his verbis* (ait Beza) *conclusio argumẽti, cuius pondus si nossent sophistæ, numquam huc deuenissent vt in iustificatione vellent opera cum fide concurrere.* Hæc ille. Sed quid hîc Apostolus concludat, ex alijs Apostoli locis prius explicatis facile est intelligere. Quorum

Opera cũ fide iustificant.

rum sensum orthodoxum si hæretici tenuissent, numquam eò dementiæ deuenissent, ut ex verbis Pauli contra ipsum Paulum operum cum fide in iustificatione concurrere oportere negarent: numquam bonorum operum tam apertos se hostes profiteri ausi fuissent. Quòd enim D. Paulus opera cum fide in iustificatione cõcurrere manifestissimè doceat, ad illa eius verba ostenditur: *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur.* Cæterùm an hic locus operum cum fide concursum in negotio iustificationis excludat, doceat vnus Augustinus, gratiæ Christi commendator maximus; quem an prò sophista habere velit Beza, dispiciat ipse. Sic hæc verba exponit. *Hoc ideo Apostolus dixit, ne quasi de operibus nostris præsume e videremur, & merito operum nostrorum accepisse fidei gratiã; denique ne de operibus ante fidem præsumeremus* Hæc ille. Et cõtra insanã nostrorũ hæreticorũ interpretationem alio in loco sic dicit: *Homines non intelligentes quod ait ipse Apostolus, Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis, putauerunt eum dicere sufficere hominì fidem, etiam si malè viuat, & bona ope a non habeat. Quod absit ut sentiret vas electionis, &c.* Nihil ergo hic locus hæreticos iuuat, qui ex eo colligunt, totam hominis in hac vita coram Deo iustitiam, etiam post acceptam fidem, fideique Sacramentũ, quod est baptismus, in sola fide consistere, sine

Gal. 5.

In præfat. enarr. in Psalm. 31.

De gratia & lib. arb. cap. 7.

vllis

vllis bonis operibus, etiam ex fide factis, postea subsequentibus. Apostolus enim dicit hominem iustificari, id est, ex impio fieri iustum (de tali enim iustificatione toto hoc capite disputat) Deóque reconciliari per fidem in Christum absque operibus legis, vel obseruatione legali quacunque, quæ sit causa talis iustificationis. Atque ita non excludit opera ab executione iustitiæ (nisi fortè opera sine fide facta (sed excludit illa à virtute iustificandi absolutè, id est, à virtute remittendi peccata: quia remissio peccatorum per fidē fit, id est à fide incipit. Neque enim sola fides est sufficiens dispositio ad remissionem peccatorum, aut sola iustificat impiū, quasi quæ cætera omnia impetraret ad iustitiam & renouationem necessaria (vt quidam existimarunt:) sed quia fides est necessaria & prima & maximè propria dispositio) vnde Augustin. *Ex fide dicit Apostol. iustificari hominē, nō ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera quæ propriè opera nūcupantur, in quibus iuste viuitur:*) vel, quia fidei nomine ipsa gratia Christi, quæ solis credentibus datur, hoc loco accipitur, ideo ait Apostolus per fidem hominem iustificari. Alias præter fidem dispositiones necessarias aliæ Scripturæ tradiderunt, quas explicatas vide in Conc. Trident. sess. 5. cap. 6 & à nobis latiùs tractatas in opere de Iustificatione lib. 5. prolegomeno 1. (vbi etiam quo sensu fides impetrat cætera Spiritus

Iustificatio per fidem sine operibus qualis, & quo sensu.

De prædestin. sanctorum, cap. 7.

Spiritus Sancti dona explicatur) & lib. octuo, capite trigesimo sexto.

Fidē cur Paulus vrget, nō alia.

Paulus verò non nisi fidē hoc loco vrget siue quia illa principium & fundamentum cæterarum est, siue quia hoc eius disputationi præsens postulabat, quæ in eo tota versatur vt fidem Christi omnibus necessariam probet: vnde concludit, *Deum iustificare circumcisionem ex fide, & præputium per fidem. Quod non*

De Spir. & lit. c. 9. *ad aliquam differentiam inter Iudæos & Gentes factum est, sed ad varietatem locutionis*, ait Augustinus. Et hanc Apostoli intentionem fuisse, nō vt legem & bona opera à ratione iustitiæ excluderet, sed vt fidē ad eā rem necessariam esse ostenderet; ipsa eius conclusio, quasiqua protestatio in contrarium, manifestū facit quam diligenter aduertere captiosi hæretici debuerunt. Sic enim continuò subiunxit: *Legem ergo destruimus per fidē?* Sic enim hæretici Apostolū in verbo suo capiunt. *Absit* (inquit) *sed legem statuimus.* Quomodo autē per fidem legem statuat, non putauit necesse tunc dicere. Exponit autem sapienter Augustinus

De Spir. & lit. cap. 19. hunc in modum: *Lex non euacuatur, sed statuitur per fidem; qua fides impetrat gratiam qua lex impleatur.* Sic ergo iustificatur quidem homo & ex impio fit iustus per fidem tanquam primam & maximè necessariam dispositionem, *sine operibus legis*, vel hanc fidem præcedentibus, vel hanc iustitiam promerentibus: fides tamen opera legis non euacuat, aut ad iustificatio-

ficationem hominis prorsus inania & impertinentia esse ostendit; sed fides opera legis statuit & confirmat, quia fidem in Christum priùs accepta, mox impetratur gratia credentibus in eum promissa, qua legis opera impleantur, vt illis per fidem adimpletis, sic demum cœpta iustitia cõpleatur, augeatur, & perficiatur: quia *non auditores legis tantùm, sed factores legis iustificabuntur*: & *in Christo* ad salutem *neque circumcisio, neque præputium*, nec legem scriptam accepisse, nec opera legis naturæ moraliter præstitisse, *aliquid valet sed fides quæ per dilectionem operatur*, ait alibi idem Apostolus. Rom. 2. Gal. 5.

Argumentum Cap. IIII.

TOtum caput est in commendatione fidei, & in reprobatione operum quæ fiunt sine fide: maximè in circunci-sione seu statu legis Moysaicæ, non adiuncta fide in Christum venturum. Operum iustitiam omnem & qualemcunque in hoc capite penitus subuerti, contendunt acriter hæretici: sed quàm inaniter ac falsò, Antidota hîc nostra docebunt.

2. *Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam apud homines, sed non apud Deum.*
3. *Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abrahã Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.*

LOcus propter hæreticorũ hodie corru
tionẽ diligenter exponẽdus. Concludi
illi ex hoc loco primũ, nulla opera Abrah
ad iustitiã reputata esse, sed solã fidẽ. Na
etsi haberet quædã bona opera, non tamẽ
illis gloriã apud Deũ habuisse, sed apud ho
mines. Secundò, ad iustificationẽ impii, d
qua hîc Apostolus disputat, nihil nisi fidẽ re
quiri, quia nihil aliud in Abrahamo nisi fidẽ
laudatur. Tertiò, fidẽ specialem illã esse qu
sola ad iustitiã reputatur, quia talis erat Abr
hę fidẽs, apprehendẽs promissiones illi facta
de Christó. Hæc illi. Sed horum nihil ex hi
verbis colligi posse breuiter ostenditur.

Abrahami opera erant ex fide. Iacob. 2. Esai. 41.

Exemplum Abrahæ ab Apostolo produci
tur, vt ostendat bona opera Abrahę (propte
quæ, vt Iacobus & Esaias testantur, amicus
Dei appellatus est) non fuisse opera de qui
bus homines gloriantur, id est, opera ex na
turæ viribus, & sine fide Mediatoris ejus
gratia, sed fuisse opera fidei, & in fide facta
Quod vt probet, hæc verba, *Credidit Abraham
Deo*, &c. in medium profert. Et ne quis pu
taret ideo hæc verba Apostolum protulisse,
vt doceret ex sola fide iustificatum fuisse co
Deo Abraham, Iacobus Apostolus diserti
docet *hanc* ipsam *Scripturam tũc suppletam fuis
se*, id est, plenius verificatam, quando ex ope
ribus Abraham iustificatus est. *Fides enim* (in
quit) *cooperabatur operibus illius, & ex operibus fi
des consummata est*. Sic & August. opera Abra
hæ lau-

hæ laudat propter fidem adiunctam. *Abrahã* (inquit) *immolandum filium suum Deo obtulit. Magnum opus, sed ex fide.* Deinde sicut hîc de fide Abrahę, sic alia scriptura de zelo Phinees, qui fornicantem cum Moabitide interfecit, dicit: *Reputatum est ei in iustitiam in generatione & generationem.* In præf. enarr. in Psal. 31. Psal. 105.

Declamat hic Beza contra Origenem, *quòd eum non puduerit hoc loco cæteris quoque virtutibus, vt misericordiæ, mansuetudini, humilitati, tribuere, vt & ipsæ dicantur ad iustitiam reputari.* Hæc ille. Sed si impudens hæreticus Origenem hoc nomine impudentiæ accusat; quid ni & Dauidem Prophetam, & Apostolum Iacobum locis iam citatis similiter accuset? quorum ille disertissimè dicit, zelum honoris Dei ac legis diuinæ in Phinees, *reputatum fuisse ei ad iustitiam*; hic non minùs disertè affirmat, *Abraham ex operibus iustificatum esse*, maximè ex obedientiæ opere, quum filium iubente Deo immolaret. Sed hæc est hæreticorum hodie impudentia, quòd sanctissimorum ac vetustissimorum Patrum non tantùm iudicia aspernentur, sed & pudẽdæ ignorantiæ accusare audeant, quum ipsorum pestilentes hæreses doctissimis suis scriptis retundunt. Nõ enim vnus Origenes, sed omnes Patres luculenter docent, omnia virtutum opera in fide facta ad iustitiam reputari, idque iuxta manifestas Scripturas præallegatas. Negat ergo Apostolus Abrahamũ iustificari coram Deo Bezæ impudentia.

ex operibus, non ſimpliciter, ſed quatenus ſunt opera legis, de quibus toto præcedenti capite diſputauit, (vnde Auguſtinus & alii veteres hæc Pauli verba ſic legunt, *Si Abraham ex operibus legis iuſtificatus eſt*, & ſic Latini multi codices habent) & quatenus conſiderantur abſque fide in Chriſtum: qualia opera Abrahæ non fuerunt, ſed in fide facta.

1. Hunc eſſe Apoſtoli ſenſum ex variis argumentis apparet. Primùm, quia ſtatim adiungit, *Credidit Abraham Deo*, &c. Hoc enim teſtimonium idcirco Apoſtolum adduxiſſe vt oſtēdat in Abrahami operibus affuiſſe fidem, docet Auguſtinus in præfat. enarr. Pſal. 31. Deinde, quia in proxima ſententia facit oppoſitionem inter operantem cui debetur merces, & inter non operantem ſed credentem. In hac enim oppoſitione non opponit ſolam fidem bonis operibus in fide factis, ſicuti opinantur hæretici, ſed opponit fidem operib⁹ ſine recta fide & gratia Chriſti, vt mox ad illa verba oſtendetur. Sanct. Auguſtinus loco citato ita ſcribit: *Idcirco hanc oppoſitionem Apoſtolus facit, vt oſtendat Abraham opera habuiſſe rectam fidem adiunctam.* Tertiò, quia negat in Abrahamo iuſtitiam ex operibus non ſimpliciter, nec coram hominibus, ſed *coram Deo*. Sic enim oſtendit de illis operibus ſe loqui, quæ humanam quidem commendationem & mercedem expectant, aeternam & à Deo mercedem (quod per fidem fit,

Opera intelligi quę fide carent, probatur.

2.

In præfat. in Pſal. 31.

3.

fit) non expectant. Sic distinxit hæc verba Augustinus. *Aliud* (inquit) *est non iustificari, aliud non iustificari apud Deum. Qui omnino non iustificatur, nec illa seruat quæ temporale habent præmium, nec illa quæ æternum. Qui autem in operibus legis iustificatur, non apud Deum iustificatur, vt de Abraham dictum est, quia temporalem inde exspectat mercedem. Sed tamen etiam ista quædam, vt sic dicam, terrena est carnalisq; iustitia.* Hæc Augustinus. Dicit ergo Apostolus, Abrahamum, si ex operibus legis iustificatus esset, id est, ex huiusmodi operibus quæ non nisi temporalẽ mercedem iuxta literam legis carnalia promittentis expectaret, quòd ex huiusmodi non haberet gloriam apud Deum, sed apud homines. Sed quia Abraham ex fide omnia operabatur, & *expectabat fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus*, vt Paulus alibi dicit; propterea eius opera etiam coram Deo gloriam habebant, & *ex illis iustificatus fuit*, vt D. Iacobus disertissimè affirmat. In expos. epist. ad Gal. c. 3. Hebr. 11. Iac. 2.

4. Quartò & postremò, hic Apostoli sensus, quem diximus, ex tota disputationis Paulinę hoc loco serie & intentione (quam inprimis obseruare oportuit) manifestè probatur. Intendit probare Apostolus, nec Iudæos, nec Gentes, maximè autem Iudæos qui de lege gloriabantur, sine fide coram Deo iustificari vnquam potuisse. Hoc enim quum toto ferè cap. 3. præcedenti probasset, concludit: *Quoniam quidem vnus est Deus, qui iustificat circumcisionem* Rō. 3. 30.

sionem ex fide, & præputium per fidem. Mox p
nobilissimo exemplo adfert ipsum Abrah
mum, qui iustificatus est, non ex operibus l
gis, nec ex operibus moralibus sine fide, s
ex operibus bonis per fidem. Ideóque hu
exemplo declarato, & tribus illis modis pr
dictis confirmato, postea infert & conclud
Rom. 4. 9. hunc locum his verbis: *Beatitudo ergo hæc
circunciſione tantùm manet, an in præputio? Di
cimus enim quia reputata est Abrahæ fides ad iusti
tiam. Quomodo ergo reputata est? in circunciſione
an in præputio? Non in circunciſione, ſed in pr
putio.* Hæc in hoc loco Paulus, ostende
Abrahami iustitiam non ex operibus leg
aut circunciſione fuisse, qui ante legem dat
& ante circũciſionem acceptam, iustificatu
Hebr. 11. 33. Iacob. 2. 21. & 22. est; ſed ex fide fuisse: id est (vt tam ipse Pau
lus quàm Iacobus locis iam citatis interpre
tatur) *ex operibus fidei*, vel ex operibus in fid
factis, & *quibus fides cooperabatur*, iustificatu
est. Nullo modo igitur Apostolus exclud
hoc loco à iustificatione bona opera Abra
hami in fide facta, ſed excludit opera legis
vel opera naturæ, sine fide facta.

Secundum quoque hæreticorum comme
tum, ex hoc loco deductum, hac eadem re
sponsione euertitur, vbi vides non solùm fi
dem ſed & opera Abrahæ reputari ad iustitiã
Abrahæ fides cur laudata, nõ opera. Apostolus tamen fidem commendat, quia
absque ea Abrahæ opera non placuissent.
Quo posito, principale eius intentum (non
iustificari

iustificari impium ex operibus sine fide) validè confirmatur. Nam si Abraham iustus, non est factus iustior ex operibus sine fide; multo magis impius non poterit fieri iustus ex operibus sine fide. Sic ad Hebr. 11. docet, Abrahamum multósque alios iustos veteris Testamenti, *fide operatos esse iustitiam*, id est, in fide Mediatoris venturi omnia sua bona opera fecisse. Hebr. 11. 33.

Ad tertium quod attinet, fides Abrahæ hoc loco (Genes. 15.) commendata, non erat fides specialis Protestantium de remissione peccatorum per Christum cõsequenda. Iam enim antea erat *amicus Dei*, & iustificatus. Nam Genes. 12. exiuerat de terra sua, iubente Deo; & *obediuit ex fide*, ait Apost. Rursum Genes. 12. & 13. antea promiserat Deus Abrahæ quòd in ipso *benedicerentur omnes gentes*, & quòd terram Chanaan daret semini eius. Sed & eodem cap. 15. ante hanc fidem Abrahæ ita laudatam dixit ei Deus: *Ego protector tuus, & merces tua magna nimis*. Ergo iam iustificatus fuerat, Deoq; gratus. Postea illi iam seni promittit semen sicut stellas cæli. Cui promissioni quia credidit, *reputata est fides ei ad iustitiã*. Ille actus credendi, fuit actus iustitiæ. Et fuit hæc eius fides qualis nostra Catholica fides est: videl. assentiri omni verbo Dei. *Confortatus ex fide* (ait hîc infrà Paulus) *dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere*. Nihil

Abrahæ fides non erat fides specialis, de remiss. pecc. Esai. 41. 8. Heb 11. 8. Gen. 12. 2. & 3. & 7. Gẽ. 13. 15.

Gen. 15. 1.

Gen. 15. 7.

Rõ. 4. 21.

hil ergo similiter habuit fides Abrahę cum spe-
ciali hæreticorum fide: nec hic locus eorum
hæreses de sola & speciali fide iuuare potest.

Caluini deprauatio singularis.

Alia via incedit Caluinus, & non pro sola
fide, sed pro iustitia imputatiua ex hoc loco
acriter depugnat, ideóque non contra iusti-
ficationem & gloriationem ex operibus (quam
cæteri hodie omnes, etiam ipse Beza hoc
co) sed contra omnem simpliciter gloriatio-
nem disputare Apostolum contendit. Hunc
enim facit ex Apostoli verbis syllogismum:
Si Abraham ex operibus iustificatus est, potest
merito gloriari. Sed non habet vnde glorietur apud
Deum: Ergo non ex operibus iustificatus est. Deni-
de in sequentibus apud Paulum verbis, *Cre-*
didit Abraham Deo, & reputatum est ei in iustitiam,
dicit illa verba esse *probationem minoris sen-*
sumptionis, vbi negauit Apostolus Abrahæ esse argu-
mentum gloriandi. Cæterũ totam Apostoli ar-
gumentationẽ inuertit. Apostoli propositio
est imperfecta ratiocinatio hypothetica, quæ
suo antecedẽte & conclusione cõstat, subin-
tellecta propositione minore: quę vel ex ante-
cedẽte assumitur, vel ex consequenti. Ex cõ-
Gal. 2. sequenti, vt in ista apud eundẽ Apostolum: *Si*
ex lege iustitia, ergo gratis Christus mortuus est. vbi
subintelligitur assũptio rei per se certissimæ:
Sed Christus gratis non est mortuus: ergo ex lege
nõ est iustitia. Ex antecedente, vt apud eun-
Gal. 3. dẽ: *Si data est lex quæ posset viuificare, verè ex lege*
esset iustitia. Assumptio intelligitur quã in præ-

cedentibus

cedentibus manifestam fecit. Sed non est data vt posset viuificare: ergo ex lege non est iustitia. Eodem modo in re præsenti. *Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Est imperfecta ratiocinatio, ex duabus partibus constās, cui addenda est tertia, vt sit perfectus syllogismus. Quæ sanè tertia pars ex vtraque duarum assumi potest. Ex prima sic: *Sed non ex operibus iustificatus est. Ergo habet gloriam apud Deum.* Ex posteriore sic: *Sed habuit gloriam apud Deum. Ergo non ex operibus iustificatus est*, solis videlicet, & absque fide, vt iam est explicatum. Et hoc posteriori modo Apostoli syllogismū format S. Augustinus hoc modo: *Si ex operibus iustificatus est Abraham, habet gloriam, sed nō apud Deum. Apud Deum autem habet gloriam. Non ergo ex operibus iustificatus est.* De minori propositione ait Augustin. quòd *ipsa est fides nostra de sancto Patriarcha, quòd placuit Deo, notumq; nobis & manifestum est quoniam Abraham apud Deum habet gloriam.* Hæc Augustin. Nunc Caluinus neutram colligendi formam (quæ solæ legitimæ sunt) seruat, sed Apostoli ratiocinationem imperfectam penitus immutat, posteriorem eius partem alijs verbis efferens, & aliam illi faciem induens, & eam, quum vnica sit, in duo membra dissecans, vt commentitiā suam disputationem Apostolo affingat. Pro eo enim quod Apostolus dicit, *Habet gloriam, sed non apud Deum*, quæ altera est imperfecti

In præfat. enarr. in Psal. 31.

Apostoli argumentū lacerat Caluinus.

syllogismi pars, ponit Caluinus, *Potest gloriari*: quæ Apostoli verba non sunt sed Caluini.

Abraham habuit gloriam apud Deum.

Mox minorem affingit de suo: *Sed non habet vnde glorietur apud Deum.* Quod Apostoli sensui & fidei nostræ planè contrarium esse docuit S. Augustinus. Hoc enim Apostolus non concluſit nec asseruit ex illa conditionali antecedente, *Si ex operibus iustificatus est*; sed hoc asseruit & hoc concluſit Apostolus, *Ergo habet gloriam*, siue vnde glorietur; *sed apud homines, non apud Deum.* Nunc Caluinus, vt lectori persuadeat Apostoli sensum esse, quòd omnem prorsus in Abrahamo gloriationem apud Deum excludat, & quòd hoc assumere voluerit Apostolus, ex vna propositione duas conficit, & ex membro orationis integram orationem constituit. *Membrum illud* (ait Caluinus) *Sed non apud Deum, est minor propositio syllogismi.* Sanè, si Scripturas ita dilaniare illi permittatur. Membrum enim quidem seu particula illationis & consequentiæ Apostolicæ illud est, non autem alterius imperfecti syllogismi (qualem hîc esse Caluinus fatetur) propositio, quæ in syllogismo perfecto aut pro minori assumatur aut concludatur. Apostolus quippe ex antecedente sua propositione, *Si Abraham ex operibus iustificatus est*, hoc vnum & totum infert, *Habet gloriam, sed non apud Deum*, id est, potest fortasse gloriari apud homines, *sed nō apud Deum.*

Ita

Ita illud, *Sed non apud Deum*, gloriationis modum posita antecedēte propositione excludit. Docet quippe, Abraham, si ex operibus absque fide iustificatus est, potuisse fortasse externam laudem apud homines habere, sed nō assumit simpliciter (vt assumit Caluinus) *quòd non habuerit vnde apud Deum gloriaretur.* Imò hoc *vt ex fide notū nobis ac manifestum* (ait Augustinus) & tanquam Iudæis, quibuscum disputat, persuasissimum ponit Apostolus, quòd Abraham apud Deum gloriam habuit, appellatus videlicet *amicus Dei*, idque adeò, vt Esai. 41. Deus propter talem amoris nexum, *Deus Abraham* vocaretur; vt ex hoc posito atque confesso, ostendat veram apud Deum laudē & gloriationem ex fide nasci, qua Abraham iustificatus est, (vt in sequenti propositione docet, vbi prioris syllogismi imperfecti assumptionem probat) nō autem ex operibus absque fide. Sic totam Apostoli argumentationem penitus inuertit Caluinus, & præter omnium suorum sententiam, contra omnem apud Deum gloriationem, non autem contrà iustificationem ex operibus, (eo sensu quem diximus) disputare Apostolum vult.

Caluinī impudentia in deprauandis Scripturis

Videamus nunc quomodo minorem propositionem à se confictam ab Apostolo confirmari Caluinus doceat; hanc videlicet: *Non habuisse Abraham vnde apud Deum gloriaretur.* Sic ab Apostolo hanc propositionem probari scribit: *Nam si Abraham ex eo iustificatur, quòd ample-*

amplectitur fide bonitatem Dei, sequitur nullam [illegible] *gloriam, quia nihil suum affert, nisi miseriæ agnitionem, quæ misericordiam quærat.* Obseruet hîc attentè lector orthodoxus quanta impudentia & fraude Scripturas deprauet Caluinus. Primùm enim rem falsam narrat; ac deinde fallaciter concludit; mox suam consequentiam futili argumẽto substernit: falsum est quod narrat Caluinus, *Abrahã ex eo iustificari quòd fi amplectitur bonitatẽ Dei.* Hoc Apostolus non dicit: hoc Moyses, vnde suam confirmationem Apostolus accepit, non affirmat. Hoc Caluinus fingit, & de suo cerebro cõminiscitur, vt mox clariùs apparebit. Conclusio quam infert, *Vnde sequitur nullam Abrahæ esse gloriam*, fallax & inualida est. Qui enim fide amplectitur bonitatem Dei, quũ hoc sine speciali gratia facere nequeat, certè habet vnde glorietur, sed in Domino, qui hanc illi gratiam dedit. Argumentum, quo suam consequentiam firmare vult, futile est. *Quia* (inquit) *nihil suum affert, nisi miseriæ agnitionem*, &c. Est, inquam, hoc argumentum futile, primùm, quia falsum dicit; deinde, quia, si verum diceret, non probat intentum. Falsum est, eum, qui fide bonitatem Dei amplectitur, nihil suum afferre, nisi miseriæ agnitionem. Affert enim propriæ voluntatis actum & obedientiam, qua dat gloriam Deo, & credit bonum ac misericordem esse Deum. Abrahã ipse, quando credidit Deo promittenti illi semen,

men, & in illo semine omnium gentium benedictionem, duplicē actum fidei exercuit, heroicum, & magna laude dignum: quem vtrumq; Apostolus hoc capite studiosè laudat. De priori dicit: *Non est infirmatus fide,* Rō. 4. 20.
nec considerauit corpus suum emortuum, &c. De posteriori ait: *In repromissionibus etiam Dei non hasitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo; plenissimè sciens, siue persuasus, quia, quæcunque promisit, potens est & facere.* Rursum tam multi in Euangelio sanitatis beneficia à Christo consequuti, propter hunc animi actum quòd fide amplectebantur bonitatem Dei, ea potissimùm adepti sunt, dicēte toties Christo, *Fides tua te saluum fecit.* Nunc autē si verum esset quod in argumento ponit Caluinus, non tamen probaret intentum. Si enim qui fide bonitatem Dei amplectitur, nihil suum afferret, non diceretur credenti, *fides tua.* Rursum, si in seipso nullam gloriam haberet, in Deo tamen gloriari posset, qui talem illi fidem dedit Sic Apostoli quum tam multos *non virtute sua* (vt Petrus protestatur) *sed in fide nominis Iesu* sanarent, de illis Act. 3. 12.
tamen signis ac prodigijs in Domino gloriabantur, magnis vocibus hoc ipso nomine Deum laudantes, quòd *extenderet manum suam* Act. 4. 30.
ad sanitates & signa & prodigia fieri per nomen filij sui Iesu. Sed actus fidei, *quo captiuatur intellectus* 2. Corint.
in obsequium Christi, est actus eximiæ virtutis, 10. 5.
de quo *in Domino gloriari potest* qui illum exer- 1. Corint. 1. 30.
cet,

cet, *non autem in seipso gloriari*, id est, vt Paul
1.Cor.4.7 docet, *non sic gloriari quasi non acceperit*. Talem gloriationem prohibet Scriptura, non omnem.

Pergit Caluinus: *Siquidem pro confesso promit, fidei iustitiam subsidium esse & quasi adiumentum peccatori, qui operibus destituitur.* Horum nihil Apostolus hîc dicit: Caluini sunt non commentarij, sed commenta. Subsidium & adiumentum peccatori fidei iustitia est, non solius, & quam fingit Caluinus, quæ diuinæ beneuolentiæ
Act.20. 21. persuasio est, sed quam Scriptura docet, *fidem*
Gal.5.6. *cum pœnitentia coniuncta, & per charitatem operantem*
Iustitia inhærens. Sed probare hoc vult Caluinus. *Nã* (inquit) *si qua esset legis vel operum iustitia, in ipsis hominibus resideret.* Hoc Caluino quidem absurdum est, sed non Paulo, non alijs Scripturis, quæ inhærentem homini iustitiam perspicuè docet; maximè illa verba Christi ad Apostolos
Ioan.16. suos: *Ipse Pater amat vos, quia vos amastis me, & credidistis quia à Deo exiui.* Hæc dilectio Christi & fides quæ in Apostolis residebat, eos coram Deo gratos & iustos fecerunt. *Fide autem* (ait Caluinus) *quod sibi deest, aliunde mutuantur, ideóque aptè vocatur Imputatiua fidei iustitia.* Hæc
Caluinus suis traditionibus Dei verbũ contaminat. omnia verba non textus Apostolici commentarij, sed impij Caluini commenta & venenata dogmata sunt. Nihil horum Apostolus hoc loco dicit. Imputatiuam iustitiam nulla hactenus Apostoli verba sonuerunt. *Homines fide aliunde mutuare quod sibi deest*, nec

Apostolus,

Apostolus, nec vlla alia Scriptura dicit. Assumenta Caluini sunt, paleæ, & commenta ac traditiones humanæ, quibus purum Dei verbum fœdissimè contaminatur. Denique quid hæc omnia ad minoris probationem ex Apostolo desumptam? Horũ nihil Apostolus dixit, sed solus Caluinus garriuit. Sic lectores suos ludificat seductor, & specie Scripturas exponendi sua infarcit dogmata, sua adspergit venena; sua obtrudit placita; simplici semper affirmatione, nulla probatione vsus. Sanè non sola fides, sed omne opus bonum in fide factum, quod sibi deest, aliunde (ex Dei gratia) mutuatur: ideoque tam aptè imputatiua operum iustitia quàm imputatiua fidei iustitia vocari potest.

Caluini impostutæ

Venit nunc tandem ad Scripturam Moysaicam ab Apostolo citatam, quam esse vult probationem huius propositionis minoris, *Non habere Abraham vnde apud Deum glorietur. Locus* (inquit) *à Paulo citatus ex Genesi 15. 6. sumptus est: vbi verbum credendi non ad particulare aliquod dictum restringi debet, sed ad totum salutis fœdus, & adoptionis gratiam, quam dicitur Abrahã fide apprehendisse.* Nos hoc Caluino negamus, & verbum credendi ad id restringi oportere dicimus, ad quod Scriptura Moysaica illud restringit, vel certè ad quod Scriptura Apostolica illud retulit, & non extendi oportere ad id omne, ad quod quilibet hæreticus in suæ hæresis fauorem illud ampliare voluerit.

Abrahæ fides laudata quale obiectum habuit.

Expecta-

Expectamus igitur, vt hoc, quod Calvinus affirmat, legitimè probet. Sic prosequitur: *Refertur quidē illic promissio seminis futuri, quæ in gratuita adoptione fūdata erat.* Falsum hic est. Non enim in gratuita ipsius Abrahæ adoptione, sed in solo Dei beneplacito fundata erat promissio seminis futuri. Non quia Abraham per hanc promissionem filius adoptionis factus est, hęc futuri seminis promissio illi data est: iam enim antea, idque diu, filius adoptionis factus fuerat, vt in præcedentibus ostensum est: maximè dicente illi ante hæc verba Deo, *Ego protector tuus, & merces tua magna nimis.* Sed nec quia antea tam erat, ideo hæc promissio illi facta est; tum quia præter Abrahamum alij iusti erant adoptionis filij in mundo, vt Lot ipse frater Abrahæ, & vtriusque domestici; tum quia nulla vel Abrahæ vel cuiuscunque iusti iustitia causa esse potuit, vt in ea fundaretur talis & tanta promissio. Vanum igitur & falsum est quod in specie probationis attexit Caluinus. Scriptura illa Moysaica, *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei in iustitiam,* illo vno & nobilissimo actu fidei loquitur quem ibi commemorat. *Suspice cælum, & numera stellas, si potes: sic erit semen tuum. Hæc cum audiret Abraham, & reputatum est ei ad iustitiam.* Hunc fidei actum Apostolus in sequentibus producit, eadē Moysis verba commemorans, & subiungens: *Non est infirmatus in fide nec con-*

Caluini ignoratia.

Gen. 15. 1.

Promissio Abrahæ facta merè gratuita.

Gen. 15. 6.

Rō. 4. 19.

sideratis

fideruit corpus suum emortuum. Abrahæ fidē ab Apostolo laudatā ad hoc obiectū restrinxit Moyses, restrinxit ipse Paulus, quia hic vnus fidei actus iustitiæ actus erat, & in iustitiam, id est, pro actu iustitiæ reputatus.

Pergit sua placita & commenta effutire Caluinus: vt quū nihil ad rem dixerit, multa tamen dixisse videatur. *Notandum* (inquit) *est, nec salutem sine Dei gratia, nec Dei gratiam sine salute promitti: rursum, nec in Dei gratiam, nec in spem salutis nos vocari, quin iustitia simul offeratur.* Quorsum hæc omnia? Quod priùs affirmat, verum est, sed ad rem præsentem nihil facit. Hæc enim promissio hoc in loco Abrahæ facta de eius semine multiplicando, ad Abrahæ salutem aut ad Dei gratiam iustificantem nihil prorsus faciebat, sed temporalis benedictio erat. Quod posteriùs affirmat, æque ad rem non pertinet. Abraham quippe hac accepta promissione multiplicandi seminis sui, nec in Dei gratiā iustificantem, nec in spem salutis vocatus est. Aliæ postea promissiones, *quòd in semine eius omnes gentes benedicerentur, quòd pactum faceret Deus inter se & Abraham ac semen eius, essetque Deus illi & semini eius*, illæ sanè ad Dei gratiam & ad spem salutis pertinebant. Nec tamen tales promissiones vllam Abrahæ iustitiam offerebant, sed illi tanquam viro iusto quasi acceptæ iustitiæ aut præmia aut testimonia conferebantur. Caluini ergo hactenus Gen. 17.

repetita dictata nihil ad rhombum.

Pergit tamen audacter; & quasi re bene gesta, sua iam corollaria strenuè colligit. Ita *posito* (inquit) *videre licet eos Theologiæ principia non tenere, qui Moysis testimonium à Paulo violenter torqueri putãt.* Nõ à Paulo sed à Caluino Paulo affingit impostor quod ipse perpetrauit. Mosis testimoniũ violenter torqueri asserimus, nec propterea Theologiæ principia non tenemus, sed Caluinianæ Mataiologiæ principia & commenta vana penitus negamus. At probare Caluinus vult Mosis testimonium à se violenter nõ torqueri: *Quia enim* (inquit) *particularis apud Moysen promissio est, rite & probe fecisse Abraham intelligunt qui crediderit, & eam nus probatum fuisse à Deo.* Planè sic rem intelligimus, sic & Paulus ipse intellexit, hãc particularem Abrahæ fidem circa promissum illi à Deo semen, in hoc ipso capite cõmendans, & tanquam insignis fidei exemplum proponens. Contra hunc intellectum quid adfert Caluinus? *Sed in eo falluntur* (inquit) *primùm quòd non animaduerterunt illud Credere totum complexum extendi: quare ad vnũ membrum restringi non debebat.* Hoc adhuc nulla priorem intelligentiæ refutatio est, sed simplex eius negatio. Non debuit (inquit) intelligi particularis promissio, quia debuit intelligi totum fidei complexum. Quæ refutatio talis est ac si dicerem: Quod tu dicis falsum est, quia, quod ego dico, verum est. Hoc in more

Caluinus nihil probat, sed ponit pro banda.

Caluino

Caluino alijsque hæreticis positum est, vt sua commenta noua fortiter affirmẽt, numquam legitimè probent. Et in re præsenti, totus disputationis cardo in eo vertitur, an fides Abrahæ à Moyse & Paulo prædicata, aliud obiectũ respexerit quàm quod Moses & Paulus cõmemorant, videlicet de semine suo multiplicãdo, quod ille sibi promissum obedienter & firmiter, adeóque *in spem contra spem* credidit. Affirmamus nos iuxta Scripturas: negant hæretici iuxta sua commenta & traditiones hominum. Sed quod negant, nullo argumento hactenus probant.

Pergit tamẽ Caluinus: *Præcipua autem hallucinatio est, quòd à gratiæ Dei testimonio non orduntur.* Hanc igitur tam grauem hallucinationem nostrã perspicuè docebit hic doctor nouellus. Subiungit, vt id doceat: *Atqui hoc agit Deus, vt Abraham & suæ adoptionis & paterni fauoris reddat certiorem: sub quo æterna per Christum salus deprehenditur.* Hîc punctum & neruus est totius probationis Caluinianæ, totiusque imputatiuæ iustitiæ in sensu Caluiniano hoc loco fundatæ. Sed quanta vanitate totũ nitatur, breuiter ostẽdo. Deus promittẽs Abrahæ hoc loco à Paulo citato *seminis sui multiplicationẽ similem stellis cæli*, facit sanè ipsum Abraham sui paterni fauoris certiorẽ, planéque ostendit, Abraham personam esse sibi acceptam & gratam, cuius eam curam habere voluerit, non solùm vt semen eius ac

Promissio Abrahæ facta an fuerit electionis testimoniũ.

posteros multiplicaret (quod pro magn beneficio mortales accipiunt) sed etiam hu illi prædiceret ac promitteret. Testimoniu gratiæ & fauoris paterni in Deo erga Abr ham præclarum hoc fuit: suæ quoque ad ptionis hæc promissio Abrahamum aliq modo certiorem reddere potuit, quater tanta & tam singularis promissio non le argumentum esset de numero filiorum D ipsum Abraham esse, cui ea facta foer Reddere (inquam) potuit. Non enim effi citer probat, cui Deus temporale aliqu bonum promittit, (quale erat seminis mu tiplicatio) eum esse filium Dei. Tempora quippe bona, ipsaque longa seminis succe sio, & bonis dantur & malis. Sed neque a promissio (quæ multo plus sonat) *quòd semine Abrahæ benedicerentur omnes gentes*, id quòd ex eius semine Christus nasceretur, quo omnes benedicerentur, & quòd De *esset illi Deus, ac semini eius*, efficaciter prob Abraham fuisse filium adoptionis. Christu enim ex multis peccatoribus originè duxi & in semine Abrahæ secundùm carnem mu tos reprobos fuisse, perspicuè constat. Qu re hæ promissiones nõ erãt ipsi Abrahæ ce ta & infallibilia testimonia adoptionis su

Adoptionis Abrahæ testimonium non secus opera quã fides.

Testimonium adoptionis Abrahæ e ipsius obedientia & obseruatio mãdatoru Dei non secus quàm fides promissionib diuinis data: quod contra hæreticos hui

tempo

temporis diligenter notandum est. Prima Abrahæ facta promissio cum obedientiæ testimonio erat coniuncta. *Dixit enim Deus ad Abraham: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrauero tibi: faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſq; benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi. In te benedicentur vniuersæ cognationes terræ. Egressus est itaque Abraham sicut præceperat ei Dominus.* An non & hoc loco testimonium à Deo accepit Abraham paterni in eũ fauoris atque adoptionis suæ? Accepit sanè: sed nec ex sola fide, nec ex operibus absque fide. Nam de hoc eius opere dicit Paulus: *Fide obediuit in locum exire quem accepturus erat in hæreditatem: & exijt, nescius quò iret.* Deinde ante hanc promissionem iterum Abrahæ repetitam, de qua hîc Paulus loquitur, nobilissimum diuinæ gratiæ & adoptionis suæ testimonium accepit Abrahã, quum Deus ei per visionem diceret: *Noli timere Abrahã: ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Qua accepta diuinæ gratiæ testificatione, conqueritur apud Deũ Abraham *quòd non dedisset illi semen, & quòd vernaculus eius hæres eius foret.* Quo audito, confestim Deus semẽ illi copiosum promittit, & sicut stellas cæli multiplicandum. Huic promissioni *credidit Abraham, & reputatum est illi ad iustitiam.* In hac promissione erat sanè diuini erga

Gen. 12. Hebr. 11. 8 Gen. 15. 1.

Abraham fauoris præclarum teſtimoniu
ſed adoptionis ſuæ in filium Dei teſtimo
niũ, id eſt, quòd de numero electorum infa
libiliter eſſet, (addit enim Caluinus, *Sub*
æterna per Chriſtum ſalus comprehenditur) hæ
promiſsio nõ erat. Vide igitur hoc loco Ca
uini impoſturam. Credidit Abraham hæ
promiſsioni de multiplicando ſemine; hæ
promiſsio adiunctum habuit diuini fauo
teſtimonium; in diuino fauore comprehen
ditur æterna per Chriſtum ſalus: ergo Abra
ham, credens huic promiſsioni, credidit æ
ternam ſuã per Chriſtum ſalutẽ, ſiue ſe cer
per Chriſtũ ſaluũ fore. At quòd ita credid
reputatum fuit ei in iuſtitiam: ergo propt
apprehenſam fide ſalutem Abraham iuſtifi
catus eſt. Sic enim ſtatim infert Caluinus:
Quare Abraham credendo nihil quàm oblatam ſib
gratiam amplectitur, ne irrita ſit. Si hoc illi imp
tatur in iuſtitiam; ſequitur, non aliter eſſe iuſtum,
niſi quia Dei bonitate confiſus, omnia ab ipſo ſperan
audeat. Hæc eſt Caluini ex argumentation
præcedenti collectio & concluſio. Sed arg
mentationis fallacia planè ridicula eſt, d
huic ſimilis: Qui bene bibit, bene dormit;
qui bene dormit, nil mali cogitat; qui nil
mali cogitat, non peccat; qui non peccat,
ſaluus erit: ergo qui bene bibit, ſaluus erit.
Sic enim à primo ad vltimum procedit hoc
loco Caluinus: Abrahę fides circa promiſsio
nem de multiplicando ſemine reputata fuit

Caluini impoſtura notanda.

ei ad

ei ad iustitiam; hæc promissio diuini fauoris testimonium erat; in diuino fauore salus æterna per Christum comprehenditur; salutis æternæ fides, quatenus oblatam Dei gratiam amplectitur, reputatur ad iustitiam: ergo qui credit se saluum fore, saluus erit. Imò ait Caluinus, *nō aliter erit aliquis iustus, & consequenter saluus, nisi quia Dei bonitate confisus, omnia ab ipso sperare audeat*: id est, nisi qui certò credit se saluū fore. Ita Caluini collectio à primo ad vltimum plus colligit quàm illa alia ridicula collegit. Plus enim est dicere, Non aliter erit homo saluus, nisi qui credit se saluum fore; quàm dicere, Qui credit se saluum fore, is saluus erit: sicut plus est dicere, Non erit saluus, nisi qui bene bibit; quàm dicere, Qui bene bibit, saluus erit. Hæc enim propositio non excludit alia ad salutem necessaria: Caluini propositio omnia excludit alia, & in sola salutis apprehensione per fidē, totam salutis rationem ponit. Ita, vt dixi, magis ridicula collectio est. Atque vtinam ridicula tantùm, & non magis impia collectio foret. Altera enim illa suam ineptiā prima facie prodit, & ad argumētationes huius generis ineptas seriò cauendas inuenta fuisse videtur. Hæc autem Caluini astutior paulò est, & ad seducendū in præcipuo salutis nostræ cardine, scelerate inuenta.

Caluini processus ridiculus ostēditur.

Sed nunc similem vtramque esse quo ad ridiculum procedendi modum ostendamus.

Procedendi modus in vtraque ridiculus est quia non est legitima causarũ cum suis effectibus connexio; sed id quod per accidens ex altera consequitur, pro effectu proprio necessario ponitur, & partiales causæ pro integris assumuntur. Hoc in altera illa ridicula collectione demonstrare opus non est: in collectione Caluiniana demonstrabimus.

1. Quòd promissio illa temporalis Abrahæ facta adiunctum habuit diuini fauoris testimonium, per accidens fuit: tum quia data illa potuit sine illo fauore speciali, tum quia eiusdem promissionis participes fuerunt, qui à diuino fauore extorres & reprobi erãt. Rursum, in diuino fauore salutem æternam per Christum comprehendi, contingens est non necessarium. Multi enim diuino fauore ad tempus gaudent, qui æternam tamen per Christum salutem nõ consequuntur. Deinde, quòd huius promissionis fides reputata est Abrahæ ad iustitiam, iustitiæ reputatæ partialis causa erat, non integra. Obedientia quippe Abrahæ non secus ei reputata fuit ad iustitiam quàm fides, & ex operibus iustificatus est non secus quàm ex fide. Tandem promissionem hanc ipsam, quam hîc ex Mose Paulus cõmemorat, nõ secus ex obedientia qua filium immolauit, quàm ex fide promissioni data, Abrahã accepit. Sic enim apertè testatur apud Mosem Deus his verbis: *Per memetipsum iuraui, dicit Dominus; quia fecisti hanc*

2.

3.

4. Promissio facta est Abrahæ magis luculenta ex obedientia quàm ex fide. Gen. 22. 16.

hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semẽ tuum sicut stellas cæli, & velut arenam quæ est in littore maris. Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. Ecce eandem promissionem de qua hîc loquitur Paulus, propter obedientiam voci Domini præstitam, accepit Abraham. In hac promissione diuini fauoris testimonium accepit, quia Christum ex eo nasciturum accepit. An igitur cum Caluino à primo ad vltimum concludemus, hoc modo? Propter obedientiam mandati diuini accepit Abrahã promissionem de multiplicando suo semine, Christóque de eius semine nascituro. In hac promissione fecit eum Deus suæ adoptionis & paterni fauoris certiorem. In hoc diuini fauoris testimonio æterna per Christum salus comprehenditur. Quare Abraham obediendo voci Dei nihil quàm oblatã sibi gratiam amplectitur. Ergo non aliter æternam per Christum salutem Abraham accepit, nisi quia voci Dei obediuit. Vides igitur, Christiane Lector, quòd Caluini consequentia & collectio, si bona & firma est, non secus pro sola obedientia mandatorum Dei cõcludit, quàm pro sola fide ad iustitiam reputata. Sed nec sola obedientia nec sola fides Abrahæ in causa fuit vt illas promissiones acciperet, sed partim Dei beneplacitum, vt Genes. 15.6. apparet; partim ipsa Abrahæ obedien-

Caluini collectio pro operũ iustitia cõcludit.

Gen. 12. 1. tia, qua *de terra cognationis suæ* Deo iube
exiuit, cum fide cõiuncta, vt nõ obscurè in
colligi potest; partim altera illa insignis ob
dientia de immolato filio suo iuxta man
tum Dei, vt ipsemet Deus luculenter pr
fessus est, adeóque iureiurando firmauit,
omnibus autẽ illis promissionibus Abrã
factis sicuti in singulis diuini fauoris te
moniũ accepit, ita in nulla earũ æternæ p
Christum salutis suæ testimoniũ (quale Ca
uinus intelligit, videlicet infallibiliter i
conferendæ, & quòd de numero elector
esset) Abraham accepit. Sed in prima e
rum, Gen. 12. 1. Abrahæ obedientia & fid
eluxerunt. In secunda, Gen. 15. 6. quam h
Paulus commemorat, fidei commendatio
nem ponit Moyses. In tertia, Gen. 22. 16
obedientiam Abrahæ laudat Deus, & pro
pter illam obedientiam promissionem ea
dem cum iureiurando repetit. Imò nonnih
obedientiæ Abrahæ facta est hæc promissio,
apertis & disertis verbis. In secunda promis
sione, Gen. 15. laudatur fides Abrahæ, & re
putatur ei ad iustitiã: sed nõ ponitur vt causa
promissionis factæ, sicut obedientia Abra
hæ, Gen. 22. Si ergo in illa promissione, vt
vult Caluinus, accepit Abraham adoptionis
suæ & æternæ per Christum salutis testimo
nium, cui testimonio credendo, & oblatam
illi gratiã amplectendo, iustificatus est, ideó
que sola fides amplectens Deum sibi propi
tium

Operum iustitiæ promissio fortiùs facta quã iustitiæ fidei.

tium iustificat, quum tamen hæc fides huius promissionis causa non fuit, sed eam iam factam consequuta est; quanto magis, quanto fortius, si in eadē promissione iterum Abrahæ facta, & iureiurādo firmata, idque *propter obedientiam Abrahæ*, quæ promissionem antecessit (vtipse Deus attestatur) adoptionis suæ & æternæ salutis per Christum infallibiliter conferendæ testimonium accepit Abraham, sequetur, ipsam Abrahæ obedientiam, quæ hanc promissionem promerita est, vel saltem cui hæc promissio reddita à Deo est, huius æternæ per Christum salutis conferendæ causam fuisse, ideóque solā obedientiam Abrahæ voci Dei factam eum æternæ salutis participem fecisse, id est, eum coram Deo iustificasse! Breuiter sic contra Caluinum arguo: In illa promissione Abrahæ facta, aut nullum erat æternæ per Christum salutis testimonium, & Abraham illi credens per illam fidem æternæ salutis certior fieri non potuit; aut erat, & Abraham propter obedientiam illud testimonium accipiens, propter eandem obedientiam salutem accepit æternam. Eligat vtrum velit quilibet hodie Caluinista. Eadem quippe vtrobique promissio erat, nisi quòd hæc posterior amplior erat, & iureiurando firmata. Si in illa promissione priori non particulare illud quod promissum fuit, sed totum salutis complexum intelligi debet; vtrobique, & multo magis in po- Nota.

in posteriori, intelligi oportet. Si vtrobique, & in posteriori magis; profectò fortè probatur Abrahamum ex obedientia fi quàm ex fide sua æternam per Christum lutem consequutum esse. Ita aut *credere* loco non debet extendi *ad totum complexu fidei aut salutis* (vt Caluinus vult) sed ad particularem illam promissionem restringi, Scriptura facit, tam Moysaica quàm Apostolica; & ita non tota Abrahæ iustitia a salus in hac eius fide prædicatur, sed vna tantùm iustitiæ causa, & vnus iustitiæ actus, hactenus semper intellectus hic locus est; si promissio quam Abraham hîc credidit totum salutis aut fidei complexum erat, profectò eadem promissio tum amplior, tum inreiurando firmata, propter obedientiam voci Dei Abrahæ facta, ad totũ salutis complexum extendi quoque debet, vt sic Abraham, propter obedientiã, totam & æternam per Christum salutem consequutus fuerit: & ita hic locus non imputatiuam ex sola fide iustitiam, sed verã ac plenam ex obedientia & fide iustitiam docebit: qualem sanè docet docuitque semper Ecclesia Christi Catholica. Sic non solùm tota Caluini argumentatio disiecta iacet, sed præcipuum hodie hæreticorũ pro imputatiua iustitia fundamentum penitus corruit.

Quæ nunc in Caluino sequuntur prioris suæ cõclusionis corollaria, illâ deiectâ, nullâ egent

egent refutatione. Breuitãtùm notatione ea iugulabimus, *Abraham ergo* (inquit) *in promiſſione oblatã ſibi Dei benignitatẽ apprehendit, qua ſibi iuſtitiam communicari ſentiebat.* Reſpondeo: Abraham in promiſsione ei facta illud apprehendit quod promiſsio ſonabat: in qua quia nulla alienæ iuſtitiæ cõmunicatio audita fuit, eã ſibi fieri ſentire non potuit. Caluiniani cerebri inane cõmentũ hoc eſt. Pergit: *Hanc promiſſionis & fidei relationẽ neceſſarium eſt ad ſtatuendã iuſtitiam intelligere: quoniã eadem eſt hîc inter Deum & nos ratio, quæ apud Iuriſconſultos inter datorem & donatarium.* Reſpondeo: Hanc relationẽ nec hic locus nec vlla Scriptura docet. Ad ſtatuendam iuſtitiam non ſolùm fidei & promiſsionis relatio, ſed fidei, & eorum omnium quæ fides aut credenda proponit, aut facienda præſcribit, relatio neceſſaria eſt. Nec inter Deum & nos illa eſt ratio qualis apud Iuriſconſultos eſt inter datorem & donatarium (vbi nulla planè iuſtitia cernitur, ſed ſola datoris munificentia) ſed illa eſt ratio qualis in Scripturis diuinis legitur, inter *legitimè certantem, & iuſtè coronantem*; inter *operarios in vinea, & Patrem familias mercedem* ſingulis *rependentem*; inter *curſum conſummantes, fidemq; ſeruantes, & iuſtum Iudicem iuſtitiæ coronam reddentem*; denique inter *ſeruos bonos ac fideles, & Dominum ſingulis remunerantem.* Sic hæretici hodie, qui ſolas Scripturas crepant, illam iuſtitiæ inter Deum & nos ſtatuen-

Caluiniani cerebri cõmenta propria. 1.

2.

Iuſtitia non ſtatuitur ex promiſſionis & fidei relatione.

2. Tim. 2. 5.

Matt. 20.

2. Tim. 4. 8.

Matt. 25.

ſtatuendæ formã (præcipuum fidei dogma præſcribunt, non quam Scripturæ manifeſtè docent, ſed quam ex Iuriſconſultorum formulis ipſimet comminiſcuntur. Ita *fruſtra Deum colunt, docentes ſemper doctrinas & mandata hominum.*

Sed hanc rationẽ & analogiã inter Deum
3. & nos probare vult Caluinus. *Neque enim* (inquit) *iuſtitiam aliter conſequimur, niſi quatenus* [illegible]*cut Euangelij promiſſione nobis defertur, ita eam poſſeſſionẽ fide quaſi cernimus.* Aliud hoc eſt Caluini commentum, alia doctrina humana, nec in hoc loco fundata, etſi ex hoc loco illata, nec vſquam alibi in Scripturis tradita.

Caluini ludus. Hic Caluini ludus eſt. Vbi textu Scripturæ deprauato vnam extorſit concluſionem hæreticam, alias & alias confeſtim accumulat, corollaria multiplicat, multa & denſa venena conſpergit. Sequitur: *Quomodo conciliandus ſit Iacobi locus, qui nõ nihil cõtrarius videtur, ſupra adnotaui, & illic Domino dante exponã.* Quomodo in eo loco cum ſenſu hæretico & Paulini textus deprauatione cõciliando fruſtra Caluinus, Beza, alijque hæretici ſudauerint, ad illum Iacobi locum, propitio Chriſto, luculenter exponam. Pergit adhuc Caluinus: *Tantùm notemus, eos, quibus iuſtitia imputatur, iuſtificari: quando hæc duo à Paulo tanquam ſynonyma ponuntur.* Sed vbi tandem hoc Paulus ponit? An hoc in loco? nihil huiuſmodi apparet. An alibi? cur vel in margine locus non

non designatur? Sed hæc Caluinii impudentia est. Paulo nominatim suam insaniã affingit, nec vbi Paulus id docet vsquam ostendit. Colligit adhuc, & ait: *Vnde colligimus, non disputari quales sint in se homines, sed quo loco Deus ipsos censeat.* Quasi verò alio loco Deus homines censeat quàm quales ipsi sunt. Quasi quod in hominibus execratur Deus, dicens, *Qui iustificat impium, & condemnat iustum, vterque abominabilis est ante Deum*, hoc ipse Deus faceret, pro iustis pronuntians qui impij sunt, & pro impijs cõdemnans qui iusti sunt. Quasi Apostolus de iudicio Dei nõ dixisset: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gesserit, siue bonum, siue malũ.* Sed profectò iuxta imputatiuã Caluini iustitiam disputandũ hoc non est. Vnde colligimus, imputatiuam Caluini iustitiam cum diuinis Scripturis apertè pugnare.

Prouerb. 17. 15. Imputatiua iustitia Dei iudicium tollit. 2. Cor. 5.

Attamen postremum hoc suum venenum aliquo melle cõdire, & manifestam impietatem aliquo honesto fuco obtegere conatur Caluinus. *Non quòd* (inquit) *separetur à gratuito Dei fauore puritas conscientiæ, & vitæ integritas; sed quia vbi causa quæritur cur nos Deus amet, ac pro iustis agnoscat, Christum prodire necesse est, qui sua nos iustitia induat.* Cæterùm hic fucus nihil Caluinum iuuat, nec hoc melle tam pestilens venenum cõdiri potest. *Puritas conscientiæ, & vitæ integritas, non solùm

Conscientiæ puritas causa est amoris diuini.

solùm à gratuito Dei fauore non separa
(quod tamen ipsum imputatiuã iustitiam
sensu Caluini penitus subuertit, qui, vt in
Infrà cap. 7. & 8. rijs posteà locis videbimꝰ, homines in seip
impios, impuros, immundos pro iustis ap
Deũ haberi docet, totãque sanctificatione
nostrã per Christum nõ aliam esse affirma
quàm quæ in Christo residens nobis impu
tur) verùm etiam causa est cur nos Deus
mat, & cur nos pro iustis agnoscat. An no
Ioan. 16. 27. Christi hæc verba apertissima sunt: *Ipse Pa*
amat vos, quia vos me amastis, & credidistis qu
1. Ioan. 3. 7. *Deo exiuit?* An nõ disertè Ioannes scripsit: *Q*
facit iustitiã, iustus est? An nõ Christus in extr
Matt. 25. mo iudicio illos vocabit, *Benedictos Patris*
qui opera misericordiæ fecerunt, & ideo p
huiusmodi eos agnoscet? An non iterũ dis
Ioan. 14. 21. tissimè Christus dicit: *Qui habet mandata m*
& seruat ea, ille est qui diligit me: *Qui autem*
Ioan. 15. 14. *git me, diligetur à Patre meo?* Et iterum: *Vos*
mici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vob
Causa ergo cur Deus suos amat, & pro iust
agnoscit, vna inter alias est, ipsa conscienti
puritas, vitæque integritas. Quia amat
Christum, amantur à Deo; Quia faciunt iu
stitiam, sunt coram Deo iusti; Quia faciunt
opera misericordiæ, Benedicti Patris cæle
stis vocantur; Quia mandata Dei faciunt,
Christus iustitia sua nos induit. diliguntur à Deo, & amici Christi sunt. Chri
stus quoque in his omnibus prodit, qui sua
nos iustitia induat, sed quam operatur in
nobis,

nobis, & qua nos iusti sumus; non quam imputat nobis, & qua ipse iustus est. Hoc Caluini commentum est, & doctrina humana. Illud diuinæ Scripturæ iam prolatæ, aliæq; permultæ quas olim protulimus, luce meridiana clariùs nos docent.

Quia hoc vno Pauli loco pro imputatiua iustitia stabilienda singulariter abusus est Caluinus, sicuti alio loco ad Rom. 3. vers. 21. 22. pro sola fide iustificãte abusus fuerat; nec secus hic copiosè & accuratè pro illa pugnauit, quàm ibi pro altera decertauit; propterea totam hoc loco Caluini disputationẽ (sicuti eo in loco feci) excutere volui. Ex huius porrò atque alterius loci tractatione prolixa facilè videt lector tũ in quàm multis peccat Caluinus, quàm absurdus & impius disputator inuenitur, vbi singula in eo expenduntur; tũ in quantã molem hęc Antidota Apostolica excrescerent, & quẽlibet penè lectorem fatigarent, si singulis expendẽdis immorari sic vellem. Sed hæc vna epistola ad Romanos similem à nobis adhuc diligentiam, propter non pauca in ea difficilia, necessariò postulabit.

4. *Ei qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum. Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam.*

Bonorum operum defensio.

VIsum est hodie hæreticis excludi hîc à Paulo omnem bonorum operum mercedem ac iustitiam: qui Pauli sensum vel non assequuntur, vel dissimulant. Ostendit quippe Paulus discrimen inter operantem stipendio & gratia Mediatoris (operanti enim opponit credenti, quæ vera oppositio non esset si iste operans cum fide quoque operaretur) & inter credentem in Mediatorem sine vllis bonis operibus fidem præcedentibus. Ait illum mercedem expectare secundùm debitum, non secundùm gratiam, quia existimat suis viribus se bene operatum existimat: verò iustitiam consequi, id est, ex impio fieri iustum, non vllo merito suo, sed beneficio gratiæ Dei, à quo fidem aliasque ad iustitiam dispositiones accepit. Credenti enim quidem imputatur iustitia sine vllo merito bonorum operum præcedentium, sed nõ credenti tantùm, veteremq; hominem cum suis actibus nondum deponenti, vt luculenter in hunc locum docet Origenes, & omnes interpretes Græci, quos hoc nomine graviter taxat superbus Beza quasi illorũ iudicium Bezano capiti postponendum foret. Sed cur Augu-

stini

stini quoque interpretationem non vellicavit? Sanè vt lectori insinuaret, Augustinum non ita rem intellexisse. Cæterùm vt omnes alij Patres sic & August. hunc locũ exponit: *Et qui operatur, id est, qui de operibus præsumit, & eorum merito sibi dicit datã esse gratiam fidei, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum. Noli ergo præsumere de operibus ante fidem. Noueris quia peccatorem te fides inuenit. Sed crede in eum qui iustificat impium, vt possint bona opera tua esse opera bona.* id est, quæ moraliter videbantur bona, sint iã ex fide verè bona & cælo digna. *Incipis esse in fide per indulgentiam. Iam fides illa assumpta spe & dilectione incipit bene operari.* Hæc ille, & multò ibi plura, docẽs cauendam illam esse voraginem, quam multi incurrunt in gurgite flagitiorum demersi, quando audiunt illud Apostoli, *Non ex operibus, sed ex fide.* Tales sunt horum temporum hæretici. In præfat. enar. in Psal. 31.

Sed opera excludit Apostolus ante fidem, non opera post fidem. Ipsam quoque fidem commendat nec specialem, nec solam, sed cum spe & dilectione coniunctam: illam nempe *quæ per dilectionẽ operatur.* Hoc est enim *credere in Deum*; id est, amando in illum tendere. Vnde alibi August. *Quid est credere in eum qui iustificat impium? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, & eius membris incorporari. Credimus Paulo, sed non in Paulum.* Hæc ille super illa Christi verba, *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille.* Operantẽ à gratia qualem excludit Paulus. Gal. 5. Tract. 29. in Ioan.

Sed cur Origenem & Græcos Patres perbus Beza reprehendat, videamus. (inquit) *hæc differat Apostolus, vt superiorem gumenti consecutionem probet à contrarijs, quod dem imputare pro iustitia, & operum debitam mercedem persoluere, pugnant ex diametro, (iustificatio enim illa gratiæ est in Christo, ista verò meritis bis) Græci tamen scholiastæ putarunt fidei & operis mercedem inter se comparari, quòd illa multo plius præmium habeat. Ita fit vt non modò aberret scopo, sed etiam fidei merito arrogent quod vni Christi, & gratiam Dei funditus euertant.* Beza. Sed vt in tota Apostolicæ disputationis serie turpiter errat, sic oppositionem ab Apostolo factam penitus non intelligit aut, intellexit Beza, eam nulli hactenus intellexerunt Patres, non solùm Græci, nec Latini, ipséque inprimis Augustinus, pro gratia Dei (quâ à Græcis funditus eversa mentitur Beza) maximè pugnauit.

Græci Patres à Beza iniuria reprehēsi

Primùm enim, quum Apostolus hoc capite 4. illud vnicè agat, vt ex duabus quæstionibus initio 3. capitis propositis posteriorem dissoluat, videl. *quæ vtilitas esset circumcisionis*: ideoque initio huius capitis Abrahamum exemplum proponat, ex omnibus mortalibus primum circũcisum, vt in eo viro tam Dei amico, & certissimè iustificato, discutiatur an ex circunciſione illam suam iustitiam & beatitudinem consecutus esset (hæc enim ob causam, explicata Abrahæ iustitia

Apostoli disputatio & argumentatio explicātur

beati

beatitudine, infert Apostolus: *Beatitudo ergo hæc in circumcisione tantùm, an in præputio?* &c.) primò docet, eum non ex operibus legis, aut ex bonis operibus simpliciter & quomodocunque acceptis, iustificatũ fuisse (hoc quippe *apud homines* fortè *laudem haberet, sed non semper apud Deum*) sed ex fide, id est, vt cum D. Iacobo & S. Augustino exposuimus, ex operibus bonis in fide factis, ipsóque actu & opere fidei. Hoc igitur quum dixisset, alio quidem argumento à cõtrarijs disputat, non autem quo *consecutionem superioris argumenti probet*, vt affirmat Beza, sed quo antecedentem vel maiorem propositionem superioris argumenti confirmet. Superius enim argumentum hoc erat: Si Abraham fuisset iustificatus ex operibus bonis simpliciter acceptis, & sine fide ac gratia Christi, habuisset laudẽ apud homines, sed non apud Deum. Nunc autem habuit laudem apud Deum, idque ex fide (*credidit enim Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*) ergo Abrahæ opera bona erant cum fide coniuncta, & non erant opera bona simpliciter & quomodolibet accepta. Sic Apostoli argumentum intellexit D. Augustinus, & ante eum D. Iacobus locis à me citatis, interpretes fide digniores quàm Beza. Hanc autem maiorem propositionem sic probat: *Ei qui operatur*, id est, qui opera moraliter bona sine fide præstat, *imputatur merces secundùm debitum, non secundùm gratiam.* Non quia sic ope-

rāti merces semper debetur, sed quia sic operans mercedem sibi deberi existimat, vel humano more tali operanti merces debetur, sic talis operās laudem habet apud homines quidem, sed non apud Deum, qui non remunerat nisi credentes, & per gratiæ suæ beneficium bene operantes. *Ei verò qui non operatur*, id est ei qui bonis operibus moralibus abundare caret, aut de eis non præsumit, *creditur tantum eum qui iustificat impium*, id est, credendo amando tendit in Deum iustificatorem, *putatur fides ad iustitiam*: hoc est, in eo iustificationis causa fides est: quia ille non ex operibus iustificatur, quæ aut nulla habet, aut non vendicat, sed ex fide (non sola, sed vel bonis operibus vel vt minimum dilectioni Dei, pœnitentiæ & renouationi inchoatæ coniuncta) iustificatur, ex impio iustus fit, Deóque reconciliatur. Quare pugnāt quidem ex diametro ex operibus sine fide mercedem debitam poscere, & ex fide & gratia Christi sine precedentium operum merito iustificari. Ille enim humanam tantūmodo iustitiam constituit, & apud homines tantùm laudem habet, si tamen & illam promeretur: hoc verò veram coram Deo iustificationem efficit, ex impio iustū facit. Cæterùm non pugnant hæc duo quæ Beza ponit: *fidem impiorum iustitiæ, & operum debitam mercedem persolui*. Non pugnāt, inquam, in sensu Pauli, & aliorum Scripturarum, quę vtrumque docent

Nam in prima ac principe iustificatione, qua ex impio homo fit iustus, Deóque peccator reconciliatur, *imputatur fides ad iustitiam* quatenus fides est vna necessaria virtus ad iustificationem seu illã seu aliam quamcunque, & absque illa nemo iustificatur, nec ipse Abraham iustificatus fuit. At verò in vitæ æternæ aut aliarum à Deo mercedum retributione, operibus illa persoluitur, & vt debita merces persoluitur; sed operibus verè bonis, & in fide factis, & gratiæ Dei beneficio præstitis; debita quoque non ex ipsorum operum substantia & nuda præstantia ac dignitate, sed ex superaddita illis dignitate, quatenus Spiritu gratiæ cooperante fiunt, & filiorum Dei opera sunt. *Sic vtraq; iustificatio ex gratia Dei est*, non altera tantùm, vt Beza fingit. Posterior enim etsi *meriti sit in nobis*, vt ille ait, nõ tamen meriti ex nobis, sed meriti ex gratia: ac per hoc & ex gratia fit quòd bona opera magis iustificant, vitamque demum æternã promereantur. Optimè igitur non Græci scholiastæ tãtùm, sed & Latinorũ decus S. Augustinus, rectissimèque iudicarunt, fidei & operũ mercedem hoc loco à Paulo inter se comparari, & quòd illa multò amplius præmiũ habeat, nempe laudé à Deo, veraque iustitiam; quo vtroque opera sine fide carent, vt disertè in hunc locum docuit Chrysostomus. Ita fit vt *non modò aberret à scopo Apostoli* Beza (quod ille Græcis impingit) *sed etiam fidei merito deroget*,

Fides quo modo imputatur ad iustitiam.

Tit. 3.

quæ Christi in nobis opus est, & gratiam
Gal. 6. diffusam in nos abunde, vt simus noua creatura
Christo, funditus euertat.

5. Qui iustificat impium.

ANimaduertenda est hoc loco glo
Bezana, qua totam suam suorum
impietatem prodit. Sic enim hæc verba e
ponit: *Qui iustificat impium, id est, qui eum,*
Impios pro iustis apud Deũ haberi, Caluinus ac Beza docent.
in sese est impius, facit iustum in Christo. Ne
nullos pro iustis approbat Deus, nisi quos prius
summè nõ in ipsis, sed in Christo suo, imputata Ch
sti iustitia iustificarit. Nec aliter hoc loco Ca
uinus: *Clarè definit, non quatenus meritoriam*
tus est fides, iustitiam nobis conferre, sed quatenu
Dei gratiam nobis impetrat. Neque enim Deum n
dò pronuntiat datorẽ iustitiæ, sed nos iniustitiæ da
nat, vt nostræ inopiæ succurrat Dei liberalitas
summa, nemo ad fidei iustitiam perueniet, nisi
in se erit impius. Aliena iustitia ornat nos fides, qua
à Deo mendicat. Disertis verbis vterque fa
tur sic impium fide iustificari, vt tamen in
se sit impius; eosque pro iustis approbat
qui non in ipsis (Deum enim datorem iust
tiæ negat Caluinus) sed imputata Christi iu
stitia, & per fidem mendicata, iustificantu
Qua doctrina nihil magis impiũ dici potu
Si enim homines per Christũ iustificati, a
huc *in sese sunt impij, nec nisi aliena iustitia orna*
Gal. 6. 15. Rom. 7. 6. *tur*; ergo nulla est in *Christo noua creatura, n*
mo in nouitate spiritus ambulat, per obedientia
Chri

Christi nulli constituuntur iusti, in nullis *regnat gratia per iustitiam*, nemo *mortuus est peccato, in nouitate vitæ* nemo ambulat, *vetus homo noster* in nullo *crucifixus est*, in nullo *destruitur corpus peccati*, sed contrà in omnibus à Christo iustificatis *regnat adhuc peccatum in mortali eorũ corpore, peccatũ* adhuc *illis dominatur*, nemo *condelectatur legi Dei secũdùm interiorem hominem*; denique *gratia regenerationis & renouationis per Spiritũ S. quem effudit in nos abunde* nullam vitæ renouationem operata est; *Christi sanguis non emundauit conscientias nostras ab operibus mortuis*; postremò, vt infinita alia prætermittã, frustra *apparuit gratia Saluatoris nostri Dei, erudiens nos, vt abnegantes impietatẽ & secularia desideria, sobriè, piè, & iustè viuamus in hoc seculo.* Quid enim? An qui *noua in Christo creatura* est, id est, in quo *fides per dilectionẽ operatur* (hæc enim pro eodẽ Apostolus habet) adhuc in sese impius est? An qui *abnegauit impietatem & secularia desideria*, adhuc in sese impius est? An *qui iustus constitutus est*, adhuc in sese impius est? An *cuius cõscientia ab operibus mortuis emũdata est*, adhuc in sese suaq; conscientia impius est? An qui *condelectatur legi Dei secundùm interiorẽ hominẽ*, adhuc carnalis & impius est? An denique in sese impius est *qui ambulat secũdùm spiritum*? aut in quo *vetus homo crucifixus est*, & in quo *peccatũ amplius non dominatur*, sed *regnat gratia per iustitiã*? Ergo qui ambulat secũdùm carnẽ, & in quo regnat ac dominatur peccatũ, qua

Rõ. 5. 19. Rõ. 6. 4 6.

Rom. 6. 12. & 14. Rõ. 7. 22.

Tit. 3. 5 6.

1. Ioã. 1. 7.

Tit. 2. 11.

tandem ex parte in seipso inferior aut de-
rior erit, quàm is qui ambulat secundi
spiritum? An docent hæretici, Paulum,
ad Corinthios scriberet, in sese impium fu-
1. Cor. 5. se, sicut fornicarius ille Corinthius prop
vitæ turpitudinem impius erat? Hoc
fortasse dicere non verebũtur. Sed tam ap
tam impietatem, & contradictionem tam m
nifestas, aures Christianæ ferre non po
runt.

Impium iustificari quid. Quid sit iustificari impium, doceat n
potiùs S. Augustinus quàm impurus Be
vel impius Caluinus, qui, vt de suis turpi
dinibus magis viuerent securi, *homines im
impios* posse in Christo per fidẽ imaginari
iustificari, sibi suauiter persuadere volueri
Epist. 46. *Misericordia & gratia Dei* (ait Augus.) *conue
hominem vt iustificetur impius, id est, ex im
fiat iustus.* Ergo non manet in sese iniust
Epist. 120 cap. 20. Rursum: *Credens in eum qui iustificat impiũ: i
est, ex impio facit pium.* Ergo in sese non mane
De gratia & lib. arb. cap. 6. impius. Adhuc alio in loco: *Necessarium e
homini, vt gratia Dei iustificetur impius, id est, e
impio fiat iustus.* Non ergo manet in sese inius-
In præfat. Psal. 31. tus. *Si iustificatur impius, ex impio fit iust*
Rursum in expositione quarũdam propos
tionum in epist. ad Rom. hunc locum tra-
De Spir. & lit c. 9. ctans: *Quod ait Apostolus, Qui iustificat impium,
hoc est, de impio iustum facit.* Et alio in loco: *Iu
stitia Dei est, non qua Deus iustus est, sed qua indu
hominem quum iustificat impium.* Qui autem in-

duru

dutus est iustitia, in sese impius non est, nec ab aliena sibi imputata, sed à sua iustitia sibi per Dei dona inhærente, iustus denominatur & est. Adhuc semel: *Hæc est illa iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos ab eo facti.* Ibidem cap. 18. Et iterum in eodem libro apertius: *Quid est aliud, iustificati, quàm iusti facti ab illo qui iustificat impium, vt ex impio fiat iustus?* Cap. 26. Ac demum in Retractationibus suis, ne hanc tam constantem & perpetuã suam doctrinam reuocasse videatur: *Gratia Dei iustificamur, id est, iusti efficimur.* Lib. 2. cap. 32. Imputatiuam hæreticorum iustitiam ignorauit Paulus, ignorauit Augustinus, ignorauit hactenus tota SS. Patrum & Dei Ecclesia. *Hominem ex sese impium pro iusto apud Deum haberi & approbari, nec ad iustitiam fidei peruenire quemquam nisi qui in se sit impius*, paradoxum dementissimum est, Epicureis non Christianis dignum. Impij quidem sunt omnes ante fidei iustitiam acceptam, & antequam à Deo iustificentur: sed qui ad iustitiam fidei iam peruenit, eaque donatus est, non est in sese impius, sed iustus; non vetus homo, sed noua creatura; non aliena iustitia, sed sua à Deo accepta ornatur: in *quo videl. regnat gratia Christi per iustitiam*, non regnat peccatum per iniustitiam. Rõ. 5. 21.

60 Sicut

6. *Sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis, a Deus accepto fert iustitiã sine operibus:* 7. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* 8. *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum.*

VIsus est hîc locus Caluino ad solius fidei iustitiam solidè confirmandam, & aduersaria orthodoxæ fidei dogmata euertenda, peridoneus. Totam eius disputationẽ subijciam, quîa in ea non solùm sua placita stabilire, sed & quæ ab orthodoxis ex aduersò proferri solẽt retundere modis omnibus contendit. *Hinc* (inquit) *perspicimus, merum esse eorum cauillum, qui opera legis intra cæremonias limitãt, quando nunc opera simpliciter & sine additã vocat, quæ priùs dicebat opera legis. Si nemo inficiari potest simplicem & non restrictam locutionem, qualis nunc occurrit, promiscuè de opere quolibet intelligendam, id perpetuò in tota disputatione valere debet. Nihil enim minùs consentaneũ, quàm cæremoniis solis vim iustificandi adimi, quum opera indefinite Paulus excludat.* Tota hæc fabula nihil ad rem facit. De operibus ceremonialibus Paulum hîc loqui nemo affirmat. Illa frustra insectatur Caluinus. Sed vafer hæreticus de operibus ante fidem, de operibus naturæ, de operibus impiorum qui necdum per fidem Deo reconciliati sunt, Paulum hîc loqui, non autem de operibus gratiæ, & post fidem, non obseruat, non attendit; illa hîc excludi non

Caluini impostura

memo-

memorat. Agit hîc ergo Apostolus de quolibet quidem opere, sed ante fidem Christi acceptam, & antequam impius iustificatur. Sententia Apostoli hæc est, vt eam S. Augustinus erudite & orthodoxè exponit: *Deus accepto fert iustitiam sine operibus. Iustitiam quam? fidei, quam bona opera non præcesserunt, quam bona opera consequuntur.* Hæc August. Excludit ergo Apostolus nō solùm ceremonialia opera, sed quælibet alia opera quæ fidem præcesserunt. Hoc Caluin? tacuit, hoc dissimulauit, de solis ceremonialibus inaniter garriens. Hæc eius prima fraus: videamus alia. *Huc* (inquit) *accedit oppositum membrum, quòd Deus homines iustificet peccatum non imputando. Quibus etiam verbis docetur, iustitiam Paulo nihil esse quàm remissionem peccatorum.* Hæc prima hæresis est quam ex hoc loco consequi Caluinus vult: In sola remissione peccatorum Christianam iustitiã consistere. At verò illud oppositum membrum, Deum homines iustificare peccatum non imputando, docet sanè, vnam primæ iustificationis seu conciliationis cum Deo partem esse, quòd Deus peccata non imputet, sed condonet: sed non docet, totam & integram iustitiam in sola remissione peccatorum consistere, vt infert Caluinus. Qua de re paulò pòst plura dicemus.

In præfat. enarr. in Psal. 31.

Peccatum non imputare, vna pars iustificationis est non tota.

Pergit Caluinus: *Postremo, hanc quoque remissionem gratuitam esse, quia sine operibus imputatur: quod & Remissionis nomẽ indicat. Non enim remittit*

mittit creditor cui numeratū est, sed qui nomen ſu-te inducis mera liberalitate. Eant nunc qui deliſtum-ventam ſatisfactionibus redimere docent, à qua Pa-lus argumentum petit ad gratuitum iuſtitiæ dum-aſſerendum. Secunda hæc hæreſis eſt cōm-pœnitentiæ neceſsitatem; quam vt his Pau-verbis excludi doceat, valde ſatagit Calu-nus. *Sine operibus imputatur iuſtitia* (ait Calu-nus) *ergo ſine omni ſatisfactione.* Putidum a-gumentum eſt. Deus quando iuſtificat im-pium, iuſtitiam illi confert, facitque ex im-pio iuſtum, impertito illi dono fidei qu-per charitatē operetur, nullo merito operum-præcedentiū (*ſine operibus iuſtitiæ quæ fecim-nos*) & remittit illi præterita peccata grati-per Chriſtum; ergo nec ad remiſsionem pec-catorum conſequendam, vlla præuia pœni-tentia neceſsaria eſt, quæ peccatorem diſpo-nat (& falſa ac ridicula ſunt illa in Scriptu-ris omnia quæ peccatores ad pœnitentiam hortantur) nec poſt veniam impetratam ad pœnam temporalem peccatis debitam exol-uendam vlla ſatisfactio ſubeunda eſt; & falſa eſt Scriptura quę dicit, *De propitiato peccato-eſſe ſecurus*; ipſéque Dauid aut ineptè aut el contra gratuitam remiſsionem impiè feci-qui poſt peccatum illi à Deo dimiſſum, *la-chrymis ſuis ſtratum ſuum rigauit, &c.*

Pœnitētię neceſſitas à Caluino fruſtra ex-cluditur.

Tit. 3.

Eccl. 5. 5.

Pſal 6. 7.

Declamat adhuc Caluinus, & hoc ſuū ar-gumentum magis premit. *Quomodo* (inquit) *illis cum Paulo conueniet? Aiunt illi, operibus ſanc-facien-*

faciendum Dei iustitiæ, quo peccatorum veniam impetremus. Mentitur Caluinus. Operibus satisfaciendum Dei iustitiæ docent Catholici, docent Scripturæ, non ad veniã peccatorum impetrandã, sed ad pœnã peccatis iam remissis debitã, Dei iustitia sic exigẽte, persoluendam. Aut pœnitentiam cum satisfactione confundit Caluinus, aut doctrinam Catholicã studio calumniatur. Pœnitentia remissionem peccati præcedit, disponendo peccatorem: satisfactio sequitur, expiando peccatorem.

Satisfactio quo sensu requiritur.

Sed contrà ratiocinatur Paulus (ait Caluinus) *iustitiam fidei gratuitã esse, ac sine operibus, quoniã à peccatorum remissione pendeat.* Nihil hîc contrarium habetur. Iustitia fidei à remissione peccatorum pẽdet, quatenus ab illa incipit; ideóque merè gratuita est, & sine operibus quæ remissionem peccatorum mereantur; sed nõ sine operibus quæ ad eam disponant. Rursum, gratuita est sine operibus satisfactorijs, quia illa remissionem consequuntur, nec ad peccati reatum tollendum, sed ad pœnam exoluendam assumuntur. *Imò* (ait Caluinus) *vitiosa esset ratiocinatio, si qua in remissione peccatorum opera intercederent.* Ita sanè si per modum meriti aut causæ efficientis intercederent, quæ gratuitum tollerent. Dispositio necessaria nihil gratuitæ remissionis imminuit, sed diuinæ bonitati in Scripturis reuelatæ inprimis conuenit; qui sic bonus est,

Iustitia fidei quatenus a peccatorũ remissione pendet.

vt sit

vt sit etiam iustus: sic liberalis est, vt etiam
prudens sit; sic misericors est, vt etiam ve
sit, ac seipsum negare non possit. *Dimitte*
bis debita nostra, & veluti creditor non
sponte inducit mera liberalitate; sed h
liberalitas ex iustitia conditionem requi
nos dimittimus debitoribus nostris. Hic in rem
sione peccatorum opus charitatis frate
necessario intercedit. Rursum, *similiter*
est Deo impius & impietas eius. Sic ergo impiu
iustificat ex misericordia, vt ipsam impie
tem impius præteritorum pœnitentiam
ponat, quod sine aliquo opere deponere
potest. Ipsum enim de peccatis commi
dolere, ipsum nouæ vitæ proposito, ipsa co
lachrymis veniæ petitio, ipsa Dei inuocati
ipsa concepta spes veniæ, ipsa noua Dei
lectio, sine qua nec peccati odium nec ve
spem conciperet, denique & proximi
ctio, sine qua nulla venia datur; hæc, inq
omnia, præter actum fidei quo *credimus*
qui iustificat impium, opera quædã animi
& vix vnquam sine aliquo etiã externo op
re bono, vbi id exercendi occasio se offe
que ad remissionem peccatorum intercedi
cum quibus tamen omnibus Deus gratis
remittit peccata, quia non propter illa om
nia, sed propter suam bonitatem remittit
ne illis tamen propter suam veritatem & i
stitiam non remittit. Hæc impij hæretici no
aduertunt, sed sola voce *Remissionis gratu*
aliorum

Remiss. pec. gratuita cum operum cõditione. Matth. 6.

Sap. 14.

aliorum oculos fascinant, sibique ipsis oculos claudunt, ne totam Euangelicam veritatem videant.

Pergit tamen adhuc Caluinus ex his verbis alia annotare. *Neceminùs* (inquit) *ijsdem Prophetæ verbis ineptiæ Scholasticorum dissipantur de dimidia remissione. Culpa remissa pœnâ retineri à Deo nugantur. Propheta autem clamat non tectâ modò peccata esse, hoc est, in conspectu Dei sublata, sed etiam addit non imputari. Quomodo conueniat Deum pœnam eorum exposcere quæ non imputet?* Respondeo: Scholastici dimidiam remissionem peccatorum non docent sed integram & plenam, quibus Deus peccata remittit. Quòd autem dimissis à Deo peccatis pœna interdum maneat exoluenda, nõ est dimissi peccati aliqua diminutio; quia pœnam illud respicit, non culpam. Peccatum duo in se habet: vnum, quòd diuidit nos à Deo, facitque filios iræ, quatenus affectus semper inordinatus est, & à Deo auersus: aliud quòd meretur pœnam, siue ipsius peccati reatus. Diuisionẽ illam, & auersionem tollit gratuita remissio, facitque filios Dei qui fuerunt filij iræ. Pœna nihilominus manere potest, quæ ex sua natura malum non est, sed æquè cadit in bonos vel probationis vel meriti causa, quàm cadit in malos iustitiæ causa. Vnde & Redemptor noster, qui sine peccato fuit, pœnas tamen peccatorum nostrorum sustinuit.

Remiss. pecc. dimidia à Scholast. non docetur.

At (inquit Caluinus) *quomodo conuenit Deo pœnam eorum exposcere quæ non imputat?* Quo verò non possit Deus culpam non imputare per misericordiam, & pœnam exposcere per iustitiam. Appositè Augustinus: *Misericordia Dei est, vt ignoscat peccanti: iustitia est, vt puniat peccatum.* Sanè ille beatus est, cui Dominus non imputat peccata ad culpam, neque ad pœnam æternam, condonando vtrumque tametsi ea imputet ad pœnam aliquam temporalem. Deinde, *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta eorum.* Deus propter Christum non imputauit peccatoribus credentibus in Christum delicta ipsorum: pœnas tamen delictorum eorum in Christo poposcit. Ita cõuenit Deum pœnas eorum exposcere quæ non imputat. Si Christo potuit imputari pœna peccati, cui nullum potuit imputari peccatum; quanto magis conciliatis cum Deo peccatoribus imputare peccatorum pœnam Deus potest, peccata non imputando! Iubet nos Christus orare: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Atqui nos debitoribus nostris legitimè dimittimus, si iniurias passi, offensionem quidem dimittimus, satisfactionem tamẽ iniuriæ factæ expetimus neque ad remittendas iniuriæ illatæ pœnas vel de iure debitas, vel ad proximi emendationem vtiles, hoc præcepto cogimur, sed tantùm ad offensionẽ omnẽ animo deponendã

Pœnam exposci vbi peccatum nõ imputatur.

Hom. 21. ex Hom. 50.

2. Cor. 5.

dam,& ad legẽ charitatis ſeruandã. Alioquĩ de iure agere nulli Chriſtiano liceret. Pariformiter ergo & Deus nobis miſericorditer dimittit,& peccata miſericorditer non imputat, remittẽdo nobis offenſam erga illum, & in gratiam nos ſuam recipiendo; tametſi peccatorum, quæ remiſſa ſunt, pœnas aliquas vel iure diuino atque humano debitas, vel ad emendationem & expurgationem noſtram vtiles, nobis infligat. Ita rurſum optimè conuenit, Deum nõ imputare peccatum, & pœnam tamen eius expoſcere.

His accedit quòd *beati illi ſunt quorũ remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata, & quibus Dominus non imputauit peccatum*, quia videlicet ita ſe geſſerunt, talem pœnitentiam egerunt, vt remiſſa & tecta & non imputata illis peccata fuerint. Beati quorum iniquitates per humilem confeſsionẽ remiſſæ ſunt; quorum peccata per charitatem tecta ſunt. (*Charitas enim operit multitudinem peccatorum*) 1. Petr. 4. quibus aut in Chriſto baptizatis, aut pro Chriſto martyrio affectis, ad pœnã ampliùs peccatum Deus non imputat. Sic hoc loco D. Hieronymus: *Remittuntur peccata per baptiſmum: teguntur per charitatem: non imputantur per martyrium.* In paruis com. Sanè nõ abſque omni opere noſtro hanc remiſsionem & non imputationem peccatorum fieri, quod apud Dauidem immediatè ſequitur, perſpicuè oſtẽdit. Subiungit enim: *Nec eſt in ſpiritu eius dolus*: id

In Psal. 31. est, vt exponit hoc loco Augustinus, *Qui similiter & verè confitetur peccata sua.* Confitentibus igitur & pœnitentibus remittit Deus peccata, tegit illa, non imputat illa. Sed quia confessio & pœnitentia nõ sunt remissionis merita, aut causæ efficientes, & Deus ex pura misericordia illa remittit, propterea hîc dicitur; beatos illos esse, quibus Deus accepto fert iustitiã sine operibus: nempe iustitiam fidei (ait B. Augustinus) *quam bona opera non præcesserunt, quam bona opera consequuntur.*

Præfat. in Psal. 31.

Quibus ita explicatis, Caluini triumphus, quem ante victoriam cecinit, in luctum illi & dedecus conuersus est. Siquidem post disputationem præcedentem, veluti præclarè re gesta, concludit: *Manet ergo salua nobis pulcherrima sententia, Iustificari fide, quæ gratuita peccatorum remissione purgatus sit.* At qui ex his, quæ dicta sunt, liquidò constat, non manere saluam, sed penitus concidere nouellam hanc & pernicioſam sententiam, quòd iustificatio ex fide seu iustitia fidei non sola gratuita peccatorum remissione constat: illam videlicet ita præcisè accipiendo sicut in præcedentibus accepit Caluinus.

Pergit nunc ad alia sua placita Caluinus ex his Apostoli verbis stabilienda. *Præterea* (inquit) *hinc gratuitæ iustitiæ perpetuã in tota vitam duratio colligi potest.* Nõ satis est Caluino primam hominis iustificationem seu reconciliationẽ cum Deo ita ex sola fide gratuita consti-

constituere, vt nec ad illam pœnitentia disponat, nec in illa vlla mentis renouatio fiat, nec post illã vlla satisfactio locũ habeat, sed sola fides ex parte nostra omnia suppleat. Vult præterea in toto cursu iustitiæ Christianæ solam quoque fidem omnia præstare; & hanc Dauidis sententiã à Paulo prolatam, non ad impij tantùm iustificationem, sed ad totius quoque vitæ iustitiam pertinere; id est, hominis Christiani iustitiã hanc esse, vt semper in sese impius, impurus, immundus, scelerat us, abominabilis, accepta per fidem gratuita semper remissione, tectis semper peccatis, & non imputatis, hoc demũ modo corã Deo iustus sit. Sed hoc paradoxũ impiũ & detestabile quomodo probet videamus. *Nam* (inquit) *cũ Dauid diuturno conscientiæ suæ cruciatu fatigatus in hãc vocẽ erumpat, de experientia certè sua loquitur. Atqui iã per annos cõplures Deum coluerat. Ergo post magnos progressus tandẽ expertus miseros esse omnes qui ad Dei tribunal vocãtur, non aliã obtinendæ beatitudinis viam esse clamat, quàm si Dominus nos in gratiã recipiat, peccata nostra non imputando. Ita probè refellitur eorũ commentum, qui fidei iustitiam non nisi initialem esse nugantur, vt deinde fideles operibus possessionem iustitiæ retineant, quam nullis meritis adepti sunt.* Vide impuri hæretici commentum impurissimum, & malæ mentis animum malum. Fingit homo ipse impurus Dauidem tota vita impurum, & *diuturno conscientiæ suæ cruciatu fatigatum*, in sola

Impietatẽ perpetuã cum remiss. perpetua docet Caluinus.

Caluini doctrina execrabilis.

remissione peccatorum beatitudinem o
nem ponere. Addit tamen *quòd per annos* m
plures Deum coluerat. Sed quid? An Deus c
litur per continua scelera & flagitia? A
diuturno conscientiæ cruciatu alij fatigantur, q
homines scelerati & flagitiosi, qui carnifi
nam illam inuiti & necessariò patiuntur
Esai 48. iuxta illas Scripturas, *Non est pax impijs*
Psal.13. *viam pacis non cognouerunt*: & iterum, *Cor im*
Esai.57. *quasi mare feruens*: multáque huiusmodi. V
de sapienter S. Augustinus: *Iussisti Domine, e*
Confess. lib.1. cap.12. *ita est: vt omnis animus inordinatus ipse sibi pœ*
sit. Aut ergo Deus per flagitia colitur, aut
coluit Deum Dauid per cõplures annos, fa
sum est, quòd *post magnos progressus in cul*
Dei, diuturno conscientiæ suæ cruciatu fatiga
fuerit. Deinde, quid magis impium dici p
tuit, quàm quòd Dauid post *magnos progre*
sus in cultu Dei per complures annos continuat
tandem expertus est miseros esse omnes qui ad trib
nal Dei vocantur? Quæ vox magis impia m
gísue Satanica efferri potuit? An non ha
impia & Satanica doctrina omnẽ progre
in Dei cultu demẽtiæ & stultitiæ condẽn
An non omnes illas Scripturas ludibrio e
ponit, quæ iubent *ambulare in vijs Domini*, q
custodire iustificationes eius (quod nemo acri
conatus videtur quàm ipse Dauid, vt tot
Psalmus 118 abũde testatur) quæ iubent co
Matth.7. Rom 8.7. Luc.1. *tendere vt intremus per angustam portam*, quæ iu
bent *spiritu facta carnis mortificare*, & seru

Deum

Domino in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus vitæ nostræ? Omnẽ enim huncconatũ, omnem progressum, miserum & dementiæ plenum Caluinus pronuntiat. *Post magnos* (inquit) *progressus in cultu Dei expertus tandem est Dauid miseros esse eos omnes qui ad Dei tribunal vocantur.* Quid tu narras, portentũ hominis in vltimas terras deportandum? Miseri omnes illi sunt, qui post magnos in pietate progressus (nisi fortè cultũ Dei pietatem esse neges) ad tribunal Dei vocantur? Ergo hædos cum ouibus, lupos cum agnis, reprobos cum electis, homo impie, confundis? Dixit Paulus: *Oportet nos omnes manifestari ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisq; prout gessit in corpore, siue bonum siue malum.* Miseri ergo, iuxta Caluinum, erunt in vniuersum omnes, tam qui bonum in corpore gesserunt, quàm qui malum. Nam *post magnos in cultu Dei progressus, miseros tamen omnes* esse ait, *quum ad Dei tribunal vocantur.* Ergo & miseri illi erunt, quibus ad tribunal Dei stantibus dicetur, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod paratum est vobis à constitutione mundi: Esurui enim, & dedistis mihi manducare,* &c. Miseri quoque illi erunt, quibus ad tribunal Dei vocatis, Deo videlicet cum seruis suis rationem ponente, dicetur, *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.* Iste sanè seruus bonus & fidelis magnos in Dei

Caluiniana impietas epicurea.

2. Cor. 5. 10.

Matt. 25.

Ibidem.

cultu progressus fecerat. Sed an tandem p
illos progressus vocatus ad tribunal Dei m
ferum se esse expertus est? Et quis mag
seruus bonus & fidelis quàm Propheta D
uid, cui hoc testimonium Deus ipse per
Act. 13. 22. bet? *Inueni Dauid virum secundùm cor meum, q
faciat omnes voluntates meas.* Taménne Dau
*diuturno conscientiæ suæ cruciatu fatigatus, qu
per annos complures Deum coluerat, expertus ta
dem est miseros eos omnes esse* (& seipsum imp
mis) *qui ad tribunal Dei vocantur?* Ecce Iude
ipse, ad cuius tribunal vocatus est, pronu
tiat eum *non miserum sed beatum* esse: nisi scor
beatus non est, qui *vir secundùm cor Dei* est; an
maior aliqua vel beatitudo vel iustitia ei
possit, quàm ita Deo acceptum esse, vt
secundùm cor Dei ab ipsomet Deo prædicetu
Postremò, Paulus ipse cùm iam *per complura
annos Deum coluerat, & magnos progressus fec
rat*, videns se vocari ad tribunal Dei, & dice
2. Tim. 4. *Tempus resolutionis meæ instat, an tunc miser
se esse sensit? aut diuturno conscientiæ suæ crucia
fatigatus, non aliam obtinendæ beatitudinis via
expectauit, quàm vt peccata ei non imputarentur.*
Audiamus igitur vocem eius. *Bonum*, inquit,
*certamen certaui, fidem seruaui, cursum consum
maui, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ,
quam reddet mihi in illa die iustus Iudex.* Hæcc
ne vox hominis miseri est, non aliam obti
nendæ beatitudinis viam expectantis quàm
vt non illi imputentur peccata? Siccine sanc
ctos

ctos omnes Prophetas & Apostolos post multorum annorum in pietate progressus, conscientiæ suæ cruciatu fatigatos, in sola peccatorum nõ imputatione miseros ac miserabiles Caluinus relinquit? Sed hæc est Theologiæ Caluinianæ summa & detestabilis impietas. His ille impijs & sceleratis axiomatibus suis solam fidẽ iustificantẽ probare, eosque refellere se posse putat, *qui fidei iustitiã non nisi fidem per dilectionem operantẽ* esse rectissimè docent. An non Paulus hoc ipsum docuit dicens? *Manent ergo tria hæc, fides, spes, cha-* 1. Cor. 13.
ritas, maior autem horum est charitas? Si maior charitas, ergo minor est fides. Et quomodo hæc minor, & illa maior, nisi quia à fide inchoatur iustitia, in charitate perficitur? *Finis enim præcepti dilectio de corde puro*, &c. sicut *finis* Rom. 13.
legis Christus, quia videlicet charitate lex per- Rom. 10.
ficitur: vel, vt Apostolus loquitur, *plenitudo* Rom. 13.
legis dilectio; sicut Christi gratia legem implet hac in cordibus nostris diffusa charitate qua lex impleatur. Quod totum optimè intelligens August. ita scribit: *Incipis esse in fide per indulgentiam. Iam fides illa, assumpta spe & dilectione, incipit bene operari.*

Ad verba Dauidis quod attinet, certũ est in eius persona dici, qui in aliquo graui scelere, aut in multis sceleribus Dei misericordiam expertus, suam & aliorum felicitatem prædicat, quibus talem misericordiam Deus præstitit. Titulus Psalmi est, *Ipsi Dauid intel-*

lectus: id est, Psalmus qui docet quomo
ipse Dauid suum peccatū intellexerit, ag
uerit, deplorauerit. Prædicat igitur Dauid
sua persona eorum felicitatem, qui ex gra
bus flagitijs emersi veniam à Deo impet
runt. Quæ felicitas vt non nisi secunda
est, (quum prima felicitas sit, illa venia n
indigere, seruata innocētia) ita nec tota pe
catoris recōciliati beatitudo est, sed partia
& initialis tantùm. Quare pro eo tempo
accipi debet, quo de peccatis suis in Scrip
ra commemoratis venia accepta, Deo gr
tias agit, illosque ex parte beatos ac felic
prædicat, qui singulari Dei misericordia m
gnorum scelerum veniam impetrarunt, n
autem pro toto illo tempore quo per com
plures annos, adeóque in reliquo toto vi
suæ cursu (vt apparet) Deum sincerè colu
Act. 13. rat, *facientem omnes voluntates Dei*, ideóque pro
nunciatus *vir secundùm cor Dei*. Ita hic loc
nihil minùs docet, quàm in sola hac remi
sione peccatorum totam & perpetuam ho
minis Christiani iustitiam consistere. Et
quidem aliqua perpetua peccatorum remi
sio homini etiam iusto necessaria, vnde om
nes clamant, *Dimitte nobis debita nostra*, sed ill
alterius generis est, & non nisi leuium del
ctorum, quæ à Deo hominem non separan
De Iusti- ficat. lib. 11. venia ac remissio est: quod alio in loco latiū
explicatum dedimus.

Quia facilè vidit Caluinus quid contra
has

hanc fœdam diuinæ Scripturæ deprauationem obijci posit ac soleat, illud totum studiose amoliri conatur, vt solius remissionis peccatorum iustitiã, in peccati fauorẽ, homo impius modis omnibus constabiliret. Ac primùm aduertebat, beatitudinem non secus operib⁹ bonis ab ipso Dauide & in alijs Scripturis attribui quàm remissioni peccatorũ: vnde necessariò consequitur, beatitudinem remissioni peccatorũ attributã non nisi partialẽ & ex parte esse, aliaq; adhuc in Scripturis cõmendari quæ beatos & iustos mortales faciant, nõ secus quàm gratuita peccatorum remissio: similiter bona opera in iustitiã reputari nõ secus quàm fidẽ. His ergo omnibus occurrere volẽs, ita præcedẽtibus subiungit: *Quòd autem opera interdum in iustitiam imputari, & aliæ quoque beatitudines recensentur, nihil de Pauli sententia detrahit. Refert Psalmus imputatum esse Phinees sacerdoti Domini in iustitiam, quòd sumpto de scortatore & meretrice supplicio vindicarit opprobrium Israelis. Nempe hominẽ audimus facinus iustum edidisse, sed vno facto personam non iustificari scimus.* Ergo iuxta Caluinum mentitur Scriptura, quæ hoc vno facto eum iustificari scripsit; ait enim: *Reputatum est ei in iustitiam à generatione in generationem.* Sic ergo contra Caluinum arguo: Aut reputari in iustitiam significat iustificatum esse, & sic Phinees, cui *hoc factum reputatũ fuit in iustitiam*, ex illo facto iustificatus est; aut non significat iusti-

iustificatum esse, & sic Abraham, *cui fides putata est ad iustitiã*, ex illa fide nõ iustificatus est. Quòd Phinees ex zelo legis Dei adductus rantem cum Madianitide interfecit, vnus fuit & singulare factum : quòd Abraham promittenti Deo seminis sui multiplicationem credidit, vnus fuit & singularis ille actus. Vterque actus reputatus fuit in iustitiam. Ergo aut vterque actus iustificauit, aut neuter. Sed probare contendit Caluinus vno facto personam iustificari non posse : *requiritur enim perfecta & numeris suis omnibus consummata obedientia, vt sonat promissio, qui fecerit hæc, viuet in ipsis.* Respondeo: Requiritur etiam perfecta & numeris suis omnibus consummata fides, qualis Pauli erat, *credens omnibus quæ in lege & Prophetis scripta sunt*. Et quemadmodũ omnia facienda sunt quæ Deus iubet, sic omnia credenda sunt quæ Deus loquitur. Nihilominus sicut actus fidei in eo quod creditur exercetur, & quilibet actus fidei in iustitiam reputatur, non secus quàm fides Abrahæ; sic bonum opus in qualibet virtute exercetur, & quodlibet bonum opus in iustitiam reputatur, non secus quàm zelus Phinees. Sed quemadmodum ratione obiecti quod creditur, excellentius interdum fidei actus est, & in maiorem iustitiam reputatur; sic ratione obiecti, circa quod actus virtutis versatur, opus bonum excellentius interdum producitur, & in ma-

Vnum opus potest iustificare.

Act. 24. 14.

rem similiter iustitiam reputatur. Denique sicut qui vnũ fidei obiectũ credit, ideo ex illa fide iustificatur, quia paratus est omnia credere quæ promittit Deus, tametsi de facto omnia non credat, quia omnia non audiuit aut didicit; sic ex vno bono opere homo iustificatur, quia affectum habet omnia præstandi, tametsi de facto omnia non præstet; quia aut occasio aut facultas omnia præstandi nõ datur. Et hanc ob causam, tã vni bono operi quàm vni actui fidei Paulus in vna & eadem sententia salutem tribuit. *Si confitearis* (inquit) *in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris quòd Deus eũ suscitauit à mortuis, saluus eris.* Oris confessio vnus actus externus est, circa vnum Christi præceptum. Credere Christum à mortuis resurrexisse, vnus fidei actus circa vnum fidei obiectũ est. Scriptura igitur nõ solùm totius legis, sed etiam cuiuslibet præcepti obseruationi salutem promittit, & iustitiam attribuit. Ratio est, quia nemo vnum Dei præceptũ vt oportet præstat, qui non totam legem animo & affectu obseruat. Nam & nemo est qui aliquod fidei obiectum vt oportet credit, qui non omnibus fidei obiectis animo & affectu assentiatur. Postremò, vtraque Scriptura est vera, tam illa quæ vnius præcepti obseruationi salutem promittit, aut iustitiam tribuit, quàm illa quæ totius legis executioni eandem addidit. Non est vna neganda propter Rom. 10.

pter alteram, sicut hic facit Caluinus.

Ne tamen negare videatur alteram, q eius instituto aduersatur, eam glossare cu tendit, quia & hoc sibi necessarium videb Ait igitur: *Quomodo ergo imputatur illi hac ri in iustitiam? Certè iustificatum priùs gratuita gratia oportuit. Qui enim iam Christi iustitia in induti, ij non sibi modò propitium habent Deum, operibus quoque suis, quorum maculæ & næui Ch sti puritate obteguntur, ne in rationem veniã; nullis sordibus infecta opera iusta reputantur. Sa aliter quã huiusmodi indulgentia placere Deo qui libet humanum opus palàm est. Quòd si fidei iustitia vnica causa est, cur iusta opera habeantur; va quàm insulsè arguant, quia iustitia operibus im buatur, non solam esse fidei iustitiã. Ego autem uictum argumentum oppono contrà, iniustitia dam natum iri opera omnia, nisi sola fide homo iustifica tur.* Hæc ille. Atqui tota hæc Caluini euasio tam longè petita nihil eum iuuabit. Tota eius speculatio & inuictũ quod vocat argumentum in fumos statim euanescet. Summa speculationis eius est, Phinees fuisse prius hominem Dei gratia iustificatum; quod e facilè concedo: iustificatus autem quum es set, id est, in sensu Caluini, Christi iustitia indutus, hanc Christi iustitiã eius operibus alioqui maculosis & immundis nitorem & puritatem attulisse, vt sic nullis sordibus in fecta, iusta reputarentur. Sed hoc totũ Caluino negamus. Neque ille vel minimo ver-

Caluini inuictum argumentũ in fumos euanescit.

bulo

bulo paradoxum hoc ex Lutheri dictatis petitum, planéque absurdissimũ, probat. Primùm, iustificari in Christò, negamus idem esse, quod, Christi iustitia indutũ esse: Christi iustitia solus ipse Christus indutus est. Christus nos iustificat, non iustitia qua ipse iustus est, sed qua nos induit. *fide purificans corda nostra, & charitate diffusa in cordibus nostris per Spiritum S. quĩ datus est nobis.* Christũ quidem *in baptismo induimus*, vt Paulus docet, nõ eius iustitia vestiti, sed eius gratia donati, vt facti *noua creatura moriamur peccato, & viuamus iustitiæ.* Quare hoc figmentum Caluinianum, vt doctrinam ac traditionem humanã, quam nulla Scriptura docet, penitus reijcimus, & propriam in vnoquoque iustitiam, propriam fidem, spem, charitatem, aliáque Dei dona iuxta Scripturas agnoscimus. Rursum quòd operum bonorum immunditiem ac sordes Christi iustitia tegat, vt alterum simile figmentum, sola Caluini assertione firmatum, similiter reijcimus. Imperfectio varia, qua opera iustorũ laborant, non Christi iustitia tegitur, sed Christi misericordia ignoscitur.

Iustificari in Christo non est Christi iustitia indui. Act. 15. Rom. 5. Gal. 4. Gal. 6. Rom. 6.

Iam verò quòd ex his infert Caluinus, fidei iustitiam vnicam esse causam cur iusta opera haberentur, multò adhuc dementiùs dicitur. Non sola fides, sed charitas quoque causa est cur opera iusta habeantur. Nec sola fides, nec sola charitas, sed vtraque coniuncta. Nulla placent Deo opera sine fide, nulla item

Fides non est sola causa operum iustorum.

la item quæ non ex charitatis radice pul
lant. Factum hoc Phinees si non ex pio
& charitate erga Deũ, sed ex amaro zelo
vel ex odio proximi, vel ex vana gloria
alio quouis malo affectu profectum fuit
non in iustitiam, sed in graue peccatum
putatum fuisset. Scrutemur Scripturas,
videamus an hoc factum Phinees prop
vnicã fidei iustitiam reputatum fuerit in
stitiam, vt affirmat Caluinus, an potiùs p
ter ipsam charitatem & zelum honoris D
Sic de eo legimus quum iam recenter pa
tum fuisset. Dixit ad Moysem Deus: Phin
*auertit iram meã à filijs Israel, quia zelo meo co
motus est contra eos, vt non delerem filios Isra
zelo meo.* Laudatur in eo zelus Dei, vt ca
& radix facti. Sic de eo scribit Eccleiast
cus: *Phinees tertius in gloria est, imitando A
in timore Domini. In bonitate & alacritate an
sua placuit Deo Israel.* Sic de eo loquitur M
thathias Machabæorum pater: *Phinees pa
nostei, zelando zelum Dei, accepit testamen
sacerdotij æterni.* Addit denique Psalmist
quòd *reputatum fuit ei in iustitiam in generati
& generationem.* Non ergo fidei iustitia vni
causa fuit cur hoc factum Phinees iust
haberetur. sed zelus ex amore Dei & popu
sui profectus (vnde dixit Ecclesiasticus
Sietit in veuerentia gentis suæ) proxima & præ
pua causa erat, cur hoc opus reputatum fu
ritei in iustitiam. Inuictum Caluini argu
mentum

Phinees iustitia ex charitatis radice ôrta est.

Num. 25. 11.

Eccl. 45. 28.

1. Mach. 2. 54.

Psal. 105.

Eccl. 45.

mentum deuictum & deiectum iacet, quo sic triumphabundus arguit, *iniustitiæ damnatum iri opera omnia, nisi sola fide homo iustificetur.* Phinees non sola fide, sed hoc eius zeloso opere iustificatus est, quia hoc illi opus (non sola fides) ad iustitiam reputatum est.

Sed nunc ego contra Caluinistas omnes hoc (nisi fallor) inuictum argumentum propono, *iniustitiæ damnatum iri opera omnia, si sola fide mitantur*, si sola charitas absit. Apostoli enim irrefragabilis sententia est: *Si distribuero* 1.Cor.13. *in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum vt ardeam* (quorum illud in in Confessoribus, hoc in Martyribus præcipuum quoddam opus est) *charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Sed nũc reliqua Caluini audiamus:

Simile est de beatitudine. Pronuntiant... beati qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius, qui meditantur in eius legem die ac nocte Sed quia nemo id præstat qua decet perfectione, vt Dei mandato ad plenum respondeat; irritæ sunt omnes eiusmodi benedictiones, donec purificati ac mundati peccatorum remissione, beati reddimur: atque ita quidem, vt capaces fiamus eius beatitudinis, quam Dominus ob studium legis ac bona opera seruis suis pollicetur. Ergo & operum iustitia, effectus est iustitiæ fidei; & beatitudo ex operibus, effectus beatitudinis quæ sita est in peccatorum remissione. Si causa destrui ab effectu suo nec debet nec potest; importunè facturi sint, si qui studeant fidei iustitiam per opera subuertere. Hæc

Caluinus lectores ludificat.

ille, nihil quàm simplicem lectorem lud
cans, & pertinaciâ hæreticis propriam in
ipso cõmonstrans. Non enim qui iuxta Sc
pturas manifestissimas atque creberrimas
bonis operibus, Dei cultu, mandatorum o
seruatione, beatitudinem atque iustitiam p
nunt, fidei iustitiam per opera subuertu
sed tam bonorum operum iustitiam qui
fidei iustitiam in Scripturis doceri affirm
Non vna alteram destruit, sed iuxta Scrip
ras vtraque vera est, & altera alteram co
firmat. Nam & *fides ex operibus consumm*
(ait Iacobus) itemque *per charitatem opera*
(ait Paulus) & opera *sine fide placere Deo*
possunt.

Operum iustitia fidei iustitiã non subuertit.

Iac. 2. Gal. 5. Heb. 11.

Operum iustitia non est effectus iustitiæ fidei.

Neque verò operum iustitia effectus
iustitiæ fidei, sed cum illa coniuncta, & ut
que ad iustificationẽ concurrunt. Nam n
secus *fides sine operibus inanis ac mortua est*, qui
opera sine fide sterilia & coram Deo infr
ctuosa sunt. Antecedit sanè remissio pecc
torum per fidem omnem operum iustitiam
(quia conciliari Deo per Christum opera
cuius opera beatum ac iustum operantem
ciunt) sed vt prima quædam iustificatio
cundam, vt principiũ antecedit progressu
& incrementum, non vt causa effectum. R
missio peccatorum, respectu consequen
iustitiæ operum, est causa sine qua non, ca
tenuissima maximéque impropria (sicut p
uatio tenebrarum est causa lucis succedent

sed non est causa efficiens: in quo fallit lectorem Caluinus. Iustitiæ operum causa efficiens per modũ radicis & principij, est quidem fides (non ipsa remissio peccatorum per fidem) est quoque charitas; & sanè magis charitas: quia *fides per charitatem operatur*, Gal. 5. non charitas per fidem, sed in fide, aut cum fide: ideóque omnium bonorum operum vna radix est fides, alia charitas, sed proxima & magis actiua ipsa charitas, quæ propterea omnium virtutum forma est, & principium actiuum. *Fortis vt mors dilectio*, ait Scriptura. Cant. 8. Fides sanè dicit, Oportet sic fieri; quia videt quid sit agendum. Spes dicit, Expedit sic fieri; quia videt quale præmium proponitur. Charitas autem dicit, Volo facere; quia ardet amore, *condelectatur legi*, & suauia iam Rom. 7. ei Dei mandata sunt, *onus leue, & iugum suaue*; Matt. 11. vt propterea Apostolus dixerit, *Plenitudo legis* Rom. 13. *dilectio*: &, *Qui diligit proximum, legem impleuit*. Sic omnis iustitiæ operum causa efficiens est ipsa charitas; sed *diffusa in cordibus nostris per* Rom. 5. *Spiritum S. qui datus est nobis*. Iustitia fidei in sensu Caluini, id est, gratuita remissio peccatorum, præcedit vt necessaria subiecti dispositio: & vt ipsemet Caluinus loquitur, nesciens quid dicat, *facit vt capaces fiamus eius beatitudinis, quã Dominus bonis operibus pollicetur*. Nõ enim bona opera corã Deo bona essent, aut beatum ac iustum facerent, nisi filiorum Dei opera essent, & conciliatio cũ Deo præ-

ceſsiſſet. Manet tamen remiſsio peccatorum facta frequenter ſterilis, & nullã operum iuſtitiam producit: quia *accepto ſancto mandato conuertuntur retrorſum, & ſicut canes reuertuntur ad vomitum.* Manet ergo firmum, eſſe quandam beatitudinem & iuſtitiam operum, & in Scripturis non ſecus beatos dici atque eos *qui ambulant in via Domini*, quàm quibus remiſſæ ſunt iniquitates. Diſtinctæ ſunt iſtæ beatitudines. Hæc initialis tantùm; illa perfecta & formalis. Hæc nos Deo conciliat, & impedimenta iuſtitiæ tollit; illa nos coram Deo gratos & iuſtos conſtituit. Hæc denique labes aufert; illa ornat, & coronam iuſtitiæ iuſto Iudice accipit. Sed hæc confundit Caluinus; confundunt & alij hodie hæretici, ſiue ex ignorantia, ſiue ex malitia, ipſi viderint.

2. Petr. 2.

Caluinus tandem volens hoc loco omnibus modis lectori ſuo ſatisfacere, & hãc pulcherrimam (vt vocat) ſententiam de beatitudine ac iuſtitia noſtra in ſola remiſsione peccatorum poſita firmam atque immotam inquere, vnam adhuc ſibi difficultatẽ proponit, & eam remouere cõtendit. *Sed cur non liceat (dicet quiſpiam) teſtimonijs illis contendere, ex operibus hominem iuſtificari ac beatum reddi? Verba enim Scripturæ non magis ſonant fide iuſtificari hominem, & Dei miſericordia beatum eſſe, quàm ex operibus.* Bona hæc eſt & neceſſaria difficultas, ſed eò adhuc maior erit, ſi addamus, Scri-

pturas

pturas multo frequentiùs multoque apertiùs sonare, ex bonis operibus beatos nos reddi, quàm ex remissione peccatorum. Nam ad misericordiam Dei quod attinet, elucet illa non secus in bonis operibus quàm in fide, nõ secus in iustitia operum quàm in iustitia fidei siue ex fide; quum vtraque Dei dona sint, & ex Dei gratia ortum suum habeant. Sed ad remissionem peccatorum quod attinet, hic ferè vnicus apud Dauidem locus est, qui beatitudinem in ea ponat. In iustitia verò operum, in meditatione ac executione legis diuinæ, in custodiendis mandatis Dei, & iustificationibus eius, in timore Domini, beatitudinem poni, in vno Psalmo 118. plusquam centies Dauid affirmat: in alijs quoque Psalmis permultis idem repetit sexcẽtis penè in locis. Sed & Christus Dominus in prima illa sua diuinissima & prolixa concione, quum varias beatitudines recenseat, omnes ad bonorum operum iustitiam pertinent, ad remissionem peccatorum nulla. Meritò igitur hunc scrupum proponit Caluinus, cur tot & tantis testimonijs diuinarum Scripturarum non liceat contendere, ex bonis operibus hominem iustificari ac beatum reddi. Videamus nunc quomodo hunc scrupum eximat, & difficultatem soluat. *Nempe* (inquit) *considerandahic est tam series causarum, quàm gratia Dei dispensatio. Quia enim locum non habet quicquid pronuntiatur de operum vel iustitia vel beatitudine,*

Misericordia Dei non secus in operibus quàm in fide.

Matt. 5. & 6.

titudine, nisi vnica hæc fidei iustitia præcesserit, & sola partes omnes impleat, hanc erigi ac stabiliri oportet, vt illa tanquam fructus ex arbore inde nascatur & emergat. Hæc solutio ac responsio nihil in effectu nouum adfert, nihil nisi quod iam à Caluino dictum ac à nobis refutatum est. Grauiter quidem prædicat, *considerandum esse seriem causarum, & gratiæ Dei dispensationem*, sed de gratiæ Dei dispensatione ne verbum quidem subiungit. Illa quippe considerata iustitiam bonorũ operum, quæ ex vberrima gratiæ Dei dispensatione nascuntur, vel maximè commendat, confirmat & stabilit. De serie causarum nihil aliud dicit quàm quod iam dixerat, operum iustitiam sine fidei iustitia locum habere non posse: quod quo sensu & quatenus verum sit, iam explicatum dedimus. Nam quod hîc de nouo addit, *iustitiam fidei solam*, id est, solam remissionem peccatorum (quod ille vocabulum studiosè declinat, & iustitiam fidei, quę multò latiùs patet, eius loco vafre supponit) *partes omnes implere*, ab eo audacter dicitur, sed ab eo vno verbo non probatur, quia nullo modo probari posse facilè aduertebat. Si sola remissio peccatorum omnes beatitudinis ac iustitiæ partes implet, ergo nullam beatitudinis partem bona opera implent. Si nullam, ergo falsa sunt illa testimonia omnia, quæ bona operibus beatitudinem tribuunt. *Imò* (ait Caluinus) *erigenda ac stabilienda est hæc beatitudo re-*

Caluini hypocrisis & impostura.

Remissio pecc. sola non beatificat.

missionis

missionis peccatorum, quia ex hac nascitur altera beatitudo sicut fructus ex arbore. Quæ eius conclusio duplici vanitate laborat. Vanũ est & falsum, ex remissione peccatorum veluti ex arbore nasci beatitudinẽ bonorum operum. Ex priuatione quid nasci potest? aut pura negatio quid tandẽ ponit? Arbor bonorum operum, & beatitudinis atque iustitię eorum (vt in præcedentibus ostensum est) nec remissio peccatorũ est, nec sola fides, sed multò magis ipsa charitas. Remissio peccatorũ non arbor aliqua est in agro cordis plantata, aut ad fructificandũ apta, sed tantummodo veluti agri à sentibus & spinis perpurgatio, vt semini fidei aliorumque donorum Dei recipiendo animus idoneus factus, bonorum operum iustitiam proferat. Qui nunc iustitię operum arborẽ aut radicẽ remissionẽ peccatorũ affirmat, nõ secus delirat quàm qui fructuum in agro crescẽtium arborẽ aut radicẽ vocet factã terræ perpurgationẽ, & spinarum aliarumque pessimarum herbarum, quibus obrutus ager fuerat, extirpationem. Vanum rursus est & ineptum, si beatitudinis bonorum operũ arbor & radix esset remissio peccatorum, *erigendam propterea & stabiliendam*, id est, tãquam solã & plenam beatitudinẽ commendandã esse *remissionem peccatorum.* Haud dubiè enim non secus cõmendandi sunt fructus quã arbor, quũ arbor sit propter fructus, non fructus propter arborem: nec qui arbo-

Non est arbor aut radix bonorum operum.

rem & fructus in agro posſidet, in ipſa arb
re ſed in fructibus emolumentum ſuum p
nit. Si remiſsio peccatorum arbor eſt bea
& bona opera fructus beati, quũ arbor p
ſit eſſe ſterilis, fructus autẽ per ſe vtilitat
adferant; quis non videt beatitudinem b
norum operum magis propriè, plenè, ac p
fectè talem eſſe, quàm beatitudinem rem
ſionis peccatorum? Et clarum ex Script
1. Ioan. 3. 22. eſt, bona opera *placita eſſe coram Deo*, &
2. Cor. 5. 9. pliſsimã mercedẽ accipere. Remiſsio pec
Coloſſ. 3. 20. torum ſolius diuinæ miſericordiæ opus e
Heb. 12. 28. eum, cui facta eſt, in via beatitudinis ac
ſtitiæ ponit, non in termino; principium b
titudinis adfert, non perfectionem aut c
plementum: denique quum ſola per ſe c
ſideratur, capacẽ potius iuſtitiæ facit qu
iuſtum: ſicut depulſæ tenebræ locum l
relinquunt, nõ illuminant; & ſtirpitus e
ſæ ſpinæ agrum ferendæ ſegeti idoneum r
dunt, non ipſam ſegetẽ proferunt. Sed q
quibus Deus remittit peccata, eiſdẽ no
gratiæ & donorum lucẽ impertit, propte
ipſa quoque remiſsio ex adiuncto beatum
Caluini explicatio ipſum refutat. iuſtum facit. Sic ipſa Caluini explicatio
tum intentum eius ſubuertit. Inde enim
quitur, magis eſſe erigendam & ſtabilienda
bonorum operũ beatitudinem quàm ſoli
remiſsionis peccatorum, quia hæc arbor e
illa fructus. Atque ita difficultatem propo
tam non ſuſtulit Caluinus, ſed auxit. Man

enim non solũ firma beatitudo & iustitia bonorũ operũ toties in Scripturis cõmẽdata, sed ipsa remissione peccatorum magis illustris, propria, & vera iustitia esse demonstratur.

Remiss. pecc. cur Paulus beatitud. solùm ponit.

Sed hoc constituto, alia ex parte nostra difficultas moueri potest, cur Apostolus hoc loco hanc beatitudinem solam ponit ac recenset, tacita illa varia ac multiplici bonorum operum beatitudine, ab ipso maximè Dauide prædicata? Ad hoc respondeo, certis & grauibus ex causis Apostolũ id fecisse. Primùm, quia scopus eius est & intentio hoc loco de prima ad Christi fidem conuersione tam Iudæorum quàm Gentium, & de impij iustificatione agere. In hac autem impij iustificatione in primis & ante omnia necessaria est peccatorum per Christũ remissio. Deinde, quia, vt nunc hominum status est, remissio peccatorum iustificationi est necessaria, sicut homini ægro necessaria est medicina. Alioqui quis dubitat maximè beatos illos esse qui nunquam peccauerunt; vt Angelos bonos omnes, vt Christum Redemptorem, *qui peccatum non fecit*, vt Deum super omnia benedictũ, qui ita iustus est, vt peccare non possit? Tertiò id facit Apostolus, vt ostendat non solùm illos iustos coram Deo esse posse, qui accepta semel remissione peccatorum, postea in multis magnisque virtutibus iustitiam auxerunt, sed etiam illos qui recenter ad Deum conuersi nihil hactenus

1.

2.

1. Petr. 3.

3.

boni operis ex fide egerunt, quos videlic
fides bonorum operũ fæcunda ante partu
iustificauit: quamquam sola fides illam fe
cunditatem non habet, sed fides charita
4. formata. Quartò, Apostolus volens ex inf
tuto ostendere iustificationem hominis e
merè gratuitam, affert exempli causa remi
sionem peccatorum in iustificatione impi
quæ sine vlla dubitatione est merè gratuit
& sine qua nullus post primi parentis lapsu
iustus esse potest. His de causis illam solat
beatitudinem ex Dauide cõmemorat Apo
stolus, quæ ex remissione peccatorum nas
tur: non quasi vnicam & perfectam, nec
alias in Scripturis positas hac vna exclud
ret ac remoueret. Alias tacet, sed non remo
uet: quia non omnia vbique & semper, sed
suis quæque locis dicenda & ponenda sun

Iam verò & alia ex parte circa posterior
huius loci verba hæreticis occurrendum est.
Nam propter illa verba, *Beatus homo cui non*
Peccat. remiss. non imputatiua, sed vera. *imputauit Dominus peccatum*, colligunt illi pec
catorum remissionem (quæ iuxta Caluinum
est tota fidei iustitia) nõ esse tamen verã, sed
imputatiuam tantùm; & manentia peccata
regi, non tolli. Sic Martinus Chemnitius
Lutheranus, sic alij, ob eam maximè causam
vt probent concupiscentiam in renatis non
manere, vt sit adhuc verèac propriè peccã
tum, & ex se damnatione dignum. Atqui
probat sanè hic locus, ad iustitiam humanam

pos

post lapsum pertinere vt nō imputetur peccatū, verùm non probat ex eo solo quòd non imputatur, peccatum remitti. Imò vltra hoc quòd non imputatur, planè tollitur; & quia tollitur, ideo non imputatur. Quod aliæ Scripturæ perspicuè docent. *Ecce Agnus Dei,* Ioan. 1. *qui tollit peccata mundi.* Rursum: *Tulit quod* Colos. 2. *contra nos erat chirographum,* id est, peccati reatum & debitum, *& affixit illud Cruci.* Nempe Ephes. 2. quia *interfecit inimicitias* (id est, peccata) *in semetipso per Crucem.* Vide plura in opusculo Lib. 3. c. 8. nostro de Iustificatione.

9. *Dicimus quia reputata est Abrahæ fides ad iustitiam.*

SVnt iam hæc verba contra Caluini corruptelas superiùs explicata, qui magna adhibita Scripturæ violentia pro fide Abrahę remissionem peccatorum substituit. Alij vocabulum fidei ad illius vnici obiecti apprehensionem torquentes, quasi fides Abrahæ ad iustitiam reputata circa illud vnum versata fuisset (quod vanum esse suprà ostendimus) colligunt ex his verbis, totam nostram iustitiā, quæ similis Abrahæ esse debet, nihil aliud esse quàm gratuitam quandā imputationem & acceptationem à parte Dei propter fidem nostram in Christum, qua beneficium redemptionis per illum factæ apprehendimus. Opinantur enim ideo solam fidē pro iustitia imputari, quia illa sola gratuitum

Dei

Dei donum est, & quasi mendica manus prehendens per puram gratiam beneficium redemptionis. Imputari autem vel reputari ad iustitiam aiunt, quo ex se iustitiæ vim virtutē non habet, sed quod pro huiusmodi Deo acceptatur. Sed cōtra hæc obserua

Apprehēsio per fidem res imaginaria.

Primùm quòd non sola fides aut quælibet prehensio per fidem (quæ res imaginaria quum fides potiùs iudicij res sit, iudicans esse verum quod apprehendit per intellectum assensum, quàm apprehensio aliqua, quæ præexigitur ad fidem, sed non ipsa fides quum multi infideles ea quæ sunt fidei apprehendant, sed non credant) est res gratuita

Virtutes omnes theologicæ non secus gratuitæ quā fides.

gratuitum Dei donum, verùm & aliæ omnes virtutes, quibus iustificamur, gratuita Dei dona sunt, & ab auxilio supernaturali, ideoque gratuitæ Dei bonitatis respectum habent non secus quàm fides. Charitatis, spei, pœnitentiæ timoris actus, vt ex impio quis iustificetur actus sūt ex speciali Dei auxilio producti non secus quàm actus fidei. Harum virtutum habitus dona Dei sunt, quibus opera iustitiæ exercemus, non secus quàm fidei habitus. Rursus, credere non secus est opus nostrum (etsi sit opus Dei) quàm diligere, *etsi charitas diffusa sit in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis*. Ideo in Euangelio toties dicitur: *Fides tua te saluum fecit*. Vnde non est magis mendica manus fides quàm charitas, nec minus mendica manus charitas quàm fides. Ne

Rom. 5.

minus

minùs suum aliquid adfert qui ex fide iustificatur, quàm qui ex charitate; aut plus suũ aliquid adfert qui ex charitate iustificatur, quàm qui ex fide. Vtrumq; Dei opus est per auxilium gratiæ, vtrumque est nostrum opus per concursum liberi arbitrij.

Iustitia reputata iustis, est iustitia illis inhærens.

Secundò, obserua reputationis aut imputationis vocabulum non excludere veram inhærentiam virtutis aut iustitię quæ dicitur reputari. Quod enim hîc Paulus dicit, *Abrahæ reputatã esse fidem ad iustitiam*, hoc idem alibi dixit tum de Abraham, tum de alijs veteribus iustis, *Fide operati sunt iustitiam.* Rursum, sicut hîc infrà dicit, *Reputabitur & nobis credentibus ad iustitiam*; sic postea dicit, sæpeque repetit, *Iustificati ex fide*; & antea dixit, *Iustificari per fidem.* Sicut ergo iustificari ex operibus vel per opera intelligunt hæretici inhærentem nobis operibus iustitiam ex qua formaliter iusti sumus (quam quia admittere nolunt, nec prius recipiunt) sic necessariò iustificari ex fide & per fidem (quod libenter recipimus) eodem modo intelligere debent, ex actu fidei formaliter hominem coram Deo iustum esse. Reputatur ergo ad iustitiã, quod verę iustitiæ opus est. *Iudicium enim Dei secundùm veritatem est.* Quare Iacobus post illa verba, *Reputatum est Abrahæ ad iustitiam*, adiecit, *Et amicus Dei appellatus est*: id est, coram Deo. Denique suprà: *Nónne præputium illius in circuncisionem reputabitur?* id est, pro circuncisione

Rom. 5.
Rom. 3.
Rom. 2.
Iacob. 2.
Rom. 2.

sione habebitur? hoc est, coram Deo iustitiabitur? Sequitur enim: *Circumcisio cordis, non laus ex Deo est.* Postremò, & in hoc cap. dicit. Ver. 4. rat: *Ei qui operatur, imputatur merces secundum debitum*: vbi vox *imputatur* per catachresin accepta, significat, rependitur. Sic repetitur dicitur *fides ad iustitiam*, quia verè iustificat.

11. *Et signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei quæ est in præputio.*

Sacramentorum efficacia propria defenditur.

IN his Pauli verbis mirabiliter se obleuit hæretici, & validum se argumentum apprehendisse iactitant, quo probent, totam Sacramentorum nouæ legis rationem, vim effectum, & vsum, nihil aliud esse quàm ut sint *signacula iustitiæ fidei*, & vt obsignent, confirmentoque quasi apposito sigillo confirmentem gratiæ aut doni veritatem, quæ vel antea fidem habita est, vel in externo Sacramenti signo repræsentatur; sicuti circumcisio ab Apostolo hîc dicitur fuisse *signaculum iustitiæ Abrahæ*, vel potiùs obsignasse iustitiam Abrahæ, ex fide priùs & in præputio acceptam. Quã ob causam Theodorus Bezahoc loco reiecta disertis verbis veterum Patrum interpretatione, de sua noua luce circa huius loci intelligentiam insolenter exultat, & hunc modum disputat: *Quid magnificentius dici de Sacramento possit?* Itaque qui *veteris fœderis Sacramenta à nostris reipsa distinguunt, nam quæ videntur Christi officium quàm latè pateat cogno-*

Bezana de Sacramẽtorum effectu sententia.

Vocã

Vocarat Paulus circunciſionẽ ſignum, quod ad externam ceremoniam attinet. Nunc illius ſubſtantiam & effectum explicat, id eſt, quorſum adhibeatur, nempe iuſtitiæ fidei, qua in ipſius Chriſti poſſeßionem mittimur, non ſimpliciter ſignificandæ, ſed vnà etiam obſignandæ; quatenus videlicet Spiritus S. reipſa id intus præſtat, quod externa ceremonia, prædicationi verbi coniuncta, oculis repræſentat. Hanc interpretationem ſi quis cum ijs contulerit, quæ non Origenes modò, ſed nonnulli etiã ex Patribus alioquin pietate & eruditione clariſſimi in hũc locum ſcripſerũt, comperiet profectò quantam veritatis lucem Dominus in nos omnium hominum maximè indignos noſtra memoria effuderit. Bezæ lux noua.

Hæc ille incredibili impudentia pariter ac ſtultitia. Quæ maior impudentia eſſe poteſt, quàm homines nouos, paucos, turbulentos, qui nihil authoritate dignum proferre poſſunt, nouam & ſingularem Scripturarum intelligentiam ſibi venditare, contra omniũ, qui hactenus in Eccleſia Chriſti à tot ſeculis docuerunt, doctiſſimorum & antiquiſſimorum Patrum ſententiã? Nam quod *nonnullos ex Patribus* dicit Beza, omnes dicere debuit, quum hanc eius explicationem nemo hactenus ex Patribus tradiderit. Alioqui *de tanta veritatis luce in ipſos homines* verè *indignos* (hoc enim vnum veriſimè dixit) *à Domino effuſa* gloriari non potuit. Quæ inaniſsima iactantia eo vanior eſt, quòd, in quos hæc tanta lux effuſa dicitur, ſoli ſint Caluiniſtæ, quum ab

hac

hac obsignatione iustitiæ fidei & promissionis antegressę vt proprio Sacramentorum effectu (quod ex hoc loco colligit Beza in dictata Caluini) Lutherani omnes magis penitus abhorreãt, & * Martinus Chemnitius inter *fanaticas horum temporum opiniones* de vi & effectu Sacramentorum illam sententiam ponit; qui etiam Lutheranorum sententiam hanc esse docet, Sacramentorum proprium esse, vt sint organum seu medium per quod Deus offert, exhibet, & applicat beneficia redemptoris. Atqui de accepta Euangelij luce non secùs gloriantur Lutherani, omnesque hodie sectæ quàm Caluinistæ. Hactenus Bezæ impudenti iactantia nihil impudentius.

Caluinistarum de Sacramẽtorum effectu doctrina à Lutheranis damnata.

* In exã. Concil. Trid.

Sed nũc quanta sit eorum quæ garrit stultitia, vel impietas, potiùs attendamus. Quo (inquit) *magnificentius dici de vllo Sacramento posßit?* Nempe vt sit signaculum iustitiæ fidei, non simpliciter significandæ, sed vnà etiam obsignandæ; quatenus Spiritus S. reipsa intus præstat, quod externa ceremonia, verbo prædicationi coniuncta, repræsentat. Hoc est Caluinianum mysterium in circuncisionis signaculo fundatum, ab omnibus hactenus Patribus ignoratum, in quo tot sunt absurda quot verba. Circuncisionem vocant Paulo *signaculum iustitiæ fidei Abrahæ*, quam habuit in præputio, sic hactenus intellexerunt omnes Ecclesiarum magistri, & diuinarum

Circũcisio cur & quomodo signaculũ iustitiæ fidei in Abrahã.

Scripto-

Scripturarum interpretes, vt dicerent, circuncisionem, quum signum esset fœderis & pacti *inter Deum & semen Abrahæ*, quasi illius populi ab alijs populis omnibus distinctiuũ, vnum tamen Abraham, qui omnium primus id signum accepit, quia antea manens in præputio & nondum circunciſus, vir iustus erat, Deo charus, fide & obedientia in Deum admodum illustris, Deoque certo promissionis fœdere coniunctus, quòd in illius semine benedicerentur omnes gentes, id est, ex eius posteris nasceretur Christus redẽptor mundi, per quem omnes benedicerentur, circuncisionis signum accepisse, non quidem vt simplex signum promissionis aut fœderis inter Deum & ipsum, de qua iam per fidem suam in Deum certior factus fuerat, sed præterea vt signaculum quoddam siue characterem siue notam illustrem illius iustitiæ fidei, quæ in ipso dudum fuerat, non quam Spiritus S. re ipsa intus ei præstitit, quando hanc externam ceremoniam accepit. Abrahamum per hanc externam ceremoniam aliquid à Spiritu S. intus in animo accepisse, quod illa ceremonia repræsentaret, nulla Scriptura dicit, nulla ratio, nulla authoritas docet. Quum Abraham circuncisionem accepit, cum hac externa ceremonia nulla fuit verbi prædicatio coniuncta, quam ex dictatis Caluini circuncisioni adiungit Beza. Confestim enim post præceptum Domini de circuncisione ac-

ceptū, se & suos circūcidebat: quod his v

Genes.17. bis narrat Scriptura: *Cumq; finitus esset* [s] *Dei loquentis cum eo, ascendit Deus ab Abr* id est, disparuit. *Tulit autem Abraham Ism lium suum, & omnes vernaculos domus sue, & cuncidit carnem præputij sui in ipsa die.* Cur a

Cur Abraham circunciſionē accepit tanquam ſignaculū iuſtitiæ.

& in quem finem, & in cuius rei significa nem Abraham ipse iam ex fide iustificat circunciſionem acceperit tanquam signa lum iustitiæ fidei, manifestè tum hist Geneseos tum Apostoli disputatio docet

Gen.17.4. historia Geneseos toto illo cap. 17. vbi cunciſio primùm à Deo instituta & ab Ab hamo suscepta fuit, causa huius circunci nis præcipiendæ & suscipiendæ hæc ponit quia Abraham pater multarum gentium turus erat. Sic enim Deus loquitur: *Ego*

Vers.10. *Hoc est pactū meum, &c.* *Circuncidetur, &c.* *& ponam pactum meum tecum* (id est, signu pacti, circunciſionē, vt ex sequentibus m nifestè patet) *eriſq; pater multarum gentiu nec vltrà vocabitur nomē tuum Abram, sed app beris Abraham, quia patrem multarum gen constituite.* Nempe in signum multiplica seminis Abrahæ in illo capite promissi, & his verbis (*Pater multarum gentium*) expre Abraham in generationis membro, tam propemodum centenarius, circunciſion primus accepit.

Cæterùm quia esse patrem multarum tium, præter illam literalem significatio multiplicandi seminis Abrahæ iuxta num-

ru

rum arenæ maris, ſpiritualem quoque habet ſignificationem, quòd *pater ſit omnium credentium per præputium*, id eſt, omnium præter circunciſionem acceptam credentium, vt Apoſtolus hîc dicit; oſtendit Apoſtolus, hanc Abrahæ paternitatem non in circũciſione, aut per illam, aut propter illam accidiſſe, ſed propter fidẽ quam ante circunciſionẽ habuit: vt ſic eſſet tum pater carnalis omnium circunciſorum, tum etiam pater ſpiritualis omnium in Chriſtum credentium. Sic enim diſertè Apoſtolus dicit: *Et ſit pater circunciſionis*, id eſt, Iudæorum, *non ijs tantùm qui ſunt ex circunciſione*, id eſt, non ijs tantùm qui ſolummodo ſunt circunciſi, & carnaliter Iudæi, *ſed & ijs qui ſectantur veſtigia fidei quæ eſt in præputio patris noſtri Abrahæ*: id eſt, illis quoque qui præter circunciſionem credunt in Meſsiam: quod eſt tam eſſe patrem ſpiritualem ex imitatione eiuſdem fidei quàm eſſe patrem carnalem ex propagatione eiuſdem ſeminis. Quum igitur ſcopus Apoſtoli eſſet, oſtendere Abraham ex fide fuiſſe iuſtificatum, & non ex operibus legis (idcirco enim dixit, *Quomodo reputata eſt fides ad iuſtitiam, in circunciſione, an in præputio? Non in circunciſione, ſed in præputio*) huic autẽ iuſtitiæ fidei in præputio repugnare videretur ipſa circunciſio quam ipſe Abraham accepit, idque poſt illa verba Geneſ. 15. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiã*, oſtendere vult Apoſtolus

quare Abrahã iam per fidem iustificatus c
cunciſionem nihilominus acceperit. Idcir
enim continuò ſubiungit, hanc tacitam I
dæorum obiectionem remouens: *Et ſign*
accepit circunciſionis, ſignaculum iuſtitiæ fidei q
eſt in præputio, vt ſit pater omnium credentium
præputium, & ſit pater circunciſionis, &c. Q
rum verborum ſimpliciſsimus & apertus
ſenſus eſt: Ideo Abraham ian. iustifica
ex fide, circunciſus nihilominus fuit, & hi
circunciſionem quaſi nouam notam & ch
racterem accepit, (non quæ repræſentar
aliquam Spiritus Sancti donationem, fidei
videlicet, *reipſa tunc præſitã*, vt Beza imagi
tur) ſed, vt Apoſtolus ipſe diſertè dixit, *ſ*
ſtitiæ fidei quæ eſt in præputio, id eſt, quam Abr
ham habuit in præputio necdum circũciſ
vt per illam notam acceptam (ait ipſe Ap
ſtolus) *ſit pater omnium credentiũ per præputi*
& ſit pater circunciſionis: id eſt, vt ipſe iam c
cunciſus, & antea ex fide iuſtificatus, fie
per antecedentem fidem fuit pater omniu
credentium, etiam non circunciſorum, ſ
per hanc circunciſionem acceptã, ipſorum
quoque circunciſorum, id eſt, Iudæorum
omnium pater eſſet credentiũ in Chriſtum

Circuncisio cur vocatur signaculum.

Vocat autẽ Apoſtolus *circunciſionis ſignum*
vel ſignum illud quod eſt circunciſio, *ſigna-*
culum iuſtitiæ fidei, quæ iam in Abraham era
ante hoc ſignum acceptum, non vt illam
Abrahami iuſtitiam quaſi ſigillo obſignaret,
ſed v

sed vt illam simpliciter testificaretur, & illius testimonium esset: vt Græci interpretes, Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, & alij exponunt. Vox quippe σφραγίδειν cùm significet tam insignire & notare, quàm obsignare & confirmare, hæretici hodie in vocis latitudine ludentes, deserta & reiecta veterum omnium interpretatione, non pro testimonio, nota, charactere, sed pro sigillo & imaginaria sua obsignatione accipi volunt. In quo figmento suo quàm multipliciter falluntur, & fallunt, nunc breuiter explicabo.

Primùm, Sacramenta nouæ legis, quæ per omnia volunt huic signaculo circunciſionis conuenire (ait enim Beza, *Quid magnificentius de vllo Sacramento dici potuit?*) statuunt nihil aliud esse quàm signacula, sigilla, & obsignationes illius iustitiæ fidei, quam Spiritus Sanctus re ipsa præstat, & quam Sacramenti ceremonia repræsentat. Atqui vt hoc verum esset (quod postea stultitiæ & dementiæ plenum ostendemus) nihil hoc figmentũ commune habet cum signaculo circunciſionis in Abraham. Nam cum illo signaculo vel cum illa eius circunciſione, nullam fidei iustitiam Spiritus Sanctus re ipsa Abrahamo contulit. Contradicit enim disertè Apostolus, dicens fuisse *signaculũ iustitiæ fidei*, τῆς ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ, id est, vt Beza vertit, *quæ fuerat in præputio*; & dicit subaudiri articulum, γενομένης. Quæ

signaculum apud Paulum nõ significat sigillum aut obsignationem in sensu hæreticorum.

vna explicatio omnem eius ſpeculationem ſubuertit. Si enim circuncisio Abrahami ſignaculum iuſtitiæ olim in præputio acceptæ, & noſtra Sacramenta non aliam rationem aut vim habent, quã habuit hæc Abrahami circunciſio (propterea enim Beza dicit, *veteris fœderis Sacramenta à noſtris reipſa non diſtingui*; & rurſum, de *nullo Sacramento magnificentius aliquid dici poſſe*, quàm quòd huiuſmodi ſignacula ſunt, qualis erat Abrahamo ſua circunciſio) euidentiſsimè ſequitur, nostra Sacramenta nõ obſignare aliquam iuſtitiam fidei, qua *in ipſius Chriſti poſſeßionem mittimur*, & quam *Spiritus Sanctus reipſa præſtat quod ceremonia externa repræſentat*, ſed obſignare debere in nobis iuſtitiam fidei olim acceptam, olim à Spiritu Sancto donatam, vt ſicca monia externa cuiuſlibet Sacramenti noſtri non repreſentet aliquid quod reipſa Spiritus Sanctus præſtat, ſed aliquid repræſentet olim acceptum, & antea nobis collatum. Quæ propria Caluini doctrina eſt, vnde ille accepit Beza. Sic enim definit: *Sacramentum eſt externum ſymbolum quo benevolentia erga nos ſuæ promiſsiones conſcientijs noſtris Dominus obſignat, ad ſuſtinendam fidei noſtræ imbecillitatẽ; nos vicißim pietatem erga eum noſtram teſtamur.* Vt Sacramentum obſignare promiſsiones antegreſſas, non repræſentare aliquid à Spiritu Sancto reipſa præſtitum, idque ad fidei iam adeptæ imbecillitatem ſuſtinendam, non aliqua-

Bezana explicatio Caluino contraria.

Inſtitut. lib. 4. cap. 14. num. 1.

aliquod fidei donum à Spiritu Sancto cum Sacramento aut in illo aut per illud accipiendum. Quare postea addit, *Apostolum manifestè hoc loco contendere, fuisse Abrahamo circumcisionem eius pacti obsignationem, cuius fide fuerat antea iustificatus.* Quæ tota explicatio vt propiùs accedit ad sensum Apostoli quoad iustitiam fidei priùs acceptam; ita Bezanæ explicationi prorsus contraria est, quæ signaculi huius & obsignationis rationem in eo ponit, *vt Spiritus Sanctus reipsa id intus præstet, quod externa ceremonia oculis repræsentat.* Ita Beza dum aliquid videri vult Sacramentis nostris tribuere, & aliquam in eis gratiæ obsignationem inuenire, nec Apostoli sensum tenet, nec magistri sui ac communem suorum doctrinam, adeoque sui ipsius, quam alio loco tradit, sequitur. Et tamen hæc illi explicatio ita placuit, ita solida ac singularis visa est, vt de omnium Patrum hactenus cæcitate, & de sua singulari luce declamandum sibi duxerit.

Ibidem, num. 5.

Confess. Heluetica cap. 17. Beza confess. fidei cap. 4.

Sed non hæc sola est explicationis eius absurditas: alias euoluemus. Vanum quippe & stolidum figmentum est, quod iuxta Caluini præscriptum hîc ait Beza, *Sacramentorum nouæ legis substantiam & effectum esse, vt iustitiam fidei non simpliciter significent, sed vnà etiam obsignent*: antea videlicet iam acceptam, iuxta Caluini definitionem, ipsiusque Bezæ explicationem loco citato: quod

paucis argumentis, sed luce meridiana clarioribus breuissimè demonstratur.

Instit. lib. 3. cap. 2. num 9.

Primùm, multi reprobi accipiunt Sacramenta, qui tamen iuxta Caluini doctrinam veram fidem, & consequenter iustitiam nunquam habent. Ergo aut Sacramenti effectus non est obsignatio iustitiæ acceptæ, aut est huiusmodi obsignatio falsa, vana, mendax: quòd diuinis Sacramentis tribui sine blasphemia non potest. Eadem absurditas in illis Sacramẽtis est quæ indignè vel indignis accipiuntur, quos omni Christi participatione carere idem Caluinus docet. In his enim omnibus erit obsignatio falsa & sigillum mendax ipsum Sacramentum. Deinde, quia Sacramenta sic sigilla esse volunt, vt diuinas promissiones nobis cõfirmentur, cuti diplomata regia appenso Regis sigillo confirmantur, hæc illos absurda consequuntur. Primùm, quòd sicuti diploma regium vim non habet, aut fidem non facit, nisi appenso sigillo; sic promissiones Dei in verbo vim non habebunt, neque credentur, nisi adhibito Sacramẽto. Atqui hoc falsum, vt & prius. Promissiones Dei in Scriptura ex vim habere, & solius fidei beneficio apprehendi, nec ipse Caluinus negauerit. Præterea, sigillũ diplomati appensum, non ex diplomate, sed ex personâ Regis, cuius sigillũ est, authoritatẽ accipit; Sacramenta autem iuxta Caluinũ & Bezã, ex verbo promissionis quo

In Ioan. cap. 6. ver. 54.

Obsignatio Sacr. iuxta Caluinum refutatur.

Sigillum Caluinianum in Sacram. euertitur.

quod diplomatis instar est, omnẽ vim suã accipiunt. Vana ergo est cõparatio. Rursum, sigillum regiũ aptũ natũ est ad confirmandas quascũque regias donationes, imò ad quamcunque eius voluntatẽ obsignandam. Sacramenta autẽ si obsignant, non nisi vnũ certum gratiæ beneficium Sacramento propriũ obsignare possunt: alioqui vnicũ aliquod Sacramentum ad omnia sufficeret. Nulla ergo similitudo Sacramenti & sigilli. Has nobis difficultates expediat qui potest Caluinista.

Sacramẽta non possunt obsignare iustitiam fidei acceptam.

Iam verò si non nisi iustitiam fidei acceptam, *qua in ipsius Christi possessionem mittimur*, vt hîc Beza loquitur, Sacramenta nostra obsignant, quorsum aut in quem finem ista obsignatio? Aut enim in Christi possessionem (quem habentes omnia habemus) sola fidei iustitia iam nos misit, & sacramentalis obsignatio planè friuola & inanis est; aut in eam nõ misit, & mentitur hîc Beza. Decantatum quoque illud, *Sola fides iustificat*, vel quod in fidei definitione Caluinus ponit, *vt certa sit notitia & persuasio beneuolentiæ Dei erga nos, per Spiritum S. in cordibus nostris obsignata*, penitus falsum figmentum erit. Si enim per fidem ipsam, habemus persuasionem certam promissionum Dei & beneuolentiæ eius erga nos in cordibus obsignatam, ad quid alia hæc per Sacramentũ obsignatio? Quorsum hæc sigillorum multiplicatio? Aut prius illud fidei firmum erat, & hoc alterum superfluum

fluum est; aut infirmum erat, & hoc alte
quoque infirmum censeri debet. Qua
ratio est vt obsignatio per Sacramentum
mior ac certior sit, quàm obsignatio
Spiritum S. Imò quomodo non sum
tio docet certius ac firmius esse debere,
profectò nō minùs certum ac firmum, q
Spiritus S. in cordibus nostris obsignat, q
quod Sacramentum externum oculi
manibus nostris obsignat. Vana ergo d
perflua tota hæc sacramentalis sigilli s
latio est.

Sacramēta fidei cōfirmandæ non subseruiunt. Instit. lib. 4. cap. 14. num. 1.

Dicent ad fidei infirmitatē subleuand
obsignationem hanc sacramentalem a
dere. Sic enim definit Caluinus, *Sacra*
esse externum symbolum, quo benevolentiæ erg
suæ promissiones conscientijs nostris Dominus
gnat, ad sustinendam fidei nostræ imbecillita
Sed imaginariam hanc infirmæ fidei s
uationem ex ipsis Caluini principijs f
refellemus. Si enim statuitur in electis
illorum *vnicam fidem* agnoscit Caluin
suprà accepimus) fidei imbecillitas nou
quo sigillo subleuanda; falsa est illa Cal
definitio antedicta, quòd fides est *certa*
tia & persuasio benevolentiæ Dei erga nos. Si
certa persuasio, quomodo imbecillis e
prehensio? Aut si imbecillis est in aliqu
apprehensio, quomodo est in omnibus
persuasio? Definitio enim toti definito
petere debet; & definitione fidei qui

fidelis non est, nec fidem habere dicendus est. Rursum, si est fides infirma & imbecillis electorum, specialis & iustificans electorum fides languida & infirma esse poterit. At infirma fides, imperfecta fides erit. Non ergo iustificabit. Si enim bona opera ideo iustificare neminem posse hæretici concludunt, quia imperfecta sunt legis obseruatio; ex fide quoque neminē iustificari posse nos concludemus, quia imperfecta & languida est omnis etiā electorū fides. Omnes quippe electi Sacramentis indigent, & Sacramētorū vsus atque effectus est, vt imbecillem fidem quasi noua quædam signacula sustentēt atq; confirment. Sed & Caluinus ipse propterea affirmat, *fidei perfectionem neminem in hac vita assequutum fuisse*. Et alio in loco: *Quū nusquam perfecta extet fides, sequitur ex parte omnes esse incredulos*. Sicuti ergo Caluinus ex obseruatione legis neminem iustificari posse ideo concludit, quia legem perfectè nemo hactenus obseruauit; sic ex fide neminem iustificari posse rectissimè cōcludemus, quia fidei perfectionem nemo vnquam in hac vita assequutus est. Excipiet hîc fortasse Caluinista, legis quidem obseruationem perfectam requiri vt ex ea quis iustificetur, fidei autem perfectionē minimè hoc modo requiri. Sed meminisse talis debet, sicut vna Scriptura de operibus dicit, *Diliges Deum ex toto corde tuo*; sic alia Scriptura de fide dicit, *Si credis ex toto corde*,

Iustificari ex fide iuxta Caluini principia nemo potest.

Instit. lib. 4. cap. 14. num. 7.

In Haim. Huang. ad cap. 17. Matth.

Luc. 10. Act. 8.

corde, licet te baptizari. Non ergo ad fidei i becillitatem subleuandam (quam & pe ctam esse, Caluinus in definitione fidei i cet; & perfectam esse debere, quo ad e intensionē & firmitatem, Scriptura affirm imaginaria hæc Sacramentorum obsigna institutа fuisse censeri debet. Vana ergo friuola est, planéque inane figmentū, & co bri Caluiniani spectrum, quod pro singu quadam luce hac demum ætate, senescen iam mundo, sibi ac suis hominibus indign simis, diuinitus reuelatum esse Beza hoc co, quasi somnia sua narrans, declamitat.

Addit tamen adhuc homo vanissim *eos qui veteris fœderis Sacramenta à nostris re distinguunt, Christi officium quàm latè patea quam cognouisse.* Quid ergo? Tam latè p tet Christi officiū, vt omnia legalia in Ch sti Ecclesia obtinere debeant? Si enim qu latissimè patet Christi officium, eius Sacra menta à veteribus distingui non debent, a dem quoque ex causa ceremonias & iudicia lia Ecclesiæ Christianæ à veteribus distingu non oportet. Si eadem vtrobique Sacramen ta, nec re ipsa distincta; eædem quoque er ceremoniæ, eadem vtrobique iudicia, tot que politia Ecclesiastica. Quæ enim ma ratio Sacramentorum quàm ceremoniarum & obseruationum reliquarum? Omnia le galia sunt, & veteris populi propria, & Dei ore profecta. Si Christi officium est, ea

Iudaica Bezæ doctrina de paritate Sacram. vet. & nouorum.

dem habere Sacramenta cum veteri populo; officium quoque eiusdem erit, easdem habere ceremonias, eadem legalia omnia. An quicquam dementius dici potuit? An Iudæus quispiam plus à nobis postularet? An non toti Iudaismo Bezana hæc demētia fenestram aperit? Quid? Ad officium Christi pertinet eadem habere reipsa Sacramenta cum veteri populo? O cæcas hæreticorum mentes! An non Christus *melioris Testamenti mediator, quod in melioribus promißionibus sanctum est*, meliora & præstantiora Sacramenta afferre debuit? An non vt sacrificium infinitè præstantius & excellentius dedit, sic Sacramenta longè alia multóque præstantiora dare debuit? Ergo falsa est tota Apostoli ad Hebræos disputatio de singulari & excellenti Christi sacrificio & sacerdotio, primùm ab officio & fine eius, toto cap. 5. deinde ab æternitate & solemnitate, cap. 7. postea ab hostiæ excellentia & perfectione, cap. 9. ac postremò à fructu & effectu eius amplissimo, cap 10. Aut nescit Beza, ex sacerdotij & sacrificij dignitate & differentia, ceremoniarum & Sacramentorum dignitatē ac differentiam promanare & consequi, alterúmque alteri respondere? An rursum falsa erit tota ipsius Christi disputatio Ioan. c. 6. quòd panis, quem ille daturus erat, veteris populi Manna longissimè antecellebat?

Hebr. 8.

Christi officium legalia non complectitur, sed superexcellit.

Prorsus nesciunt hæretici quàm latè pa-

teat

Sacramẽtorũ differentia à Christi excellẽtia dependet.

teat officium Christi, qui nostra Sacramenta à veteribus reipsa non distinguunt. Ioan. 1. enim latè patet Christi officiũ, dignitas et cellentia, vt quia *lex per Moysem, gratia & veritas per Iesum Christum*, omnia ver Hebr. 9. & 10. Sacramenta, etiam ipsa circunciſio, *infirma fuerint elementa*, iuſtitiæ carnis, & *bus auferri peccata, aut conſcientia purgari poterant*; in nouis autẽ Sacramentis à Chri inſtitutis, baptiſmus quidem *ſit lauacrum* Tit. 2. *generationis & renouationis per Spiritum ſanct* 1. Cor. 10. Euchariſtia ſit *participatio corporis & ſangu* 1. Tim. 3. *Domini, per impoſitionem manuũ presbyterij* ac *piatur gratia non negligenda* ab illis qui ac Ioan. 20. piunt, per pœnitentiam *remittantur in cælo cata quæcunque remittuntur in terris*: deni in omnibus Sacramentis aliqua ſpiritu gratia conferatur, qualem nulla ver conferebant. Satis eſſe hæc pauca p ſunt ad Bezanæ dementiæ vanitatem o nium oculis ſubijciendã. Sic qua in re mam ſibi lucem venditabat, in ea re talpa cæcior deprehenſus eſt.

11. *Vt ſit pater omnium credentium per pr tium, vt reputetur & illis ad iuſtitiam.*

Abrahæ exemplo iuſtitia imputatiua non ſtatuitur, ſed euertitur.

RApit hîc argumentum Caluinus, ad lius fidei iuſtitiam ſtatuendam. Nota quit) *quomodo Abrahæ circunciſio fidem no confirmet de iuſtitia gratuita. Eſt enim obſign iuſtitiæ fidei, vt nobis quoque credentibus* imputa

imputetur. Si fides Caluiniana de iustitia gratuita, id est, in sola remissione peccatorum posita (hæc enim illa est) ex Abrahæ circuncisione confirmatur, profectò nulla prorsus erit. Nam, vt iam demonstratum est, circũcisio Abrahæ nihil minùs quàm iustitiam gratuitam in sensu Caluini aut repræsentabat, aut testabatur, aut (vt Caluinus vult) obsignabat. *Signaculum erat iustitiæ fidei*, id est, illustre testimonium præcedentis in eo iustitiæ: quæ ab Apostolo iustitia fidei vocatur, quia obedientia, aliaque opera Abrahæ bona, cum fide erant coniuncta. In huius iustitiænon operum tantùm bonorum, sed & fidei testimonium accepit circuncisionem, quæ & pactum inter ipsum semenque eius & Deum, & nasciturum ex eo semen benedictũ significabat. Voluit autem Deus in vno Abraham iustitiam fidei, qua priùs Deo placebat, hoc signaculo externo attestari, *vt pater esset* (ait Apostolus) *tum omnium credentium per præputium*, id est, sine circuncisione (quia ante circuncisionem iustitia fidei iustus erat) *tum omnium circũcisorum*: (quia & ipse quoque circuncidebatur) sed tum horum tum illorum pater esset, si tam hi quàm illi insisterẽt vestigijs fidei qua Abraham pollebat necdũ circuncisus; vt sic vtrisque iustitia fidei, qualis in Abraham erat, imputaretur: id est, vt vtrique tam Gentiles quàm Iudæi imitantes fidem Abrahæ, & *facientes opera Abrahæ*, iusti- Ioan. 8.

ficaren-

ficarentur coram Deo, sicut ille iustificatus fuit.

Caluini ratiuncula dupliciter stolida.

Caluini autem ratiuncula duplici[ter] laborat. Nec enim hæc circuncisio Abr[ahæ] obsignatio erat qua sanciretur certitudo g[ratuitæ] tiæ Dei (vt hîc Caluinus loquitur) aut [ut] Spiritus S. re ipsa id præstaret quod illa c[ir]monia repræsentabat, vt Beza dicebat, erat (vt iam ostendimus) testimonium p[ro] existētis in ipso Abraham iustitiæ fidei. Ru sum, non ideo Abraham per hoc signacu declaratus est *pater omnium credentium pr[æ]putium, vt credentibus* in sensu Caluini i[m]*imputaretur*, id est, solam Dei beneuolen[tiam] & gratuitam remissionem per fidem app[re]hendentes, hoc vno & solo modo iusti[fi]rētur, sed vt Gentiles omnes non circunc[isi] habentes iustitiam fidei quæ erat in Abr[aha] reputarentur iusti coram Deo sicut Abraha[m]. Illa autem iustitia fidei in Abraham nec[ess] lius fidei iustitia erat, sed obedientiæ q[uæ]que; nec talis fidei quam fingit Calui[nus] sed talis quam Scriptura commemorau[it] superiùs copiosè explicatum est. Quæ [de] fides eo loco commemorata, vbi reput[ata] dicitur ad iustitiam, tametsi vnum obiect[um] respiciebat de multiplicando semine, tam[en] quia cum illo vno obiecto omnia alia cred[ita] re parata erat quæcunque diceret Deus, [ad] plenissimè (quantum ex parte fidei) iusti[fi]cabat. Abrahæ autē fidem talem tunc fu[isse]

Vers. 2. huius capitis.

ipse Apostolus in sequẽtibus annotauit. Laudans enim postea fidem Abrahæ, quum dixisset, *Confortatus est fide, dans gloriam Deo*; adiecit, *Plenissimè sciens*, seu penitus persuasus ex fide, *quia, quæcunque promisit Deus, potens est & facere*. Propter hanc generalem fidem iustificatus est Abraham: vnde statim subiungit, *Ideo & reputatum est illi ad iustitiam*. Hæc quoque generalis fides, non specialis aliqua à nobis exigitur, vt imitemur fidẽ Abrahæ. Vnde statim Apostolus præcedentibus adiecit: *Non est autem tantùm scriptum propter ipsum, quia reputatũ est illi ad iustitiã* (scilicet credenti sibi seni semẽ esse nasciturũ, & quicquid preterea promitteret Deus) *sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram*: nec hæc tãtùm credentibus, sed & quicquid præterea aut promittit Deus aut dicit, nobisque credendũ proponit. Nam nec hæc sola credẽtibus reputabitur fides ad iustitiam, nec in his solis sola remissio peccatorum continetur (quam Christus meruit, *moriens propter delicta nostra*, ex qua sola iustificari hæretici volũt) sed & illa iustificatio etiã exprimitur, propter quam resurrexit Christus; id est, quam sua resurrectione ex mortuis significauit, quæ est tota vitæ nouitas, ad quã resurgere oportere qui baptizantur in Christo, paulò pòst Apostolus docebit.

13. *Non per legem promissio Abrahæ aut semini ejus vt hæres esset mundi, sed per iustitiam fidei.*

HÆc verba, *per legem*, perperā exponit Beza: *hoc est, per præstita aliqua opera, addita implendæ legis conditione.* Quæ glossa opponit legem iustitiæ fidei hoc loco, quia iustitia fidei, cui facta est promissio benedictionis, implendæ legis conditionem penitus excluderet. Hanc enim cōditionem ferre non possunt libertini horum temporum hæretici. Quare & Caluinus hoc loco in eodem luto hærens dicit, sententiæ Apostolicæ summam hanc esse; *Abrahæ promissam fuisse hæreditatem non quia legis obseruatione id est promeritus, sed quia fide iustitiam adeptus erat.* Cæterùm Paulus nec per legem implendæ legis conditionem intelligit, nec iustitiam fidei docet ab huiusmodi conditione liberam. Legis nomine intelligit hoc loco, vt ipsemet Beza hoc loco exponit, *aut legem naturæ, aut legem Mosis*, rectè, quia per neutram illarum facta est promissio Abrahæ: id est; nec lex naturæ per naturæ viribus præstita, nec lex Moysis per illam externam illam doctrinam & legillationē, in causa fuit vt Abrahæ promitteret Deus hæreditatē mundi, id est, esse patrem omnium credentium per omnes gentes ac nationes mundo: sed iustitia fidei in ipso Abrahā cui erat per quā facta est tam nobilis promissio. Iustitia autē fidei in Abraham nō erat vna sola fides, vt semper somniāt hæretici; sed ea

Legis nomine quid Paulus intelligat

par-

partim iustitia operū bonorū eius in fide facta; vt aliæ Scripturæ docēt, partim ipsum opus fidei eius quo credidit promittenti Deo, quod hic diserte tractat Apostolus, vt ad rem præsentem maximè spectans. Obedientiā Abrahæ, qua filium immolauit, fuisse iustitiam fidei in eo, *quia fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus consummata est fides eius*, docet D. Iacobus verbis disertissimis. Huic quoque obedientiæ Abrahæ, non tantùm fidei Abrahæ, eadem promissio, quòd esset hæres mundi, facta est; dicit enim Scriptura: *Per memetipsum iurauī, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti vnigenito tuo propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum; & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Ecce apertissimè non vni fidei, vt semper volunt hæretici, sed ipsi quoque obedientiæ Abrahæ facta est promissio vt esset hæres mūdi, atq; adeò vt Christus de illo nasceretur. *Benedicētur in semine tuo* id est, in Christo ex te oriundo, *omnes gentes, quia obedisti voci meæ.* Hæc est iustitia fidei in Abraham, non solùm credere quod Deus promisit, sed etiam obedire mandato quod Deus iubet. Hæc iustitia fidei non excludit opera præstita, vt voluit Beza; nec spiritualem vitæ sanctitatem, vt vult Caluinus; sed illa maximè includit: quia omnium bonorum

Iac. 2.

Gen. 22.

Obedientiæ Abrahæ promissiones factæ sūt.

operū & ſpiritualis vitæ ſanctitatis initiū & radix fides eſt; ideóque maximè propr fidem, quam fortiſſimam habuit, obedi Abraham Deo. Sic idem Paulus docet Ab

Heb. 11. ham *ex fide operatum eſſe iuſtitiam, & egre terram cognationis ſuæ iubente Deo, etiam nes rem quò iret.* Sic opera Abrahæ facienda el vt filij Abrahæ ſimus, Chriſtus ipſe docu ſicut fidem Abrahæ imitandam eſſe, vt Abrahæ ſimus, Paulus hîc docet. Aitem

Ioan. 8. Iudæis: *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ cite.* Non ergo opera Abrahæ excludit fi

Iuſtitia fidei includit conditionem implendæ legis. Abrahę; nec conditionē implendæ legis, eſt, obediendi mandatis Dei per ſpiritual vitæ ſanctitatem, excludit iuſtitia fidei Abraham, qui hanc conditionem exac ſimè impleuit. Denique quòd iuſtitia fi operum bonorum executionem neceſſar non excludat, ad alia Pauli loca ex doctr mo Auguſtino docuimus, ac docebim deinceps.

Per legem obedientiæ facta eſt promiſſio. Poſtremò, quòd lex hoc loco legis mand torum obedientiam nō ſignificat, perſpic hoc argumento probatur. *Per legem* (ait Pa lus) *non eſt facta Abrahæ promiſsio vt eſſet hæ mundi.* Sed per obedientiam mandato præſtitam facta eſt Abrahæ promiſsio, vt *hæres mundi*, vt verba ex Geneſ. cap. 22. citata manifeſtè affirmant. Ergo Paulus legem, obedientiam legis non intelle Reſtat ergo vt legis nomine legē intelli

quo

quoad externam eius doctrinam, per quam fit cognitio peccati, sed non remedium aut victoria peccati, sicuti hactenus intellexit, posteáque cap. 7. magis perspicuè docet: atque adeò in secundo post versu, quem propterea proximo exponemus loco, tametsi non proximè sequatur, sed versus adhuc intermedius nobis tractandus erit.

15. *Lex iram operatur: vbi enim non est lex, nec praeuaricatio.*

HIc apertè Paulus docet, quid per legem intellexit quum diceret, *Non enim per legem promissio Abrahæ, &c.* Quis enim aliquando dixerit, quòd obedientia legis iram Dei operatur, quum omnes Scripturæ clament præuaricatores legis diuinæ iram Dei promereri? Et ne quis tam dementem sensum somniaret, addit Paulus, cur *lex iram operetur.* Rom. 7. *Vbi enim* (inquit) *non est lex, nec præuaricatio.* Est igitur lex *mandatum* quidem *bonum, & iustum, & sanctum,* & *quod erat ad vitã*, id est, *quod qui faceret, viueret in eo*, sed per occasionẽ factum est ad mortẽ: nõ *quia lex* ipsa nobis *facta est mors*, sed *quia peccatũ, vt appareat peccatũ, per bonum operatũ est nobis mortẽ, vt fiat supra modũ peccans peccatum per mandatum*: hoc est, *occasione accepta per mandatum seduxit nos, & per illud occidit.* Quomodo peccatum per mandatum seducit homines & occidit, nisi quia quantò seueriùs iubet bonũ, & strictiùs prohibet malum,

lum, tantô homines peccatores nitun
magis in vetitum, libentiùs peccant, &
uiùs offendunt, quàm si nescirent leg
Iubet enim tantùm lex, non adiuuat. Iu
fidei iubet quoque, sed adiuuat præterea
des enim orando impetrat, quod lex iubendo
Cap. 9. rat, ait August. de Spiritu & litera.

14. *Si enim qui ex lege hæredes sunt, exinanita*
fides, abolita est promissio.

AFfert hîc glossam Beza non minùs
stilentem & impiam quàm absur
& ineptam: *Si ydemum sunt hæredes qui*
implcuerint; siue si ad hoc, vt aliquis censeatur
hæreditatem Abraham, requiratur legis imple
inanis est fides ac promissio, id est, frustra pr
sioni creditur, & frustra fit promissio. Nam tanta
abest vt hanc conditionem aliquis præstare pos
contrà (sicut antè primis tribus capitibus pen
tegris est demonstratum) lex nihil aliud quam
cata hominum coarguat, ipsorum quidem vitia
legis. Hæc tota speculatio Bezana ex eo p
cipio oritur, quòd per legem hîc à Paul
gis obedientiam semper intelligi velit, q
in præcedentibus euidenter refutatum
dimus. Sanè Abraham ex legis obedi
Ex legis obedientia Abraham hæres factus hæredem fuisse, & quia *obediuit voci D*
benedictionem & hæreditatem consequ
esse, Dei ad illum verba Gen. 22. quæ
produximus, luculenter ostendunt. N
est ergo inanis fides, aut abolita promi

Abra

Abrahæ facta, si ex obedientia mandatorum Abraham hæres fuit, (propter hanc enim hęres fuit non secus quàm propter fidem) sed inanis est fides & abolita promissio Abrahæ facta, si vel soli legis Moysaicæ cultores, vel soli factores legis absque fide & gratia Christi (hunc enim duplicem sensum Patres afferunt) promissionem Abrahæ factam consequerentur. Et vt in priori sententia per legem non obedientiam legis, sed externam doctrinam & terrorē legis intellexit, quemadmodum in sequenti sententia (vt iam explicatum est) manifestè docuit; sic in hac media inter vtramque sententia eodem modo legē intellexisse dubitari non debet.

Caluinus & Beza seipsos refutant.

Deniq; agnoscit Beza in proximo versu, vbi Paulus ait, *Non ei qui ex lege solùm, sed & ei qui ex fide est Abrahæ*, nomine legis intelligi, *circunciſum esse, & legi Moysis initiatum*. Sic & Caluinus: *Significat hic simpliciter gentem Iudaicam, cui lex Domini tradita fuerat*. Cur igitur in proximè præcedētibus versiculis aliter Paulum vterq; intelligit? maximè quum fateatur & scribat Beza, in *his verbis conclusionem præcedentium esse à versu 13. ad hunc vsque locum*? Caluinus quoque *absolutionē argumenti Apostolici* hæc verba vocet? Seipsos sanè suasque præcedentes impias glossas confutauit vterque egregiè. Si enim hæc verba versu 16. posita, cōclusio sunt præcedentium à versu 13. ad hunc vsque locum, id est, trium proximè

præcedentium versuum quos iam tractauimus; quomodo fieri potest, vt in tribus precedentibus versibus 13. 14. & 15. legem acceperit Paulus *pro legis impletione & obedientia*, hîc verò ver. 16. in ipsa conclusione, legem acceperit *pro legis professione externa, circumcisione, & esse initiatum legi Moysis*? Quid? an ille rectè Paulum exponit, qui conclusionem eius à præmissis & antecedentibus planè diuersam & contrariam constituit? Quomodo concludit nunc Paulus antecedentem disputationem de professione legis Moysaicæ, si in tota antecedēti disputatione, non de eius singulari professione, sed de tota in vniuersum legis obedientia disputauit? An sophistam, planeque ineptissimum sophistam, facient Paulum Caluinus & Beza, vt quum hactenus de cane domestico disputauerit, nunc de cane qui sydus est eum concludens affirment? Non enim secus canis sydus cœleste, à cane animali viuente differt, quàm externa professio legis Moysaicæ à vera legis obedientia discrepat. Professio legis Moysaicæ, & *ex lege esse*, Iudæum esse, circuncisum esse, quasi signum tantùm erat & signaculum iustitiæ, non vera aliqua iustitia: sed obedientia legis & mãdatorum Dei ex fide adeò vera iustitia est & iustitia fidei, vt huic non secus quàm fidei hæreditatis promissio ipsi Abrahæ facta fuerit, nobisque fiat sequentibus vestigia patris nostri Abrahæ, non quoad fidem tan-

tantùm, sed & quoad opera eius, vt suprà ex diuinis Scripturis ostensum est. Totam hãc Apostoli disputationem latiùs à nobis explicatam vide in Opere de Iustificatione lib. 8. cap. 16.

Premit paulò aliter multoque fortiùs hæc verba Caluinus, cui veritatis fortiùs asserendæ causa respondebo. *Ab impossibili* (inquit) *vel absurdo arguit, non promissam fuisse Abrahæ quam à Deo gratiam obtinuit, ex pacto legali, vel operum intuitu, quia si interposita esset hæc conditio, Deum eos solos dignari adoptione qui merentur, vel qui legem præstant, nemo confidere auderet ad se pertinere.* Bis hîc corrumpit Apostolum, semel in verbo *legis*, quasi illa obedientiam legis significaret; quod iam refutatum dedimus circa glossam Bezæ, qui Caluini vestigijs insistẽs in eundem lapidem impegit. Secundò in verbo *fidei*, Paulum corrumpit, quasi illa confidentiam & fiduciam notaret, quum planum sit Apostolum de fide hîc loqui quatenus legi opponitur, & de qua hactenus disputauit, & quam in Abrahã hactenus commendauit. Dixerat Apostolus *fidem reputatam esse Abrahæ in iustitiam, non in circumcisione, sed in præputio*, vt postea circuncisus, per signaculum iustitiæ fidei quod acceperat, pater esset omniũ credentiũ, tam in circuncisione quàm in præputio. Hoc ipsum iterũ volẽs probare, ait promissionẽ illi factã *quòd esset hæres mundi*, non per legem fuisse, id est,

Caluini propria hoc loco corruptela.

Fides hîc apud Paulum non significat fiduciam.

non propter professionem legis Moysi quoad ceremonialia, aut etiam naturalis ... que fide, sed per iustitiã fidei. Vtroque in... co fides ac iustitia fidei legi Moysaicæ ac... naturali sine gratia Christi opponitur. Ne... ipse Caluinus in præcedẽtibus hactenus la... tentijs fidem pro confidentia aut certitud... ne gratiæ accepit, sed pro fide promissio... tametsi (vt iam ostẽdimus) absurdè & impr... Nunc autem quum in his verbis prioris la... sententiæ confirmationem ponat Apostolu... de lege, de fide, de promissione; necesse... vt eo in sensu loquatur, quo hactenus loqu... tus est. Ait igitur pro maiori confirmatio... ac robore eorum quæ dixerat: *Si enim ij qui ... lege hæredes sunt*, id est, illi qui solam legem profitentur & agnoscũt, hæreditatis Abrahæ promissæ participes sunt, *exinanita est fides* ... est, vana fuit fides Abrahæ & iustitia fidei ... in illo, nec opus fuit fide aut fidei iustitia, qu... tamen in Abraham Scriptura singulariter commendat: abolita quoque esset promissio... que videlicet illi propter iustitiam fidei fac... est. Planum est igitur & perspicuum, de fid... hîc loqui Apostolum, sicut priùs locutus erat, & de ea fide fideique iustitia quam hac... ctenus in Abraham commendauit. Hæc au... tem nihil minùs fuit quàm fiducia Calui... niana, aut certitudo gratiæ quam hîc affir... mat, vt in locis præcedentibus accuratè de... monstrauimus.

Nunc

Nunc Caluinus pro fidei iustitia, quæ est *fides per dilectionem operans*, in Abrahamo maxime elucens, confidentiam sine vlla legis obseruatione supponit: atque ita suam textus Apostolici deprauationem prosequitur: *Quis enim tantæ sibi perfectionis est conscius, vt sibi hereditatem ex legis iustitia deberi statuat?* Sanè nemo, nisi Iudæus, legis iustitiam sine fide mediatoris venditans. Sequitur: *Exinanita ergo fides esset, quia impossibilis conditio non modò suspensas & anxias teneret animas, sed trepidationẽ quoque incuteret.* Sine fide & gratia Christi legis iustitia impossibilis conditio est. Sed qui gratiam Christi accepit, potuit dicere, *Omnia possum in eo qui me confortat.* Sequitur: *Ita euanesceret promissionum effectus, quia nihil prosunt nisi fide acceptæ.* Ex sola legis iustitia sine fide & gratia Christi euanescerent sanè promissionũ effectus, quia nihil prosũt sine fide acceptę, sed fide per charitatẽ operãte; neq; enim fide tantùm acceptę, id est, creditæ prodesse possunt, quia promissiones salutis conditionales sunt (*Si Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis*) Quare conditionibus illis fidei beneficio adimpletis, quatenus fides orando impetrat id quod lex iubendo imperat, per fidem acceptæ prosunt. Sequitur in Caluino: *Quòd si ad hanc viuam rationem auscultandam aduersarijs nostris aures essent, non magno negotio dirimeretur quod inter nos est certamen.* Sanè si ad manifestissimam Scripturæ Apostolicæ

Gal. 5.

Philip. 4.

Promissiones sine fide quo modo nõ prosunt.

Rom. 8.

ſtolicæ deprauationē à Caluino hîc fact
auſcultandam aures nobis eſſent, non ſ
ampliùs pro fide orthodoxa decertandu
ſed hîc Caluino, alibi alijs hæreticis ſing
diuinæ Scripturæ verba pro libito pert
tendi ſine vlla contradictione plena pot
daretur. Nos autem non ad corruptio
Caluinianas auſcultandas aures habem
ſed Dei ſingulari beneficio ad illas refut
das vires accepimus.

Pergit adhuc Caluinus: pergamus & no
*Præſumit Apoſtolus pro re indubia, nequaquam
promiſſionibus conſtare ſuam efficaciam, niſi
animi fiducia eas recipimus.* Præſumit Calui
ſenſum Apoſtolo pro indubio affingere,
quo Apoſtolus hoc loco ne per ſomniū qu
dem cogitauit, niſi aliter cogitaſſe præſum
tur quàm ſcripſit. De promiſsione Abrah
facta, non de omnibus Dei promiſsionibus
& de fide ſeu fidei iuſtitia quæ Abrahæ fu
non de certa aliqua fiducia, loquitur hî
Apoſtolus.

Legis obſeruatio ad ſalutē neceſſaria Matt. 19 Rom 2.

Sequitur: *Quid autem futurū eſt ſi legis obſ
uatione fundetur hominum ſalus?* Id futurum
quod Chriſtus dixit: *Si vis ad vitam ingred
ſerua mandata.* Item quod Apoſtolus pau
antè dixerat: *Non auditores legis iuſti ſunt ap
Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.* Denique
nec obſeruationem legis opponit hîc Apo
ſtolus fidei, nec fidei nomine fiduciam Calu
nianam intelligit.

Sequi

Necessitas seruandæ legis non facit conscientiæ inquietas.

Sequitur: *Conscientiæ nihil habebunt certitudinis, sed perpetuæ inquietudine vexatæ tandem desperationi succumbent.* Qui ex fide legem obseruat, illam habebit certitudinem quam habuit ipse Paulus quum diceret: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: reposita est mihi corona iustitiæ,* &c. Et iterum: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitate cordis & in sinceritate Dei, &c. conuersati sumus in hoc mundo.* Quã etiam sanctus ille Ioannes docuit: *Si cor nostrum nos non reprehenderit, fiduciam habemus apud Deum.* Impiorum sanè hæreticorum conscientiæ, qui *latã viam ambulare* desiderant, nec putant necessarium esse *vt contendant intrare per angustam portam,* ad omnem obseruationis mandatorum Dei strepitum exhorrescunt, nec animo quieto esse possunt, nisi sola fiducia & certitudine beneuolentiæ diuinæ absque vlla boni operis necessitate fruantur, nihil mirum si inquietudine vexatæ tandem desperationi succumbant; quali desperatione Caluinum ipsum oppressum ex hac vita decessisse affirmant illi qui morienti affuerunt.

2. Tim. 4.

2. Cor. 1.

1. Ioan. 4.

Matt. 7. Conscientiæ hæreticorum.

Ioan Har. Hieron. Bolseco.

Legis obseruatio non est impossibilis.

Sequitur: *Promissio inde ipsa sine fructu euanesceret, cuius complementum à re impossibili pendebit.* Sanè ita, si impijs hæreticis credere volumus impossibilem esse dilectionem Dei & proximi, *in quibus duobus mandatis tota lex pendet*; impossibile esse vt *spiritu facta carnis mortificemus,*

Matt. 22. Rom. 8.

mus, quod qui non facit, moritur, & promissionis beneficio caret; impossibile esse peccata carnis deuitet, *qualia qui agunt, regnum Dei non possidebunt*; impossibile esse *dimittat debitoribus nostris*, quum non aliter tamen dimittat nobis Deus debita nostra. Bonus Christianus Caluinus, qui hæc omnia promissionis diuinæ complementa impossibilia statuit, & Christum redemptorem, eiusq; Apostolos iniquissimos & mendaces exactores facit. Sequitur in Caluino: *Eant nunc qui miseram plebem docent bonis operibus sibi salutem comparare, quũ Paulus disertè pronuntiet, abolitam esse promissionem si in opera recumbat.* Ergo Christus, ergo Paulus ipse abire in malam rem Caluino iubentur, qui in verbis luculentissimis iam citatis efficacissimè docent, omnes qui salui esse volunt, bonis operibus, mandatorum obseruatione, dilectione Dei & proximi, mortificatione operum carnis, mutuarum offensarum ignoscentia, salutem sibi comparare. Abire quoque iubetur tota ferè Euangelica & Apostolica doctrina, quæ bonis operibus salutem esse comparandam locis innumeris, peneque (exceptis paucis in hac epistola & in altera ad Galatas capitibus) nihil aliud docet. Absit autem Paulum aut Christum aut sibi aut tot alijs innumeris diuinæ Scripturæ documentis contraria docere. Abolitam esse promissionem hæreditatis vni Abrahæ factam dicit Paulus, si eius hæreditas

Gal. 4.
Matth. 6.

Caluinus bona opera facessere iubet.

reditatis illi soli participes essent qui *ex lege erant*, id est, qui aut legem scriptam acceperant, quam Abraham numquam accepit, aut ex lege naturæ sola sine fide Deum colerent, quum Abrahæ iustitia ex fide esset, non ex operibus sine fide. Sequitur adhuc in Caluino: *Sed apprimè cognitu necessariũ est illud, fidem in nihilum redigi, si operibus fulciatur.* Sed quis hoc dicit? An Paulus? cuius alibi hæc sunt verba: *In Christo Iesu valet fides quæ per dilectionem operatur.* Si fides quæ per dilectionem operatur, in Christo ad salutem valet; certè non fides, si operibus fulciatur, in nihilum redigitur; sed contrà, nisi operibus fulciatur fides, prorsus in nihilum redigitur. Non enim valet in Christo, nisi operetur. Vnde & Iacobus apertis verbis dixit: *Fides sine operibus mortua est.* Si sine illis mortua est; sanè, vt viuat, illis fulciri debet. Hoc igitur apprimè cognitu necessarium est, impium Caluinum sic Pauli textum deprauare, vt eum sibi ex diametro contrarium docere compellat.

Gal. 5.

Fides in nihilum redigitur nisi operibus fulciatur.

Iac. 2.

Nunc hoc suo, non Pauli, axiomate posito, suum, non Pauli, colligit corrollarium. *Nam & inde* (inquit) *discimus quid sit fides, & qualem oporteat esse operum iustitiam, cui securè confidere possint homines.* Inde discimus, id est, ex Caluini corruptela discimus, quid sit fides Caluiniana, non Christiana. Et quænam illa tandem est? *Perire fidem docet Apostolus, nisi in Dei bonitate securè acquiescit anima.* Relegatur

tur totus Apostoli textus. Nusquam hoc
cit, nusquam hoc docet. De animæ sec
tate, de Dei bonitate, nihil penitus dicit.
Hæretico- quomodo docet quod non dicit? Sed hæ
rum ho- hæreticorum execranda impietas. Ad Scr
die exe- turas appellant. Eas quum in manus acce
cranda impietas. rint, vertunt, inuertunt, conuertunt, p
uertunt, vt volunt. Mox adorant operu
nuum suarum Commenta sua, inuen
ac peruersos sensus suos, pro diuinis r
bis obtrudunt. Christum dicere, Apo
lum docere, Scripturam loqui affirma
quod ipsimet ex malè sano cerebro sua
affinxerunt. Sic hoc loco Caluinus, ma
concludit: *Non est ergo fides aut Dei au*
tis eius nuda cognitio (quod illi libenter con
dimus) *ac ne simplex quidem persuasio qua*
sit, quòd verbum eius sit veritas (hoc illi ne
mus, si persuasionis nomine firmũ assen
intelligat) *sed diuinæ misericordiæ certa notio*
Euangelio concepta, quæ pacem apud Deum
quiem cõciliet. Hæc fidei Caluinianæ defini
De Iustifi- est, quam alibi refutatam & iugulatam
cat. lib. 8. quimus. Hæc definitio non ex verbis A
cap. 24. stoli quæ iam tractat, sed ex corruptis
cerebro suo homo singulariter vanus ac
pius (aliter quippe Lutherani & alij hu
sectarij eam definiunt) deprompta est. Sa
le hunc locum, quasi eculeis subiectum,
serum detorsit & dilaniauit in modum,
cuti ex præcedentibus textibus solam fi

iustificantem, imputatiuam iustitiam, & solam remissionem peccatorum, stabilire & firmare omni studio & contentione nisus est, sic ex hoc loco certitudinem gratiæ, alteram solius fidei prolem, alterum huius ætatis portentum, fabricaret ac roboraret. Visa est enim diuinissima hæc Apostoli ad Romanos epistola nostræ ætatis hæreticis ad varia sua noua idola ac portenta opinionum fabricanda, instrumenta & arma fortissima suppeditare. Quod non nisi cum perspicua Apostolici textus deprauatione aggressos illos fuisse, Caluinus ac Beza, cæterorum omnium principes, hactenus indicarunt, & in sequentibus adhuc indicabunt magis: si vota nostra secundet Deus, detque perficere quod dedit velle.

16. *Ideo ex fide, vt secundùm gratiam firma sit promissio omni semini.*

ADmodum peruersè hæretici hodie hæc verba exponunt. Ideo ex fide (inquiũt) consequimur hæreditatem, fide scilicet speciali apprehendente promissiones, & certò statuente hæreditatem sibi promissam suam fore, quia non potest esse firma talis promissio gratuita in conscientijs fidelium, nisi ex fide esset, & non ex lege, id est, non ex vlla obligatione seruandæ legis, aut conditione legis obseruatæ. Talis enim conditio vel obligatio redderet illam nobis prorsus incer- Chemnitius & alij.

rissimam, cùm nemo legem seruet totam perfecte sicut oportet Hæc illi. Sed pertunt totum Apostoli sensum, qui talis Ideo ex fide pendet promissio benedictnis in Christo, & non ex lege, vt sit firma ni semini, id est, vt sit generalis, & ad omomnium gentium electos se extendat, vt conscientijs singulorum sit firma, de re nihil hîc Apostolus disputat. Ideo hatici hunc locum citantes, illa vltima (*omni semini*) vt plurimùm omittunt. Erg

Promissio hæreditatis cur ex fide, non ex lege.

sanè parum firma promissio de redemptgratuita per Christum, si à conditione adpletæ prius legis, aut operum præcedenmerito penderet. Sed hoc nemo Catholdicit, etsi à quadam necessaria in adultæpositione, cuius vna pars fides est, eam dedere certissimè credit Catholica Eccle Caluinus hîc fidem pro certitudine gaccipiens, sicuti in præcedētibus, *Videsimus vt Apostolus fidem ex firma stabilitq; certitudine mans, hæsitantiam ac dubitationem pro incertitate ducat, qua & fides aboleatur, & abrogetur missio.* Atqui Apostolus promissionis dfirmitatem docere volens, respectu latdinis eius, non vt à singulis certa fiducia prehendatur, sed vt à Deo secundùm gratiam ac propositum in vniuersum ombus electis conferatur, docet illam nonbuisse *ex lege esse*, ne sic ad solos Iudæos pertineret, *sed ex fide*; quia ad fidem om

nation

nationes vocandæ erant, & omne semen Abrahæ per imitationem fidei Abrahæ censendum fuit. Quare & Caluinus particulam illam, *omni semini*, penitus hoc loco neglexit.

25. *Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.*

Docet luculenter hic locus, iustificationem nostram, ex ipsius Pauli sententia, nec ex sola fide, nec ex sola remissione peccatorum quam fides apprehendit, consistere; sed ex ipsa vitæ nouitate, bonisque operibus quæ in Christo regenerati præstare debent. *Christus traditus est propter delicta nostra*, vt nos peccato moriamur, depositoveteri homine cum actibus suis. Resurrexit autem *vt nos cum illo resurgamus in nouitate vitæ*, quod postea in 6. capite latè Apostolus prosequitur. Hanc nouitatem vitæ, quam Christi resurrectio partim significat, partim etiã efficit, cuiusq; partim significatio & documentum (vt in 6. cap. docet) partim causa efficiens est, vt hîc affirmat, *Iustificationẽ nostram* vocat Apostolus: quia videlicet ex hac nouitate vitæ iustificamur & iusti sumus coram Deo. De significatione dicit S. Augustinus: *Nostram ex morte veteri, qua in peccato mortui fueramus, renuntiantem vitam noua sua resurrectione signauit.* Et paulò pòst pulchre ex Scripturis docet, quomodò, quæ à Christo gesta sunt, varia in nobis gerenda significabant. *Quicquid* (inquit)

Iustificatio ex bonis operibus.

Resurrectio Christi nostrã iustificationẽ significauit.

In Enchirid. c. 41.

Cap. 53.

gestum est, in cruce Christi, in sepultura, in re-
rectione tertia die, in ascensione in cælum, & sed-
dexteram Patris, ita gestum est, vt his rebus n-
tantum mysticè dictis sed etiam gestis consigna-
vita Christiana quæ hic geritur. Nam propter c-
Gal. 5. *Crucem dictum est, Qui Iesu Christi sunt, carn-*
suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscen-
Propter sepulturam, Consepulti sumus cum Chri-
per baptismum in mortem. Propter resurrectio-
Rom. 6. *Vt quemadmodum Christus resurrexit à mort-*
per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ a-
bulemus. Propter ascensionem, sedemq; ad dextr-
Coloss. 3. *Patris, Si consurrexistis cum Christo, quæ sur-*
sunt quærite, vbi Christus est ad dexteram Dei s-
tris: quæ sursum sunt sapite, non quæ sunt super-
ram. Hæc Augustinus de significatione, n-
imaginaria aliqua, quæ id significet quod
conceptu sit, non in re, sed vera ac solid-
Cap. 52. Vnde in præcedenti cap. dixit: *Quemadm-*
dum in Christo vera mors facta est, sic in nobis v-
ra remissio peccatorum; & quemadmodum in
vera resurrectio, ita in nobis vera iustificatio. Ha-
iterum Augustinus. Hoc autem in loco d-
cet Apostolus, quòd sicut *propter delictum*
mortuus est Christus, finisque & effectus mor-
eius fuit remissio delictorum nobis pro-
randa; sic *propter iustificationem nostram re-*
rexit, finisque & effectus resurrectionis Do-
minicæ erat nostra iustificatio.

Non est quidem dubitandum quin mo-
Christi tam internæ nouitatis & regenera-
tionis

tionis nostræ per modum meriti, quàm remissionis peccatorum per modũ precij causa efficiens fuerit, quia *mortuus est propter delicta nostra*, non solùm pro eorum pœnis satisfaciendo, vt fieret præteritorum remissio, sed etiam diuini Spiritus gratiam pro nobis promerendo, quæ & peccata extingueret atque depelleret, & nouam in nobis iustitiam operaretur Cæterùm quia hæc diuini Spiritus gratia non propter solam mortẽ Christi, sed etiam propter ipsam resurrectionẽ Domini (vt hic Paulus loquitur) vel saltem nõ nisi post illa, conferenda nobis erat; vnde D. Ioannes de hac gratia dixit, *Nondũ erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*; propterea ipsi quoque resurrectioni Dominicæ tanquam effectus causæ, ac finis medio, vitæ nouitas (*quæ est resurrectio nobis congrua*, ait Augustin⁹) attribuitur. Vnde & iterũ alibi Paulus: *Si Christus non resurrexit, inanis est fides vestra, & adhuc estis in peccatis vestris.* Duo igitur nos hic locus docet: resurrectionis Dominicæ finem ac scopum fuisse nostram totius vitę nouitatem (quod in 6. capite docebit latiùs) & hanc vitæ nouitatem, esse *iustificationẽ nostrã*, id est, nos ex hac vitæ nouitate, sanctitate, puritate, ex fuga peccati, mandatorum obseruatione, bonis in fide operibus, verè iustificari, verè iustos coram Deo reputari

Resurrectio Christi quomodo causa iustificationis nostræ.

Ioan. 7.

De Spir. & lit. c. 29.

1. Cor. 15.

Quid nunc ad hæc tam luculenta verba

Caluini lucta cõtra Paulũ

Caluinus? In omnem se partem vertit, vt tatis Euangelicæ iuratus hostis, vt tam lentum iustificationis nostræ testimoni eludat. *Non possum* (inquit) *illis assentiri, secundum hoc membrũ ad vitæ nouitatem refe*

Rom.6.4

Et quare hoc, quum ipsius Apostoli h verba sint, *Vt quomodo Christus surrexit à mor per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ a*

Exceptio friuola.

bulçamus? Nam (inquit) Caluinus *de ea re cœpit agere Apostolus.* Atqui vt plenius pote de ea agat, hîc viam sternit, & ab illa disputatione de fidei iustificantis neces tate, ad alterã iustificationis nostræ partem de vitæ nouitate, sanctitate, ac iustitia, sep rat. Quam idcirco statim in proximo cap aggreditur, de effectibus gratiæ Christi putans; sed de hac vitæ nouitate, quã Chr resurrectio tum significãdo docuit, tum e ciẽdo attulit, in altero mox capite plen differit. Deinde, vt de ea nec hîc nec pos quicquam amplius ageret Apostolus; q tamen ignorat, diuinas Scripturas, pa principale argumentũ quod tractãt, mu obiter dicere atque asserere, prout Spir Sanctus dedit eloqui illis? Friuola igitur nugatoria hæc exceptio est.

Caluinus assumit, non probat.

Addit aliam: *Deinde, certum est eodem pa vere vtrumque membrum.* At vnde aut c hoc certum est? more suo assumit ter quod probandum erat. An non vere co rium certo certius est? Sicut distincta fuisse

fuerunt mors & resurrectio Christi; sic distinctos effectus eis tribuit hoc loco Paulus, & vtrumque ad duo distincta refert. Videamus tamen quid ex eo quod assumit infert Caluinus. *Proinde* (inquit) *si iustificatio renouationem significet, propter peccata fuisse mortuum, eo sensu dictum esset, vt nobis mortificandæ carnis gratiam acquireret, quod nemo concedit.* Vide impostoris nequitiam pariter & astutiam. *Quod nemo concedit*, ait. Nempe quia ille cum suis sodalibus ac nouis nostri temporis sectarijs concedere hoc non vult, ait, *Nemo concedit.* Astutia serpentina hæc fuit. Sequitur nequitia. Nam Christum propter peccata nostra eo sensu mortuum esse, vt non solùm peccatorum remissionem, sed & præterea mortificandæ carnis gratiam omnibus in eum credentibus impetraret, omnes illæ Scripturæ disertissimè testantur, quæ docent redemptionem per Christum factam non solùm fuisse à reatu & pœna peccatis debita, *sublatis inimicitijs inter nos & Deum*, & sublato *chirographo decreti quod contra nos erat*, sed etiã ab ipso peccato ac seruitute eius, vt non amplius *serui peccati essemus, sed liberi iustitiæ.* Hoc in seq. cap. docebit Paulus, sed in epist. ad Titum clarissimis verbis hoc docuit dicens: *Dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate* (quod quia adhuc de sola remissione peccati intelligi potest, addit:) *& mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum*

Caluini impostura aperitur.

Christi mors mortificationis gratiã acquisiuit.

Ephesi. 2. Colos. 2.

Rom. 6.

Tit. 2.

norum operum. Effectus ergo passionis Dominicæ, qua dedit semetipsum propter delicta nostra, *est mundare sibi populum sectatorem bonorum operum.* Non autem aliter populus emundatur ad sectanda bona opera, quæ per *mortificandæ carnis gratiam*, vt *Spiritu facta carnis mortificentur*, & *vt ambulet secundum Spiritum, non secundùm carnem.* Quicunque ergo Scripturis diuinis fidem habet, conRom. 8. dere omnino debet, *tradi Christum propter delicta nostra*, etiam hunc sensum habere, *vt mortificandæ carnis gratiam nobis acquireret.* Quamtamesi vtrumque membrum eodem pertineat, iustificatio nihilominus, propter quam Christus resurrexit, renouationem significabit, propter quam procurandam Christus morti traditus est. Tam enim mors quam resurrectio Christi, & mors eius magis proprie (vt nuper diximus) vtrumque procurauit.

Caluini expositio propria absurdissima.

Friuolis ergo Caluini exceptionibus depulsis, videamus quem ille his verbis sensum affingat. *Ergo* (inquit) *quemadmodum mortem dicit propter peccata, quia soluta in mortem peccatorum pœna nos à mortis calamitate liberauit; ita dicitur suscitatus ad nostram iustificationem, quoniam sua resurrectione vitã nobis solidè instaurauit.* Quid hic mortem Caluinus dicat, quid vitam, sequentia eius verba elucidant: *Primus enim manu Dei percussus est, vt in persona peccatoris peccati miseria defungeretur: deinde in vita re-*

num exaltatus est, vt iustitiæ ac vitæ suos donaret. Deiustificatione ergo imputatiua adhuc loquuntur: atque hoc ipsum cõfirmabit quod statim sequetur proximo capite. Hæc ille. Ergo mortis nomine dãnationem intelligit; vitæ verò, iustitiam Christi nobis imputatam. Sed nec vitæ nomine apud Paulum aut alibi in Scripturis imputatiua iustitia vnquã vocatur; nec aliquid vitale est talis iustitia, sed nuda denominatio, eaque inanis; nec iustificationẽ propter quã Christũ resurrexisse Paulus hîc dicit, probauit Caluinus ita debere accipi; nam quæ ad probandum attulit, futilia fuisse ostẽdimus. Sed super hæc omnia tam crassa & apertè mẽdax hæc interpretatio Caluiniana est, vt ipsimet Paulo aperto ore contradicat. Paulus enim, vt suprà attulimus, infrà dicit: *Vt quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriã Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Ostendit vitam resurrectione Christi nobis instauratam, non esse aliquam ipsius iustitiam nobis imputatam, sed esse nouitatem vitæ in nobis, & quam nos ambulando in ea exercemus, quã illa resurrectio partim significat & docet, partim effecit & procuratuit.

1. Caluini expositio Paulo cõtradicit.

Rom. 6.

2. Resurrectio Christi iustitia nostra imputatiua esse nõ potest.

Præterea, quum resurrectio Christi à mortuis nullus fuerit iustitiæ actus, sed gloriæ ipsius demonstratio, illa nobis ad iustitiam imputari non nisi stultissimè dicitur. Si enim Christi iustitia nobis ad complementum iustitiæ esset imputanda, necessariò ipsius iu-

3.

ſtitiæ in Chriſto aut actus aut habitus in
ligi debet. Propterea quum de iuſtitia
imputatiua fabulantur hæretici, de Ch
morte ac paſsione inprimis, tum de tot
gis complemento per Chriſtum pro n
præſtito fabulari ſolent. Atqui reſurre
Chriſti quam, quæſo, legis partem imple
cuius mandati executio erat loco no
præſtita? aut quis iuſtitiæ actus nobis
putandus? Quid hîc narrat Caluinus? Iu
ficatio noſtra, propter quam Chriſtus
rexit, eſt iuſtitia imputatiua, & nobis im
tatiuè donata, ad vitæ noſtræ comple
tum, eamque ſolidè in nobis inſtaurand
Ergo ſicut in reliqua Chriſti iuſtitia imp
tatiua nos legem implere, Deo prop
ſatisfacere, obedientiam, quam lex fla
perficere non poſſumus nec tenemur,
Chriſti obedientia, ſatisfactio, totáque
iuſtitia cumulatiſsimè ab eo præſtita
imputatur; eodem modo nec nos reſurg
à mortuis poterimus, vt cum Chriſto
nemus, quia eius reſurrectio nobis imp
tur, eius reſurrectio vitam noſtram ſo
inſtaurat, non aliquid nobis conferendo
ſuam nouam gloriæ vitam nobis imputá
Huc tendit, in hoc reſoluitur præclara C
uini hoc in loco interpretatio. Sed hæ
cæcitate meritò percutiuntur, qui ad fulg
tem in diuinis Scripturis veritatem, luce
meridiana clariorem, vltro oculos claud
re

tes, in tenebris palpant; suíque cerebri commenta prosequentes, in maximas absurditatũ foueas cæci cadunt. Propter quam enim iustificationem nostram Christus resurrexit, alia ipsius Pauli verba à nobis prolata luculentissimè docuerunt. An autem iustitiam imputatiuam proximo capite Paulus confirmet, in eo videbimus. Sanè proximi capitis disputatione iustitiam imputatiuam efficacissimè iugulari, donante Deo ostendemus.

Caluinus sibi ex diametro cõtrarius.

Cæterùm hac Caluini disputatione & præsentis textus deprauatione lecta, quis vnquã existimaret, ipsummet postea Caluinum prorsus sibi contraria docere? Hoc in loco, vt quod Paulus dixit, *Resurrexit propter iustificationem nostram*, ad vitæ nouitatem nullo modo pertinere ostenderet, ait primùm, *vtrunque membrum, traditus est propter delicta nostra & resurrexit propter iustificationẽ nostrã*, eodem pertinere; moxque infert, *Proinde si iustificatio* (in posteriori membro) *renouationem significet, propter peccata fuisse mortuum* (in priori membro) *eo sensu dictũ esset, vt nobis mortificandæ carnis gratiam acquireret, quod nemo concedit*, id est, quod tanquam absurdissimè dictum reijciendũ censet. Hæc in hoc loco Caluinus. At verò idem Caluinus infrà ad cap. 6. huius epistolæ ad Rom. ad vers. 4. tractans illa verba Apostoli, *Consepulti sumus ei per baptismum in mortem, vt quomodo Christus surrexit à mortuis*

per

per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ a
bulemus, hunc in modum scribit: *Hæc est ho*
loci doctrina, quòd mors Christi efficax est ad
quitiam carnis nostræ extinguendã ac profligã
resurrectio verò ad suscitandam melioris natura
uitatem. Videat nunc Lector an non diser
simè illud ipsemet concedit, de quo am
dixit, *Nemo concedit*. Hîc dicit mortem Ch
sibi *efficacẽ esse ad nequitiã carnis nostræ extingu*
dam & profligandam. Ibi negauit quòd eadē
Christi mors *mortificandæ carnis gratiam ac*
reret. Imò plus hîc dicit, quàm ibi nega
Plus enim est, efficacem esse mortem Chri
sti, quàm gratiam acquirere: plus etiam es
nis nequitiã extinguere & profligare, qua
carnem mortificare. Rursum, quum hoc
eo resurrectionem Christi vitam nobis
staurare doceat, iustitia imputatiua suos
nando; in verbis iam ex cap. 6. citatis affi
mat resurrectionem Domini efficacem
ad suscitandam melioris naturæ nouitatem
Et iterum verbis clarissimis idem repe
Hæc duo (inquit) *inter se indiuiduo nexu cohæ*
veterem hominem Christi morte aboleri, vt eam
surrectio iustitiã instauret, nosq; efficiat nouas
turas. An non iterum quod hîc de Christi
surrectione disertè negauit, in alio lo
prorsus confitetur, adeoque Christi resur
ctionem renouationis nostræ causam effica
cem statuit? Ait enim, *nosque efficiat nouas*
turas.

Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?

Aut cui aſsimilabo impoſtorem hunc? Audiui de ariolo quodam apud noſtros, qui quum in nobili quadam familia ariolandi & de futuris diuinandi artem ſibi venditaret, & rogatus à quodam ex domeſticis aliquò profecturo, ſerenáne illa dies futura eſſet an non, vt pallium ſecum aut deferret aut non deferret, ei reſpondiſſet pluuiam haud dubiè eo die caſuram, ideóque conſultum fore vt omnino pallio ſe muniat; altero verò idem interrogante, contrarium reſpondiſſet, tempus planè ſerenum, nec pallio opus fore; vtroque hominis conſilium ſequuto, quum poſterior bene complutus domum rediens, cum ariolo expoſtularet, deceptum ſe ab illo nequiter fuiſſe; reſpondit ei nebulo: Malè me intellexiſti: planè contrarium tibi dixeram; cuius rei fidem mihi faciet ſodalis tuus, quem diſertè monui tempus fore pluuioſum. Quo id atteſtante, ſuam adhuc in familia fidem & exiſtimationem ariolus tutatus eſt, altero illo bene complutoab omnibus deriſo. Eundem hîc ludum impoſtor iſte Caluinus ludit. Ad diuerſos Apoſtoli textus de eadem re quaſi interrogatus, diuerſa reſpondet. Rogatus cap. 4. an illud Apoſtoli verbum, *Reſurrexit propter iuſtificationem noſtram*, de nouitate vitæ, quam Chriſti reſurrectio aut docet aut efficit, intelligen-

Caluinus ariolo impoſtori cõparatus.

telligendum sit, negat prorsus, & plu
minatur, vt illic operosè respondere &
pallio defensionis veritatem munire
nobis fuerit. Rogatus cap. 6. an illa Apo
verba, *Vt quemadmodum Christus surrexit*
tuis, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus,
ceant quòd per Christi resurrectionem
instauretur, & nouæ creaturæ credentes
ciantur, affirmat rotundè, & omnia
pronunciat, vt priorem suam commu
nem & veritatis negationem non nisi
Iam fuisse appareat. Sic impostor iste
apud suos fidem & authoritatem tuetur,
si à nobis vrgeatur veram & ortho
sententiam ad Rom. 6. tradidisse, respo
quòd eum non intelligimus, quia ad Ro
prorsus contrarium docuerat. Cæteri
se res haber. Hîc ad Rom. 4. verba m
clara & aperta voluit (quantum in ipso
eludere, &, quàm diu aliquo fuco se
potuit, reluctari. Sed ad Rom. 6. verb
xtus clarissima ad ipsam veritatem ple
pronunciandam eũ vel inuitum adege
quod eo in loco iterum annotabimus.

Arg

Argumentum Cap. V.

PAVLVS hîc effectus gratiæ Christi & bona iustificatorũ enumerat: quod vt plenius ac subtilius faciat, comparationem instituit inter Christum & Adamum; inter dona Christi & delictum Adami: cuius recta intelligentia iustitiam nobis à Christo collatam mirificè illustrat. Porrò quum bona iustificatorũ amplissima enumerat, de illis solùm iustificatis loqui censendus est, qui in accepta iustitia perseuerant.

1. *Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus apud Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum.*

AButuntur his verbis hæretici, ad certitudinem gratiæ, quam ponunt, confirmandam; quasi doceret Paulus, solam ex fide iustificationem ad pacem & securitatem de certa cuiusque salute sufficere. Ideoque legere volunt, *Habemus*, iuxta quædam Græca exemplaria; non, *Habeamus*. Sed neutra lectio hæreticos iuuat: quanquam & nostram sequitur Græcus Chrysostomus, multisque verbis exponit exhortationem hanc esse, nõ assertionem. Pax enim hoc loco nihil aliud quàm bonum reconciliationis nostræ cum Deo significat, quam certè in iustificatione consequimur, sed non semper retinemus in pecca- Certitudo gratiæ.

peccata grauiora relapsi. Porrò tamet
postolus doceret, habere omnes iustifica
hoc ipso quo iustificantur, pacem illa
securitatem cordis quam ponūt hęretici,
tamen doceret eos eandem semper habe
nisi in quantum & quamdiu manēt perse
rantes in iustitia. Beza nihilominus, e
meratis huius loci expositionibus varijs,
superbè (suo more) reiectis, nullo argume
refutatis, suam tandem his verbis tradi

Bezæ corruptio.

pereſt vera illa pax mundo incognita, de qua hic
Apoſtolus, id eſt, incredibilis illa & conſtantiſſi
mentis recreatio, qua fit vt de beneuolentia Dei
tus homo, ſuperatis conſcientiæ terroribus, d
cū Dauide, Dominus illuminatio mea & ſalus
quem timebo? Quasi Dauid propter conſci

Psal. 13.

tię terrores solis impijs proprios (*Viam*
pacis non cognouerunt) hoc dixerit, ac nō p
sus propter hostes eius externos. Vnde
quem timebo? Non ait, quid timebo? quo
sensu Bezæ dicendum fuit. Sed demus p
nomine Apostolum hoc velle intelli
Hæc enim certè pax si non propriè hic
ligitur, saltem effectus eius est quæ hic
ligitur. Nam ex reconciliatione nostra
Deo, quam per Christum iustificati co
quimur, sequitur animi illa securitas &
cia, qua Deum nobis propitium & prote
rem esse minimē dubitamus. Sed hanc
cem & securitatem quid tandem gener
Subiungit Beza: *Vna fides, quæ verbo ipſius*

sola Christum veram iustitiam apprehendit, hanc pacem adfert. Sed hæc vna fides Christum vt veram cuiusque credentis iustitiam apprehendens, nec à Paulo docetur, nec in vllo verbo Dei, vt Beza hîc comminiscitur, reperiri potest: &, ne longè abeamus, hoc ipso in capite à Paulo refutatur, vbi pax & securitas beneuolentiæ Dei erga nos, non vni fidei, sed charitati inprimis aliisque virtutibus tribuitur. Quæ loca à Beza sicco pede prætermissa iam tractabimus.

3. *Gloriamur in tribulationibus, scientes quòd*
4. *tribulatio patientiam operatur, patiētia autem probationem, probatio verò spem: spes autem*
5. *non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.*

DOcet in his verbis luculenter Paulus, quid tandem illud sit quod pacem nostram cum Deo adfert, & propter quod gloriamur, magnáque lætitia afficimur. *Gloriamur* enim hoc loco apud Paulum significat (vt ipse Beza exponit) nō modò quòd æquo animo & moderato sumus, sed etiam *magna lætitia perfusi, nobis placemus de hæreditate cœlesti quæ nos manet.* Vnde autem gloriamur? Dixerat ante Apostolus, *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Sed vnde hæc spes gloriæ in nobis? An ex eo solùm quòd Christi iustitiam nobis imputatam fide apprehendimus? Nihil Vers. 2.

huiusmodi apud Paulum, qui fidem app
hendentem aut iustitiam Christi imputa
nunquam nominat. Ostendit ergo vnde
spes gloriæ; docens nos non in nuda & im
ginaria spe, sed in spe bonis operibus ni
hanc gloriationem tenere. *Gloriamur* (inq
in tribulationibus: quæ vox latissimè patet,
solùm externas hostium fidei persecutio
denotat, sed etiam quæcunque à mundo,
carne, à diabolo patimur, dũ contra illa
titer pugnamus. Huiusmodi tribulation
longam catenam texit Paulus 2. Cor. 11.
quare in illis gloriamur, quæ etiam imp
magna ex parte sunt communes? *Sciam*
(inquit) *quòd tribulatio patientiam operatur*
certè tribulationis fructus & effectus e
filijs Dei, quum apud impios tribulatio
patientiã, sed desperationes, murmura, bl
phemias, generet. Sed tribulatio timentiu
Deum *patientiam operatur*, quia huiusm
sciunt, omnem tribulationem vel ad iust
peccati pœnam, vel ad maiorem pietatis
ronam infligi. Patientia autem quid fac
Patientia (inquit) *probationem operatur*, id
patientia probatio quædam est certum
argumentum seu experimentum quòd
Dei sumus. *Si enim extra disciplinam sumus, o*
Heb. 13. *adulteri non filij sumus*, vt alibi Paulus ait. Pr
batio verò hæc quid demum boni adfe
Probatio (inquit) *spem operatur*, id est, genera
confortat, & auget spem nostram in Deu

Gloriatio & fiducia fidelium bonis operibus nititur.

Sed hæc spes an incerta est, aut fallere nos potest? Minimè verò. *Spes* (inquit) *non confundit*, id est, non suffundit pudore, sicut spes falla. Et quare non confundit? quare firma & indubitata illa spes est, quam probatio per patientiam boni operis adfert? An quia ipsa bona opera in se, & in quantum à nobis proficiscuntur, talem spem generant? An quia spes & fiducia nostra in Deũ, nostris operibus, aut nostræ patiẽtię, quatenus à nobis est, nititur atque fundatur? Minimè gentium. Rationem subiungit Paulus: *Quia* (inquit) *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis*: id est, quia radix & origo huius probationis ac patientiæ in filijs Dei est donum charitatis, qua facit nos Deus dilectores sui, in cordibus nostris effusum, id est, largiter & copiosè impertitum, idque *per Spiritum S. qui datus est nobis*. Non quia etiam per Deum Patrem, ac Filium Dei, hoc donum non detur, sed quia Spiritui Sancto, quatenus est amor Patris & Filij, & ab vtroq; procedens, charitatis & amoris dona appropriantur.

Ad hoc verbum (quum in cæteris tacuerit) non nihil commouetur Beza, & quia contra imputatam ex fide iustitiam, proque inhærenti charitatis cæterarumque virtutum iustitia plurimum facit, suo veneno inficiendum putauit. *Passiuè* (inquit) *hoc accipiendum esse de ea charitate qua nos Deus complectitur,*

non modò oſtendit argumenti ſeries, quum de tu
ſtantiæ noſtræ fundamento hic agatur, ſed ma
Paulus ipſe explicat infrà, verſ. 8. vbi dicit:
Commendat autẽ charitatẽ ſuã Deus in nobis, &
Totum hoc ab optimo ſuo parente Calui
accepit Beza, qui dilectionem hoc loco n
actiuè ſed paſsiuè accipi eiſdem penè ver
affirmat, & eiſdem argumentis probat. Ad
tamen Caluinus *hallucinari Auguſtinum, qua*
ter expoſuit: quod ſibi meliùs tacendum p
tauit Beza. Veruntamen vtrique hæretico
fauorem ſuæ hæreſis textum deprauan
vnum opponemus Auguſtinũ ante has co
trouerſias natum, ideoque interprete
magis indifferentẽ, vt cętera in eo clariſſi
Doctore taceam. Longa & accurata diſpu
tione quærens & inueſtigans S. Auguſtin
quæ ſit illa fides quam tanta conflictatione com
dat Apoſtolus, poſt multas & varias illius fi
explicationes (quarum nulla eſt appreh
dens Chriſtiiuſtitiam imputatam, quam n
ſtri hæretici ſibi cõfinxerunt) addit & iſtam

Charitas diffuſa in cordibus noſtris eſt illa qua diligimus Deum.

Poſtremò, hæc eſt fides quæ per dilectionem operat
non per timorem; nõ formidando pœnam, ſed am
iuſtitiam. Vnde ergo iſta dilectio, id eſt, charitas
quam fides operatur, niſi vnde illam fides ipſa im
trauit? Neque enim eſſet in nobis, quantacum
ſit in nobis, niſi diffunderetur in cordibus noſtris
Spiritum S. qui datus eſt nobis. Charitas qu
Dei dicta eſt diffundi in cordibus noſtris, non q
nos ipſe diligit, ſed qua nos facit dilectores ſuos

De ſpir. & litera cap. 31.

Auguſtini explicatio contra Cal. & Bezam.

iuſtit

iustitia Dei, qua iusti eius munere efficimur; & Domini salus, qua nos saluos facit; & fides Iesu Christi, qua nos fideles facit. Hæc est iustitia Dei, quam non solum docet per legis præceptum, verumetiam dat per Spiritus donum. Hæc Augustinus, tum ex alijs Scripturarum locutionibus, tum ex natura iustificantis fidei, eius videl. *quæ per dilectionem operatur*, luculenter ostendens charitatem Dei diffusam in cordibus nostris non esse, vt Caluinus ac Beza affirmant, charitatem passiuè acceptam, qua nos à Deo diligimur, sed esse charitatem in nobis & in nostris cordibus, qua nos Deum diligimus, actiuam & operantem iustitiæ.

Et quis nisi absurdissimè dicat, *diffundi in cordibus nostris*, quod extra nos est, & in solo Deo est? Mouit etiam Caluinum hæc vox *diffusa*. *Multam* (inquit) *emphasim habet. Significat enim adeò vberem esse diuini in nos amoris reuelationem, vt corda nostra impleat.* Ecce, fecit hoc verbum vt charitatem hanc in nobis esse, nostraque corda illa impleri fateretur: sed quoad notitiam tantùm eius, non quoad gustum. De quo eius commẽto mox videbimus. Tenendum interim est de charitate hîc Paulum loqui, *quæ corda nostra impleat.* Charitas enim qua Deus nos complectitur, sic Dei est, vt in solo Deo sit; sicut amor amantis in amante est, non in ipso amato, qui frequenter amantem non redamat, sed odit. Charitas autem Dei, quam Paulus hîc prædicat tanquam fi-

Probatur ex litera Apostolica.

ductiæ & spei nostræ fundamentum, sic D
est, vt à Deo quidem authore sit, ideoq
Dei, sed nostra quoque, quia *in ipsis cor*
nostris diffusa, qua nos ipsum Deũ diligim
estque propriũ & primarium donum Spi
ritus S. qui datus est nobis. Quod eodem
Cap. 27. libro explicans August. sic scribit: *Hoc don*
Spiritus Sancti est, quòd diffunditur charita
cordibus nostris: charitas non quælibet, sed charit
Dei, de corde puro, & conscientia bona, & fide
ficta, ex qua iustus in hac peregrinatione viuit.

Charitas actiua nobis inhærens est lex scripta in cordibus.

Denique charitas Dei diffusa in cordib
nostris adeò in nobis est, non in Deo, tame
à Deo, vt per hanc charitatem nobis inhæ
rentem & immanentem, donec per pecca
illam excutimus, & Spiritum S. à nobis e
pellimus, leges Dei scribantur in cordib
nostris; quod noui Testamẽti & fœderis p
prium donum esse, post Ieremiam Paulus d
cuit. Quod his verbis eodem in opere exp
Cap. 21. cat Augustinus: *Quid sunt leges Dei ab ipso*
scriptæ in cordibus nostris, nisi ipsa præsentia Spi
tus S. qui est digitus Dei, quo præsente diffundi
charitas in cordibus nostris; quæ est plenitudo leg
& præcepti finis? Hanc totam præsentia
Spiritus S. in nobis, quæ tamen tanta est,
Rom. 8. propterea *Deus nos inhabitare* dicatur, nosq
Spiritum Dei inhabitantem habere, & *templa D*
esse, negant impij hæretici cum Pelagia
De grat. Christi cap. 30. antiquis. De quibus sic conqueritur Augu
Istam gratiam qua iustificamur, id est, qua cha

tas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis, in Pelagij & Cælestij scriptis, quæcunque legere potui, nusquam eos inueni quemadmodum confitenda est confiteri. Hæc ille. Eandem nec hodie in hæreticorum scriptis facilè inuenias, & Caluinus ac Beza, vbi clarissimis verbis ab Apostolo ponitur, eam confiteri detrectant, & explicatione peruersa Apostoli verba corrumpunt.

Sed cur ita sensum verborum manifestum corrumpit post Caluinum Beza, duas causas adfert ex Caluino Beza, quę disimulandæ non sunt. Prima est, quia *argumenti series hoc ostendit, quum de constantiæ nostræ fundamento hic agatur.* Atqui hæc ipsa ratio pro literali verborum sensu à nobis ex Augustino iam explicato fortissimè militat. Cõstantię enim nostræ, qua in tribulationibus patientiã seruantes probamur esse filij Dei, ideóque spem gloriæ filiorum Dei concipimus, adeóque spem firmam quæ non cõfundit, quod aliud fundamentum est, quàm ardens illa in nobis Dei dilectio, ab ipso Deo cordibus nostris immissa, & infusa, quæ facit vt Deum vnicè diligentes, pro eius amore & beneplacito quascunque tribulationes patienter toleremus? Quis nescit quanta sit amoris vis & efficacia, siue ad bonum, si bonus ac pius amor est, à Spiritu Sancto datus; sine ad malum, si impurus & impius amor est, à spiritu maligno suggestus, vel à carne propria excitatus?

Argumẽta Caluini & Bezæ refutantur.

Obiectio At, inquies, fundamentum omnis virtutis nobis Dei potiùs erga nos dilectio est, q nos in filio suo, credentes in eum, diligit ac complectitur. Et huius erga nos amoris D fiducia maximæ nobis cõsolationis loco

Respons. Fundamentum haud dubiè, id est, causa demque primaria & excellens Dei erga fauor ac clementia est omnium eorum, q in nobis bona sunt aut esse possunt. Sed ca sa horum omniũ principaliter efficiens D in nos amor est, causa meritoria Christus p ea quæ pro nobis fecit ac passus est, causa f malis ipsa proximéque efficiens diffusa D charitas in nobis, quæ facit nos dilectos Dei, & qua Deum ipsum diligimus. Sic enim vnus ignis est, qui & in se ardet, & a ardere facit; sic vna & eadem charitas in bis est, qua & Deum diligimus, & quæ fa vt Deum diligamus. Omnes istæ causæ fu damenti nomen habere possunt, quatenus omnem patientiam sanctam ac virtutis op rationem omnes concurrunt. Sed qui vna ponit, alias propterea negare non debet, q quum vnam causam Scriptura ponit, aut l lam solam ponere putanda est, aut ad alia trahi debet quàm loco præsenti intendit tradit. In quo frequẽter hodie hæretici pe cant, Scripturasque corrumpunt, vt nũc h loco Beza: quod ex altera, quam attexit, ca sa manifestum fiet.

Secundam causam ponit Beza, quia Pa

lus ipse explicat infrà vers. 8. se de charitate illa loqui qua Deus nos cõplectitur. Ait enim ibi: *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis; quoniam, quũ adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Verissimum est, hoc quidem in loco de ea charitate Dei Paulum loqui quæ in ipso Deo est, & qua nos diligit: sed quemadmodũ modus loquendi diuersus hoc loco, & argumenti series manifestè hunc sensum tradit; ita aduertere debuit Beza, modũ loquendi alium in alio præcedenti loco, alium necessariò sensum postulare. Hic dicit Paulus, *Commendat charitatem suam Deus*: quod nisi de propria Dei charitate intelligi non potest. Ibi dicitur, *Charitas Dei diffusa in cordibus nostris*: quod non nisi de charitate quæ nobis inest nostraque propria est, intelligi potest. Dei tamen dicitur, quia à Deo est, quod Paulus ipse explicat addens, *Per Spiritum S. qui datus est nobis.*

Alterum Bezæ argumentũ refutatur.

Deinde argumenti & disputationis Paulinæ seriem aduertere debuit Beza. Quum enim spei nostræ & fortitudinis vnam causam posuisset Paulus, ipsã in nobis dilectionem Dei à Deo nobis donatam; nunc aliam addit ex parte Christi spem nostram confirmãtis. *Vt quid enim* (vel potiùs præterea, ἔτι γαρ) *Christus, quũ adhuc infirmi essemus*, id est, ad tribulationes ferendas & ad patientiam boni operis valde debiles, *secundùm tempus*, seu tempore opportuno & illi placito, *pro impijs*

Apostolicæ disputationis series.

mortuus est? Hanc igitur Christi charitat
in nos amplificans, addit, *Commendat cha*
tem suam Deus in nobis, &c. moxq; infert q
intendebat: *Multo igitur magis nunc iustific*
sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum.
hanc collectionem sanè fortissimam a
in sequentibus vrget magis. Volens igitu
liam rationem & causam spei ac patie
nostræ inducere, Dei videlicet & Christ
ga nos eximiam charitatem; quid mirum
ficuti ab vna causa ad aliam transit, sic
vna charitate in aliam digreditur? Nō
igitur hæc duplex Bezæ coniectura, seu
fectatum potiùs seducendi studium, con
liquidissimum sermonis Apostolici sensu
facit.

Charitas fiduciæ cordis fundamẽtum.

Quibus ita explicatis, illud quoq; perp
cuum fit, non in vna fide, Christi iustitiæ
apprehendente, pacem & securitatem con
de diuina erga nos beneuolentia consiste
vt hæretici pestilentissimè docent; sed in
euidentem Apostoli doctrinam, hãc pacem
& gloriationem nostram in varia patien
ac probatione sitam esse, spemque ex bo
operibus conceptam ideo non confunde
quia charitate Dei flagrant corda nostra
tanquã certissimo testimonio Spiritus D
habitantis in nobis, & totius pietatis radi
ac principio proximo.

Caluini proprium cõmenti refellitur.

Sed nunc proprium Caluini commentu
de notitia & reuelatione charitatis Dei erg
nos

nos, quam hoc loco per charitatẽ Dei significari vult, excutiendum est. *Hæc* (inquit) *diuinæ erga nos dilectionis notitia cordibus nostris instillata est per Spiritum Dei. Solus enim Spiritus potest eam patefacere. Et multam habet emphasim participium, diffusa: significat enim adeò liberem esse diuini in nos amoris reuelationem, vt corda nostra impleat.* Totam hanc interpretationem meritò explodimus, primò, vt nouellam ac prophanam atque à doctissimo Scripturarum interprete Augustino disertè reiectam: deinde, quia tametsi aliqui Patres de dilectione Dei erga nos hæc verba exponunt, vt Origenes, Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Sedulius in hunc locum, tamen nec de notitia & reuelatione charitatis, sed de ipsa Dei charitate locum intelligunt, & præterea ijdem omnes de charitate qua nos Deum diligimus exponunt, vt de vtraque intelligi possit. Cæterùm *de notitia ac reuelatione dilectionis Dei erga nos, eiusque in nobis persuasione*, vt postea Caluinus addit, nemo hactenus exposuit; ne ipse quidem Philippus Melanchthon, qui *ipsam dilectionẽ Dei intelligendam* affirmat, & addit: *Et simul verum est, tunc in corde vicissim accẽdi dilectionem nostram erga Deum.* Quisensus quia Caluino totus displicuit, totius virtutis & pietatis cordibus humanis à Deo instillatæ iurato hosti, non ipsam *dilectionem Dei*, vt Paulus loquitur, sed quandam eius notitiam ac reuelationem, *qua*

Caluinus Apostoli verbum extrudit vt suum supponat.

qua persuasi sunt fideles à Deo se amari, de suo rebro supponit. Atqui de ipsa *charitate* Paulus loquitur, nō de aliqua eius notitia persuasione. Hāc dicit *in cordibus nostris di-sam*, & vt Caluinus loquitur, *instillatā esse*, titia autē aut persuasio non est aliquid cordibus instillatum aut diffusum, sed est alicuius doni aut boni instillati atque diffusi effectus nota, ac testimonium. Deinde hæc diffusio in cordibus fieri dicitur *per Spiritum S. qui datus est nobis*, id est, per aliquod donum Spiritus Sancti. *Neque enim datur nobis* Spiritus Sanctus essentialiter tantum, sed datur quum aliquod eius donum datur. Atque pere Spiritum S. in Scripturis dicuntur, qui aliquod eius donum acceperunt. Et in die Penteco tes donis illis tam virtutis actuositudinis internæ quàm linguarum externis in Apostolos diffusis, pronunciat Petrus impletam esse prophetiam quæ dixit, *Effundam de in vos Spiritum meum*. Charitas igitur *diffusa in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis* est aliquod donum nobis datum, & vicissim à nobis acceptum (hæc enim mutuam relationem necessariò habent) ac per hoc nobis inhærens. Dilectio autem Dei nobis inhærens illa sola est, qua nos ex dono gratiæ eius eum diligimus, & quia diligimus, omnia pro amore eius aduersa toleramus. *Valida enim sicut mors dilectio*. Quātacunque persuasio diuini amoris erga nos, nisi nos vicissim Deū diligere-

Notitia & persuasio Caluiniana refellitur.

1.

2.

Cant. 8.

3.

mus

mus, tristitiã in rebus aduersis non mitigaret. Imò talis persuasio in multis qui Deum non diligunt, tristitiam auget. Existimant enim, quãtò magis à Deo diliguntur, tantò minùs debere se aduersa pati, tantò magis ab omnibus rebus aduersis à Deo se custodiri ac protegi oportere. Dilectio autem ipsius Dei, in nobis Dei munere inhærens, omnia per se tristissima in dulcedinẽ cõuertit. Vnde Paulus: *In his omnibus superamus propter eũ qui dilexit nos*, id est, propter amorem eius qui nos prior dilexit, suaque in nos dilectione hunc in nobis amorem, hanc malorũ tolerantiã effecit. Notitia autẽ & reuelatio aut persuasio diuini erga nos amoris absque nostra in Deũ dilectione (qualem persuasionẽ Caluinus ponit, ideoque ponit, vt omnem inhærentem nobis Dei charitatem hac arte eludat) murmura & difficultates parit, non patientiam ac tolerantiam malorum. Ita suo nouello sensu totum Apostolicæ disputationis filum implicatum & contortum Caluinus reliquit. Rom. 8.

Præterea dilectio in Scripturis & ex rei natura affectũ significat voluntatis proprium & ipsius diligentis, seu Dei erga nos, seu nostrum erga Deum. Atqui notitia, reuelatio, persuasio nullum affectum voluntatis significat, sed quendam intellectus actũ. Postremò, si charitas hoc loco *non actiuè sed passiuè capienda est* (vt Caluinus affirmat) notitiam aut persuasionem quæ nos actu consoletur, 4. 5.

quæ

quæ tristitiam in rebus aduersis mitiget, quæ exercitia temperet (quod totum Caluinus dicit) significare non potest. Quicquid nos consolatur, actiuum est, & agit in non patitur ; quicquid mitigat, quic temperat dolores, agens aliquod est, non tiens. Ita vndique absurdissima Calui prauatio retunditur.

18. *Igitur sicut per vnius delictum in omnes ho nes in condemnationem ; sic & per vnius tiam in omnes homines in iustificationem*

19. *Sicut enim per inobedientiam vnius hom peccatores constituti sunt multi ; ita & vnius obeditionem iusti constituentur multi.*

IN hac duplici sententia conclusio tationis Apostolicæ de comparatione ter Christum & Adam, quam à versu 12 perat, continetur, & anantapodoton illu ue hiatus & sermo interruptus versus 12 *per vnum hominem peccatum intrauit in mun & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransijt*, in his duobus versibus 18. & completur, plenaque ac perfecta antith ostenditur. Et prius quidem huius antith sis membrum de peccato Adæ, quod om ab eo propagati contraxerunt, omnes die nobiscum hæretici agnoscunt, tisi in eo enormiter aggrauando modum ex serunt, de quo in opere nostro de Iustific lib. 1. & 2. disputauimus. Alterum verò

parationis Apostolicæ membrum, *de vnius Christi iustitia quæ in omnes homines in iustificationem vitæ peruasit, & per quam iusti constituentur multi*, maxima hodie cum illis controuersia est. Quare totam hanc antithesim Apostolicam ex parte posterioris huius membri insigniter corrumpit in suis ad hunc locum annotationibus Theodorus Beza, Caluinum & alios huius temporis hæreticos imitatus. Quem Bezam hoc loco excutiemus, quia multo copiosiùs & accuratiùs hunc locum tractat quàm Caluinus. Sic ergo scribit: *Aggreditur nunc Apostolus alterum caput imputatæ Christi iustitiæ: & hæc est tota collatio iniustitiæ Adami & iustitiæ Christi, illius videlicet per propagationem, istius verò per imputationem nobiscum communicatæ. Iustitia Christi hoc loco merum est Dei donũ nobis imputatum, non autem inhærens, ne quis me putet de nostra regeneratione hæc disserere.* Et paulò pòst: *Confertur Adamus cum Christo tum in re simili, tum in contraria. Similes enim sunt in eo quòd vterque, quod suum est, cum suis communicat: sed in eo planè dissimiles, quòd ille peccatũ in suos natura deriuat in mortem, Christus verò suam iustitiam cum suis per gratiam communicat in vitam.* Rursum paulò inferiùs: *De reatus Adami propagatione propriè agit hic Apostolus, cui opponitur imputatio obedientiæ Christi, quæ per imputationem cum fidelibus communicata, eos etiam imputata iustitia induit.* Tandem concludit: *Vetustus ille sophistarum error, qui pro imputata iustitia inhæ-*

Apostolicæ disputationis corruptio Bezana.

inhærentem qualitatem substituunt, tantus est ... *que execrandus omnibus, vt nihil æquè fugiendum putem.* Hæc Beza, totam antithesis ac comparationis Apostolicæ vim ex posteriore parte nefariè & execrandè corrumpens. Tota quippe Apostoli disputatio, & hæc maximè conclusio, veram & inhærentem nos iustitiam per Christum impertitam lucidissimè probat. Ait enim Apostolus quis-

Apostolica disputatio explicatur.

cut per vnius Adami delictum & inobedientiam omnes homines condemnati sunt, & peccatores constituti; sic *per vnius Christi iustitiam & obedientiam omnes homines* iustificationem vitæ consequuti, & *iusti constituti sunt*. At verò per Adami delictum omnes homines sic peccatores constituti sunt, vt verè & realiter omnes eo propagati nascantur peccatores, nec ... imputationem inobedientiæ Adami, sed vero reatu singulis inhærente, *filij iræ* (vt Paulus alibi dicit) & veri peccatores sint. Hanc partem comparationis vt omnes hodie Catholici ambabus vlnis amplectuntur, & peccatum originalis ab Adamo contracti grauitatem supra modum exaggerant (vt olim contra eos disputando ostendimus) sic & ipse Beza hoc loco agnoscit, scribens *omnes homines non nè reos nasci, contracta iam inde à primo parente culpa.* Caluinus quoque his verbis: *Adæ non per solam imputationem damnamur, ideo quia & culpæ sumus rei, quatenus natura nostra in illo vitiata, iniquitatis reatu constringitur.*

Ephes. 2.

De Iustific. lib. 1. cap. 13.

si collatio Apostoli vera est, per iustitiam & obedientiam vnius Christi omnes in eo renati sic iusti constituti sunt, vt inhærentem iustitiam habeant, veréque & realiter iusti sint. Propagationi carnali ex Adã, per quam culpa non imputatur, sed verè contrahitur (vt Beza & Caluinus agnoscunt) respondet spiritualis regeneratio in Christo (quam hîc ab Apostolo intelligi negat Beza, sed necessariò intelligenda est, vt vera ac perfecta sit collatio) per quam iusti constituuntur qui regenerantur. *Dedit enim eis potestatem filios Dei fieri* (non reputari aut haberi tantùm) *qui ex Deo nati sunt.* Et rursum: *Videte qualem charitatẽ dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur & simus.* Quare sicut per inobedientiam Adæ peccatores nominamur & sumus, non nominamur aut reputamur tantùm: sic per obedientiam Christi iusti nominamur & sumus, non nominamur aut reputamur tantùm. Contractæ igitur per Adamum culpæ, verè singulis ex eo natis inhærenti, respondet data per Christum iustitia, omnibus ex eo renatis verè inhærens. Propter hanc verè inhærentem iustitiam, Christi beneficio nobis impertitam, dicit Apostolus, *Iusti constituentur multi*: non dicit, deputabuntur iusti.

Ioan. 1.

1. Ioan. 4.

Vtitur vocabulo ad inhærentẽ iustitiam explicandam accommodatissimo, καταστάθησαι. Cuius vocabuli vim prorsus hoc loco dissimulat Beza, in aliarum dictionum pro-

prietate & energia explicanda curiosi-
mus. Sed frequens eius in Scripturis v
manifestè docet hoc vocabulo significa
non imputationem aut denominationem
externam, sed veram & inhærentem
quisitionem ac possessionem. Vtitur e
dem vocabulo Lucas: *Super omnia bo*
sua constituet eum: καταστήσει αὐτὸν & post
tidem Paulus, vel eius interpres Clemes
Heb. 2. *Constituit eum super omnia opera manuũ suar*
κατέστησας. An hæc constitutio imaginaria
qua & imputatitia, ac non vera & realis fo
Iac. 2. Deinde quod Iacobus dicit, *Qui amicus ho*
mundi esse vult, inimicus Dei cõstituitur, κατ
veram ac realem Dei inimicitiam non de
gnat? An mundi amatores inimici Dei
bentur quidem & reputantur, verè tamen
in sese amici Dei sunt, sicut de iustis sta
Beza quòd in sese impij coram Deo iusti
Rom. 4. putantur? Sic enim illud Apostoli, *Qui iu*
ficat impium, impius ille corruptor Pauli
posuit, vt suprà ostendimus. Sed quem
modum nemini dubium est, amatores mu
di inimicos Dei ita constitui, vt verè i
sint, & vera turpitudine imbuti, propter
inimici Dei sunt; sic omni dubio procul
tum est, per obedientiam Christi ita iu
constitui credentes in eum, vt verè iusti
veráque fide & charitate alijsque virtuti
imbuti, propter quas iusti sunt.

Vocabuli Apostolici vis & proprietas inhærentem iustitiam probat. Cap. 12.

Deinde antithesis ista & cõparatio Ap
stolica

stolica in hoc etiam cõsistit & cohæret, quòd sicut inobedientia & delictum Adæ causa fuit non imputatitia aliqua condemnationis nostræ aut peccati in nobis, sed efficiens quædam ex antecedente voluntate Dei, qui iustitiam Adamo dedit, vt per illum toto generi daret si in ea perseuerasset, à toto genere auferret si caderet, tametsi quoad illũ inuoluntaria; sic Christi iustitia & obedientia, id est, meritum passionis eius, in qua *humiliauit semetipsum, factus obediens Patri vsque ad mortem.* (hæc enim est Christi iustitia de qua hîc Paulus loquitur, summa illa in Cruce obedientia, nõ tota Christi iustitia aut habitualis, aut actualis, qua totã legem exactissimè impleuit, vt cõminiscuntur hæretici) est causa iustificationis nostræ, non imputatitia aliqua, sed meritoria, maximéque voluntaria. Antithesis Apostolica magis explicatur. Philipp 2.

Nam vt *nondum erat Spiritus gratiæ datus, donec Christus esset glorificatus*; sic eo semel glorificato, *effusus est abunde*, in Apostolos primùm ipso die Pentecostes, ac demũ in alios omnes in Christo baptizatos, idque ad aliquod tempus, cum visibili signo variorum donorum. In hunc quippe finem, & ad hunc effectũ in credẽtibus omnibus producendum, *dedit semetipsum pro nobis, vt mũdaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Sic per Christi obedientiã iusti constituti sunt multi: non quod Christi iustitia aut obedientia illis imputetur, sed quòd per hanc eius obedien- Ioan. 4. Tit. 2. Tit. 2.

tiam gratia diuini Spiritus illis communi-
tur, per quam fiunt sectatores bono-
operum.

Gratia bonorum operum mater, donum Christi contra Adami delictum.

Hanc gratiam bonorum operum mate-
nobis à Christo impartiri, & hoc esse d-
num Dei quòd delicto Adami Paulus opp-
nit, eius disputatio manifestè docet: *Si-
sicut per vnum peccatum, ita & donum. Nam iu-
cium quidem ex vno in condemnationem, gratia
tem ex multis delictis in iustificationem.* Ha-
quidem est aliqua gratiæ Christi comme-
datio, multo felicioris peccato Adæ, quia
dam vno peccato potuit omnes perde-
Christus autem non hoc vnum tantùm pe-
catum ex eo contractum, sed & omnia a-
delicta deleuit, vt iustificentur credentes
eum. Sed maior est commendatio quæ sec-
tur: *Si enim in vnius delicto mors regnauit per v-
multo magis, abundantiam gratiæ & donat-
& iustitiæ accipientes, in vita regnabunt per vn-
Iesum Christum.* Abundantiam gratiæ, h-
gratiam exuberantem dicit, quia non solu-
ad interitum peccati, sed etiã ad profectu-
virtutis data est. Quare ad illam abunda-
tem gratiam exponendam adiunxit, & do-
tionis iustitiæ; και της δωρεας της δικαιοσυν-
Nam illud secundum, &, in nostro tem-
non habetur in Græco, & iuxta Bezam pe-
perã ponitur in Latino: quod certè pro n-
bis plus facit. Hæc enim donatio, seu bo-
donum iustitiæ, est ipsa iustitia nobis don-

Gratiæ abundantia per Christum.

ta,

ta,& à nobis accepta. Hæc enim duo,dare & accipere,correlatiuè se habent. Quare impostor Beza vocabulum *donationis* à vocabulo *iustitiæ* diuellit, & iustitiæ nomine ait *iustitiã Christi intelligi fidelibus imputatam, non autem qualitatem homini inhærentem : quod* (inquit) *indicat vocabulum* περισσείας, abundantiæ, *nisi quis opera supererogationis velit ex Satanæ officina inuehere.* Homo impudẽs ex vocabulo abundantiæ iustitiam imputatiuam vult inferre, quasi nulla esse possit verè nobis inhærens gratiæ Dei abundantia. Quod si ita est, mentituralibi idem Paulus, qui de Spiritu gratiæ dicit, *quem effudit in nos abunde*. Neque enim vox illa περισσεια, *abundantia*, cum iustitia, sed cum gratia à Paulo in hoc ad Rom. loco coniungitur. Dicit, *abundantiam gratiæ & donationem iustitiæ*. Sed & si iustitiæ abundantiam Apostolus dixisset, an de vera fidelium ipsorum iustitia hoc intelligi absurdum putat Beza, vt necessariò ad imputatam nobis Christi iustitiam refugiendum sit? Audiat ergo alias Scripturas quæ eodem περισσειας vocabulo *abundantiam iustitiæ* seu variarum virtutũ, vnde iusti sumus, apertè docẽt. Idem Paulus sic scribit: *Vt abundetis in spe, & virtute Spiritus Sancti:* εἰς τὸ περισσεύειν ὑμᾶς. Quid aliud est abundare in virtute Spiritus Sancti, quã abũdare in iustitia ex potẽti virtute & gratia Spiritus S. qui datus est nobis, *diffusa charitate* idque *abunde in cordibus nostris*? Rursum idem

Bezæ impostura.

Tit. 3.

Iustitiæ inhærẽtis abundantia probatur.

Rom. 15.

Rom. 5.

Tit. 2.

1. Cor. 15. Paulus: *Itaque, fratres mei dilecti, stabiles estote, immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino.* περισσεύοντες ἐν τῷ ἔργῳ τοῦ Κυρίου. Quid aliud est abundare in opere Dñi, quàm abundare in iustitia per bona opera ad gloriã & cultum Dei susceptã? An verò mentitus est Paulus

2. Cor. 8. quum iterum ad eosdem scriberet, *Sicut in omnibus abundatis* (ἐν παντὶ περισσεύετε) *fide & sermone & scientia & omni sollicitudine & dilectione vestra in nos, vt & in hac gratia abundetis?* An verè abundabant non fide tantùm aliisque donis, sed & ipsa charitate, iustitiæ abundantiam hanc in illis fuisse negare quis potest? Deinde, quòd hortatur vt etiam in gratia eleemosynaria abundent, nónne apertè ad opus quoddam supererogationis eos hortatur, videlicet ad quod ex nullo Dei mandato obstricti fuerãt? An hanc quoque Paulinam doctrinam *ex Satanæ officina inuectam* iudicabit blasphemabit Beza?

Opus supererogationis.

Sed alias Scripturas audiamus. Ait enim eosdem Corinthios Paulus:

2. Cor. 9. *Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis* (περισσεῦσαι εἰς ὑμᾶς) *vt in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.* περισσεύητε εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθόν. Ecce, hæc *abundantia gratiæ, & donatio iustitiæ* (quam hoc loco Paulus à Christo nobis exhiberi affirmat) *abundare in omne opus bonum:* quod est abundare in operibus iustitiæ, quæ quidem

à Chri

à Christo & eius gratia procedunt, sed in nobis & nostra sunt. Eodem ferè modo ad Thessalonicenses Paulus scribit: *Vos autem Dominus multiplicet & abundare faciat (καὶ πλεονάσαι) charitatem vestram in inuicem & in omnes, quemadmodum & nos in vobis*, id est, quemadmodum nostra charitas abundat erga vos: *ad confirmanda corda vestra sine querela in sanctitate, ante Deum & Patrem nostrum*. An hoc Pauli votum inane fuit, aut de suæ charitatis abundantia mentitus est? Deinde, an non apertissimè docet hanc charitatis abundantiam in hunc finem à Deo fidelibus dari, vt confirmentur seu roborentur, εἰς τὸ στηρίξαι corda fidelium contra peccata & contra aduersa sine querela? ἀμέμπτους, id est, *vt sine crimine* viuât, & ea vitæ puritate, vt nihil sit quòd iustè de illis quispiã cõqueratur, aut vnde eos meritò reprehendat; ἐν ἁγιωσύνῃ, *in sanctitate*, idque *ante Deum Patrẽ nostrum in aduentu Domini nostri Iesu Christi cum omnibus Sanctis eius. Amen.* Hæc est vera iustitia inhærens, vera vitæ puritas & sanctitas, etiam coram Deo, ex vnius charitatis abundantia cordibus nostris diffusa dimanans: quæ vna corda nostra confirmat & roborat, tanquam primarium donum Spiritus Sancti paracleti nostri. Huic igitur voto & comprecationi suæ exhortationem subiũgit Apostolus: *De cætero, fratres, rogamus vos & obsecramus in Domino Iesu, vt quemadmodum accepistis à nobis quomodo oporteat*

1. Thess. 3.

Iustitia inhærens.

vos ambulare, & placere Deo, sic & ambuletis abundetis magis: ἵνα περισσεύητε μᾶλλον. Hortatur eos in bonis operibus magis ac magis abundare, vt Deo placeant. Vocabulum ... tur περισσείας iustitiam imputatiuam non modo probat, sed iustitiam inhærentem ... xta perpetuam Pauli doctrinam luculenter demonstrat.

August. de pecc. mer. & remiss. lib. 1 cap. 1 Antith. sis vera ter Christum & Adam

Porrò hæc vna sententia, quã ita corrumpere voluit Beza, antithesim inter Christum & Adam à contrario vtrinque effectu perfectè ostendit. *Sicut vnius delicto mors regnauit in vnum*, id est, propter vnius Adami peccatum omnes mortui sunt, *quatenus ita dominatur hominibus reatus peccati, vt ad mortem secundum trahat*, ait Augustinus; *sic per vnum Iesum Christum* (mediante illa *abundantia gratiæ, & donatione iustitiæ*, quam Apostolus interponit) *vita regnabunt*; id est, vt exponit Augustinus, *tanta iustitia hominibus donatur, vt cùm Adamo consenserit ad peccatum suadenti, non cedant ipsi cogenti.* Per Adæ igitur delictum dominatur in homine peccatum; sed per abundantiam gratiæ & donationẽ iustitiæ, quam per Christum accipimus, nos dominamur peccato. Ibidem cap. 13.

Infrà c. 6. postea Paulus dicit. Hoc est *in vita regnare per Christũ*, scilicet in vita gratiæ regnũ & victoriam obtinere contra diabolum quomodolibet cogentem, contra carnem, contrà mundum. Nam & ideo adhuc inferiùs addit Apostolus, volens se intelligi de accepta non in

pu...

putata iustitia, ideo *superabundasse gratiam, vt sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam.* Gratia autem regnat per iustitiam, quia per operationem iustitiæ luculenter apparet, quòd *non regnat peccatũ in mortali corpore nostro,* sed regnat ipsa gratia, mater & effectrix bonorum operum. Hanc consecutionem Paulus disertissimè docet infrà cap. 6. *Peccatum vobis non dominabitur.* Causam subiungit: *Non enim estis sub lege, sed sub gratia.* Vbi docet hunc esse propriè effectum gratiæ regnantis, vt peccati dominium tollat, & iustitiam operetur. Quem sensum ab Augustino traditum amplectitur illo loco Beza. Quo maior eiusdem hoc loco impudentia, qui gratiam regnantem per iustitiã sic exponit: *Gratiã* (inquit) *vocat Paulus gratuitam iustitiæ Christi imputationem.* Qua etiam impudentia & fallendi libidine infrà ad vers. 20. vbi Paulus dicit, *Superabundauit gratia,* exponit Beza: *Gratiam vocat gratuitam iustitiæ imputationem.* Atqui nec vnquam Paulus de tali imputatione loquitur (atque adeò in vniuersa Scriptura *iustitia Christi imputatio* non legitur, sed figmentum est hæreticorum nostri temporis) nec vsquam clariùs contra fictitiam illam imputationem disputauit quàm hoc loco: *Accipere abundantiam gratiæ, donari nobis iustitiã, gratiam in nobis regnare per iustitiam; iustos nos constitui per Christum, sicut per Adamum constituti fuimus*

Gratia quomodo regnat per iustitiam.

Rom. 6. 16.

Annot. ad ver. 16.

Bezæ impudens cauptela.

peccatores; (quæ omnia in hac disputa
ne Apostolus dixit) gratuitæ imputatio
alienæ iustitiæ ex diametro repugnãt. Qu
imputatur extrinsecus, non accipitur intr
secus; non donatur; non constituit aut pe
aliquid in eo cui imputatur: denique non
gnat gratia in nobis per alienã iustitiam,
per nostram, *sicut regnat peccatum in corpore
stro* non per aliena peccata, sed per nostra
obediendo concupiscentijs eius. Sicut aliud e
esse in nobis peccatum, aliud regnare; quæ
illud de solo originali vel fomite & ca
peccati intelligi possit, hoc verò non nisi
actuali & dominante peccato, sequẽdo
cupiscentias eius, intelligi debeat: sic alia
est, esse in nobis gratiam Dei; aliud, gratia
regnare per iustitiam. Esse enim in nobis g
tia Dei intelligi potest necdum operans, s
fœta & grauida bonorum operum: quam
men aliqui ad opus non educunt, *accipere
in vacuum gratiam Dei*. Sed *regnare gratiam p
iustitiam*, nullo modo intelligi potest, n
quatenus iustitiæ opera producit, & ex h
effectu regnum ac vim suam in nobis o
monstrat. Quare gratuita alienæ iusti
imputatio huic Pauli loco omnium m
nimè conuenire potuit. Sed satis habe
Beza vno verbo hoc suum venenum sp
gere, totamque Apostolicæ disputation
puritatem inficere, verbi autem sui null
rationem adfert, quia nec adferri pote

Imputatiua iustitia euertitur.

Rom 6. vers. 12.

2. Cor. 5.

Gratia per iustitiam regnans, est operatrix iustitiæ.

ex

tota reclamante litera Apostolica.

Iam verò quia Beza in huius loci expositione meritò reprehendit Erasmum, quòd Origenem potiùs quàm Augustinum sequi maluerit & addit, *vnum penè Augustinum, à Pelagianis videlicet excitatum, hunc locum rectè tractasse*; quomodo Augustinus antithesim hanc inter Adamum & Christum à Paulo hoc loco agitatam intellexerit, audiamus. Sanè inhærentem nobis per Christum iustitiam ab Apostolo hoc loco doceri luculentissimè docet. Ait Beza, *rectè prorsus obseruasse Augustinum contra Pelagianos, si per Adamum peccatores sumus per solam imitationem peccati eius, nos per Christum sola quoque imitatione fieri iustos.* Sed nō rectè obseruauit Beza quid præterea Augustinus dicat, quando sola imitatione iustos nos fieri negat. Sic enim scribit Augustinus: *Christum imitantur sancti eius ad sequendam iustitiam: vnde & idem Apostolus dicit, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Sed præter hanc imitationem, gratia eius illuminationem iustificationemque nostram etiam intrinsecus operatur. Sicut ergo ille in quo omnes viuificabuntur, præterquam quòd se ad iustitiam exemplum imitantibus præbuit, dat etiam sui Spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & paruulis; sic & ille in quo omnes moriūtur, præterquam quòd eis, qui præceptum Domini voluntate transgrediuntur, imitationis exemplum est, occulta etiam tabe concupiscentiæ suæ tabificauit in se omnes de sua stirpe venientes.*

Augustini doctrina ad quam Beza appellat.

Annot. ad vers. 12.

De pecc. & mer. & remiss. lib. 1. c. 4.

Hæc

Hęc ille. Non igitur sola imitatio Christi cit iustum, sicut nec sola imitatio Ad facit peccatorem. Sed tamen sicut qui A mũ imitatur, ex eo peccator fit; sic qui Ch stum imitatur, ex eo iustus est. Cæteru cut præter imitationem Adami est in om bus nondum renatis occulta ex Adamo o ruptio, quæ sola eos peccatores constitu ad peccatum inclinatio, cui consentien grauiùs peccant, & impietatem augent: præter imitationem Christi, est in omni in Christo renatis occulta renouatio per cultissimam Spiritus gratiam illis impar atque abunde infusam, quæ eos primũ stificat, & ex impijs iustos, ex filijs ir Dei facit, & cui postea cooperantes ex insito semine fructificantes, iustitiam gent, magisque ac magis iustificantur. H occultam communicationem gratiæ, oc tæ per Adamum corruptioni oppositam nos ita iustificat, sicut altera condemnau hac Apostoli disputatione iterum inte Augustinus. Tractans enim hæc Apost verba de peccato per vnum hominẽ intr te, in quo omnes peccauerunt, ait: *Legim*

Vbi suprà cap. 10. *stificari in Christo qui credunt in eum, propter tam communicationem & inspirationem gratiæ ritualis, qua quisquis hæret Domino, vnus spir est, quamuis eum & imitentur sancti eius.*

Cap. 15. iterum paulò pòst: *Si propterea Christus est in quo omnes iustificentur, quia non sola*

imitatio iustos facit, sed per Spiritum regenerans gratia; propterea & Adam vnus est in quo omnes peccauerunt, quia non sola eius imitatio peccatores facit, sed per carnem generãs pœna. Nempe vtrobique omnes in Christo iustificantur, & omnes in Adam peccauerunt: quia vt Adam omnibus peccati quod singulis inhæret, & à singulis contrahitur, causa fuit, per propagationem carnalem occulta nobis tabe & corruptione communicata; sic Christus omnibus iustitiæ quæ singulis inhæret, & à singulis accipitur, causa fuit, per generationem spiritualem occulta nobis gratia & renouatione communicata. Sic Apostolum intellexit Augustinus, quem penè solũ hunc locum rectè tractasse agnoscit Beza. Quibus ita explicatis, quàm nihil hîc prorsus de imputata aliqua Christi iustitia Apostolus disputet, quàm disertè & luculenter inhærentem nobis iustitiã (quam tantopere execratur execrandus ipse Beza) Apostolica hęc antithesis inter Christum & Adamum confirmet ac corroboret, luce meridiana clarius factum est.

Communicatio peccati & iustitiæ fictitia.

Fictitia Bezæ antithesis penitus vana & impia ostenditur, ex ea parte qua dicit, *Christum & Adamum in eo similes esse, quòd vterque, quod suum est, cum suis communicat.* Non enim Adamus *suum peccatum* ab eo propagatis *communicat*, vt Beza exponit; sed suam ex peccato corruptionem & occultam tabem, vt

D. Augu-

D. Augustinus docuit. Tenenda est Apost
sententia, *Omnes in Adam peccauerunt.* Pec
uerunt autem contrahendo peccatum, &
contrahendo, vt ipsi peccatores constituer
tur. Quare est in singulis propriũ peccat
originale, & singuli singulas maculas & r
pas habent originales. Si suum peccat
Adam omnibus ab eo propagatis comm
casset, vnicum tantùm esset in illis omn
peccatum vnde peccatores dicerentur; sic
vnicam Christi iustitiam in omnibus in
renatis, vnde iusti dicantur, ponunt hæret
Nunc autem attentè aduertere debebant,
vnum aut vnicum esse originale peccat
in omnibus, sed in singulis vnum tale esse
singulos originaliter peccasse, singulos e
lo vno peccatores constitui, denique sing
los filios iræ esse; non quia peccatum cu
perpetrauit Adam, illorum propriè est,
illis imputatur, sed quia peccatum Ad
lorum originaliter est, & ab Adam origin
accepit ac causam, quod ab illo nasce
contrahunt. Quare non dicit Apost
quòd vnius Adami inobedientia peccat
constituit multos (sic enim videretur,
suum est, id est, suam inobedientiam,
communicasse, vt ab ea sola omnes denom
narẽtur peccatores, vtcunque in se talis
essent; sicut à sola Christi iustitia denomi
nos iustos, licet impij in nobis ipsis simus,
pertè in superioribus docuit *Beza; sed

Christus & Adam sunt causę originales non formales.

*Ann. ad Rom. 4. vers. 5.

quòd *per inobedientiam Adæ constituti sunt peccatores multi.* Similiter non dicit, quòd obedientia Christi constituit iustos, sed quòd *per obedientiam Christi multi constituti sunt iusti.* Vterque vt causa efficiens atque originalis ponitur, non vt causa formalis. Inobedientia Adæ non est nostra formaliter, vt ille actus inobedientiæ Adami nobis imputetur, nosq; propterea solùm inobedientes dicamur quia ille non obediuit, nulla alia in nobis culpæ macula inhærente; quod totum hæretici fatentur. Similiter ergo dicendum est: Obedientia Christi non est nostra formaliter, vt eius obedientia totaque iustitia nobis imputetur, nosq; propterea solùm iusti & obedientes Deo censeamur quia Christus obediuit & iustus fuit, nulla alia in nobis inhærente veri nominis iustitia, propter quam iusti nominemur & simus; quod totum hæretici fateri debent, vt antithesis Apostolica, ipsaque verborum proprietas, & simplex atque apertus literæ Apostolicæ sensus retineatur.

Similitudo Christi & Adami vera.

Porrò ex hac explicatione, varia & pudenda Bezæ glossemata, quibus totũ Pauli contextum impiè deprauat, manifestè reuincuntur. Quod Paulus dicit ver. 18. *Per vnius iustitiã in omnes homines in iustificationẽ vitæ,* δι' ἑνὸς δικαιώματος εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς δικαίωσιν ζωῆς, vertit ille hoc modo: *Per vnam iustificationem in omnes homines ad iustificationem vitæ.* Ita duo diuersa Pauli verba, quæ ipsemet

Bezæ varia glossemata refutantur.

Beza

Beza affirmat *non rem eandem significare, manis quædam argutia tribuatur Apostolo*, eandem tamen vocem conuertit, quasi nihil differrent, sed rem eandem significaret. Móxque expositionem adfert à suo male sano cerebro inuentam, & à sensu Apostoli iam à nobis vberiùs explicato latissimè differentem: δι' ἑνὸς δικαιώματος (quod noster interpres, *per iustitiam vnius Christi*, ille, per vnam iustificationem, vertit) *Ipsam* (inquit) *iustificationis nostræ materiam hic declarat ab effectu, nempe ipsius Christi obedientiam, cuius imputatio nos iustos in ipso facit, quam paulò antè vocauit χάρισμα, quòd Deus gratis eam nobis largiatur.* Triplex est in hac expositione impostura. Δικαίωμα sanè hoc loco, id est, *vnius Christi iustitia*, vt vetus interpres vertit, est ipsa Christi obedientia: sed illa obedientia & iustitia Christi, non est materia iustificationis nostræ ab effectu, id est, nō est res & materia illa quæ nos iustos facit, sed est causa iustificationis nostræ efficiens; sicut *Adami delictum* (quod huic iustitiæ opponit Paulus) non est materia condemnationis nostræ ab effectu, id est non est res illa & materia quæ nos condemnat aut reos facit coram Deo, sed est causa condemnationis nostræ, quatenus ab eo propagati delictum illud contrahimus. Denique huius iustitiæ Christi imputatio nō facit nos iustos in Christo, vt Beza dicit; sicuti enim imputatio delicti Adæ facit nos reos coram

Christi obediētia non est materia iustificationis nostræ.

D

Deo, vt iam antea explicatum est. Imputationem hanc semper asserit & fingit Beza, sed in Scripturis nunquam illam ostendit. Tertiò, hanc imputationem Paulus non vocauit antea χαρισμα, gratiam, quum de hac imputatione non sit hactenus loquutus. Sed gratia seu χαρισμα quam Paulus in hoc capite opponit τῷ κρίματι, iudicio ex vno Adam inuecto ver. 16. significat propriè beneficium redẽptionis, quod multa delicta condonat & delet ad iustificationem, quum iudicium per Adamum inuectum ex vno tãtum delicto valuerit ad condemnationem: dicit enim Paulus; *Sed non sicut per vnum peccatum*, seu peccantem, *ita & donum. Nam iudicium quidem ex vno*, supple peccato originali, vt exponit August. epist. 89. *in condemnationem, gratia autem ex multis delictis* (quæ videl. ipsi originali adiecimus) *ad iustificationem.* Rom. 5. 15.

Moxq; in sequenti sententia hoc, quod iam dixerat, confirmat Apostolus, explicans illud χαρισμα, illam gratiã, & manifestè ostendens de qua gratia loquebatur, dicens: *Si enim in vnius delicto mors regnauit per vnum, multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum.* Ecce, exponit hîc Apostolus, *gratiam ex multis delictis ad iustificationem*, esse *abundantiã gratiæ & donationis iustitiæ, &c.* Sed hanc inhærentem esse iustitiam, superiùs luculenter ostensum est. Ergo hoc nomine

imputatiuam iustitiam intelligere non p
tuit. Sic triplex hoc loco Bezæ impos
triplexque mendacium manifestè con
citur.

Imputatiuæ iustitiæ fundamentum euertitur.

Iam ad alterum Pauli verbum venia
Δικαίωσις verò (ait Beza) τῷ καταχρίματι, d
damnatoriæ sententiæ, opponitur. Verum quid
hoc est. Sed quid ex eo inferat Beza, ad
tamus: *Quemadmodum igitur reatum cons
condemnatio, ita etiam per fidem imputata
Christi iustitia in reatus vicem succedens, quæ
sius sanguis eluit, efficit vt à Deo iusti declar
ac proinde vitã æternam consequamur.* Tot
speculatio ex ipsis Pauli verbis clarissim
fellitur. Primùm enim iustificatio, δικαί
hoc loco cõdemnationi oppositа, voca
Paulo δικαίωσις ζωῆς, *iustificatio vitæ*, id est
ipse Beza postea exponit, *iustificatio vitæ
uificæ*: id est, effectę τοῦ ἑνὸς δικαιώματος, q
Christi iustitiæ & obedientiæ. De hac
dixit Paulus: *Per vnius iustitiam in omnes
nes in iustificationem vitæ.* Quemadmodu
ipsa condemnatio ex delicto Adæ inue
verum reatum habet adiunctum, pro
quem peccatores iustè condemnantur; ita
stificatio vitalis & viuifica, per Christ
dientiã procurata, veram iustitiam & sa
tatem inhærentem habet adiunctam,
pter quam iustificati in Christo verè
nominantur & sunt. Hanc esse Pauli v
& genuinam sententiam, & hunc esse
op

oppositionis sensum, in sequenti statim sententia Paulus explicatiùs ostendit, subiungens: *Sicut enim per inobedientiam vnius hominis (Adæ) peccatores constituti sunt multi*, verè filij iræ & rei coram Deo; *sic & per vnius obeditionem* (id est, Christi obedientiá & iustitiam) *iusti constituentur multi*, qui verè tales in seipsis erunt, non ex seipsis, vt antea ostensum est. Imputata igitur aliqua iustitia non opponitur condemnationi à Paulo, qui, *constitui* & fieri *iustum*, huic condemnationi opponit; sed fingitur à Beza. Deinde, *imputata iustitia non potest in reatus vicem succedere*, quum reatus ponat in peccatore iniustitiam & impietatem inhærentem, imputatiua autem iustitia omnem inhærentem iustitiam penitus excludat. Debet autem contrariorum par esse ratio, nisi fortè contra totam Apostoli disputationem dicere velit Beza, fortius fuisse delictum & inobedientiam vnius Adæ ad reatum & iniustitiam ab omnibus ex eo generatis contrahendum, quàm iustitiam & obeditionẽ vnius Christi ad veram iustitiam omnibus in eo regeneratis cõferendam. Rursum, nulla imputata iustitia efficere potest vt à Deo iusti declaremur, quia *Dei iudicium est secundùm veritatem*, vt antea Paulus docuit. Rom. 2. Quibus aliena imputatur iustitia, & nulla propria inhæret, secundùm veritatem non sunt iusti, sed, vt ipse Beza antea fassus est, *in seipsis* (hoc est, reuera) *iniusti & impij*. Postremò,

Imputata iustitia nõ potest in reatus vicem succedere.

Apostolicæ Scripturæ per Bezã corrupteia.

strémò, Paulus nõ dicit per Christi iustitiã aliquos declarari iustos, sed *multos constitui iustos*. Adeò tota Bezę explicatio summæ pietatis plena est, ac disputationi Pauli ex diametro aduersa. Sed sic inuerti, peruerti, corrũpi, deprauari Paulus debuit, vt impiæ tatiua hæreticorum iustitia quoquo tandem modo fabricetur. Sic enim præcedentibus subiungit Beza: *Id autẽ ego diserte annotandum putaui, non modò vt inter δικαίωμα & δικαίωσιν quod sit hoc loco discrimen ostenderem, sed etiam intelligeret lector in hoc capite δικαίωσιν aliquid amplius declarare quàm in superiore. Nam peccatorum remissione (id est, imputata Christi satisfactione) dicimur iustificari, id est, persoluta poenam vt insontes absolui: obedientia vero Christi imputata etiam iusti declaramur, vt ex ipsa formula vitam æternam petere possimus, quam Christus, quem fide possidemus, omnem iustitiam nobis impleuerit.* Ecce, profitetur se distinguere (sensu à se confecto & disputationi Pauli prorsus contrario) discrimen inter δικαίωμα & δικαίωσιν, inter iustitiam seu redemptionem Christi, & iustificationẽ viuificã, quam assequimur per illã redemptionẽ, vt intelligeremus in priori esse imputatã satisfactionem & absolutionem à pœna, in posteriori vero esse imputatam nobis Christi obedientiam, ex cuius imputatione iusti declaramur. Et quia huic distinctioni manifestè repugnare videbat eiusdem verbi δικαίωσις vsum in

cedenti Pauli disputatione; ne ex illa commentum eius præsens refutetur, occupatione vtitur, affirmans aliter eo loco à Paulo hoc verbũ vsurpari, & aliter hoc loco: quod ab eo impudenter asseritur, nulla ratione firmatur. Clarum enim & perspicuum est, Paulum eo in loco, in fine cap. 4. eadem prorsus collatione facta inter Christi iustitiã, seu δικαίωμα nostrãque δικαίωσιν seu iustificationem ex ea consecutam, eodem in sensu hoc verbo vti. Ait enim illic de Christo: *Mortuus est propter delicta nostra.* Hæc est vnius hominis iustitia, de qua Paulus hoc loco loquitur; hæc est Christi satisfactio nobis imputata; hæc est absolutio à pœna, & prior illa iustificationis nostræ pars ex remissione peccatorum: *Et resurrexit propter iustificationem nostram*, διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν, id est, tum quia sua resurrectione renouationẽ nostram internam, secundùm quam in nouitate ambulamus, expressit, vt Paulum infrã cap. 6. docere ostendimus: tum quia non nisi post resurrectionem Christi dona Spiritus Sancti seu nouam regenerationem nostram accepimus, iuxta illud D. Ioannis: *Nondum erat Spiritus S. datus, quia nondum erat Iesus glorificatus.* Paulus sibi vtroque loco similis & conformis, δικαίωσιν iustificationem nostram vitalem ac viuificam ab ipsa Christi iustitia & obedientia distinguit, vt effectum à sua causa; & hoc vocabulo, regenerationis gratiam,

Bezæ corruptela alia refutatur.

Ioan. 4.

qua formaliter iuſtificamur, merito o
dientiæ Chriſti nobis collatam, deſign
Δικαίωμα ſeu iuſtitia hoc loco vnius hom
nis eſt, & ſolius Chriſti, ſicut ἁμάρτημα, ob
ctum quod illi opponitur, ſolius Adæ fa
ſed δικαίωσις ζωῆς, iuſtificatio vitalis qua
illa Chriſti iuſtitia nobis confertur, in qu
eſt beneficio Chriſti, Chriſti gratia regene
tis, noſque ex ea *iuſti conſtituimur* coram De
vt Paulus loquitur; ſicuti κατακριμα, co
demnatio quæ ex delicto Adæ prouenit, i
omnes & ſuper omnes illos eſt, qui ex e
carnaliter propagantur, & ex ea rei coram
Deo peccatores conſtituuntur & filij iræ. I
la enim condemnatio ex Adæ delicto con
quuta, eſt vera corruptio & mors animæ
quam ipſe Adam primus ſenſit, comedens
de ligno vetito; non eſt aliqua imputata co
ruptio. Sic iuſtificatio per Chriſti iuſtitia
collata, eſt vita animæ & interna renouat
noſtra, non aliqua imputata nobis & ex
nos iuſtitia Chriſti, vnde declaremur iu
tametſi in nobis ipſis ſimus iniuſti & im
vt impiè Beza docet. Nihil magis vel impi
tatiuam hæreticorum iuſtitiam ſubuer
vel veram & inhærentem nobis Chriſti b
neficio iuſtitiam probat, quàm hæc in
Chriſtum & Adamum comparatio Apo
lica. In ea igitur egregiè deprauâda gnau
laborare, & Caluini hac in parte negli
tiam ſarcire Beza voluit.

Ap

Argumentum Cap. VI.

DOCET hoc capite Apostolus, nõ sic gratiam abundasse, & omnia delicta condonasse, vt iustificatus per gratiã Christi, ad æternã perueniat salutem absq; displicentia veteris vitæ, & absq; bonis operibus nouæ vitæ. Effectũ quippe gratiæ & iustitiæ Christi hunc esse copiosiùs docet, nõ quòd sanctificationẽ Christi apprehẽdamus, vt Caluinus affirmat, sed quòd liberet nos à seruitute & dominio peccati, vt in nouitate vitæ ambulãtes, sic demum per vnius Christi iustitiã multi iustificentur, id est, iusti constituantur. Sic nostri tẽporis solam iustificãtem fidem & imputatam iustitiam hoc caput singulariter euertit: quod loca à nobis cõtra Caluini corruptelas excussa luculẽter docebunt.

2. *Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?*

ANte omnia docere Apostolus vult, per abundantem Christi gratiam non id effici vt maneamus in peccato, perpetuam à Christi gratia remissionẽ peccati expectãtes, peccati, inquam, adhuc (quoad consensum ipsum & actum) dominantis & regnantis in nobis (quæ ipsissima est hæreticorum hodie sententia; vt partim ex ijs quæ Caluinus & Beza iã dixerunt, partim ex ijs quæ hoc & sequenti capite dicturi sunt, manifestũ fit) sed

contrà, vt per Christi gratiam mortui peccato, nunquã ampliùs viuamus in illo. Mortuus porro peccato (ait ipsemet hoc loco Bernardus ab Apostolo dicitur; quisquis virtutis Christi particeps ita est factus, vt natiua illa corruptio sit in eo emortua, id est, vigore illo suo (qui translatitiè peccati dicitur) extincto, fructus illos amaros non edat. Contrà verò viuere dicitur peccato & iustitiæ, quisquis est in carne: id est, quem nondum Spiritus Dei à natiuæ corruptionis seruitute asseruit. Hæc ille. Nec dissimiliter Caluinus. Totò (inquit) hoc capite differet Apostolus, peruersi eos Christum discerpere, qui gratuitam absque iustitiam nobis donari fingunt absque vitæ nouitate. Et paulò pòst: Sic res habet; nunquam sine regenerationis dono reconciliari Deo fideles: eundem hunc finem nos iustificari, vt deinde vitam nostram Deum colamus. Nec verò Christus aliter suæ expiatione Deum reddit nobis propitium, quàm dum nos facit Spiritus sui participes, qui nos in sanctam vitam renouat. Hæc omnia Caluinus. Placent hæc aduersariorum confessio, quia expositionem adfert Paulinæ disputationi prorsus conformem. Ex ea verò consequitur, gratiæ Christi hunc esse effectum, vt vita ac vigor peccati in nobis emortuo atque extincto non iam ampliùs illi viuamus, sed ab eius seruitute ac dominio liberemur. Quo constituto, sequitur, interiorem hominem nostrum ita renouari, vt iam Deo viuat renatus, ideoque noua iustitia induatur, qua

Gratiæ Christi effectus ab aduersarijs agnitus.

Deo placeat, vitamque æternam consequatur, vt ex Paulo postea perspicuum fiet.

3. *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.* 4. *Consepulti igitur sumus cũ illo per baptismum in mortẽ, vt quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.*

DOcere Apostolus vult cur & quomodo mortui sumus peccato, vt non iam amplius viuamus in illo. Probat autem illud ab effectu baptismi nostri. In ipso enim baptismo *in mortem Christi baptizati sumus*: id est, vt seq. versu exponit, *consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem quandam*, peccati videlicet; &, vt proximè seq. versu magis seipsum exponit, *complantati* seu coinsiti sumus *similitudini mortis eius*, id est, per mortem peccati ex parte nostra in baptismo similitudinem quandã mortis Christi expressimus; idque ita ad viuum expressimus, vt huic similitudini quasi coinsiti cum Christo simus, vt morti peccati quasi trunco vitali pariter cum Christo insiti, non secus moriamur peccato, quàm ille mortuus est semel carni & mundo. *Insitio* (ait Caluinus) *non exempli tantùm conformitatem designat, sed arcanam coniunctionem per quam cum ipso coaluimus, ita vt nos Spiritu suo vegetans, eius virtutem in nos transfundat.* Hæc imputatiuam iustitiam destruunt, quæ non Christi Spiritu vegetari,

sed eius iustitia, quæ extra nos est, vestiri, & vt Caluinus in argumento huius capitis loquutus est, *Christi iustitiã induere*; nec eius virtutem in nos transfundi, cui correlatum est, virtutem Christi nobis inhærere (virtus autem Christi, est virtus spiritualis nouæ & efficax) sed iustitiã imputari docet. Hinc obiter. Vt ad Apostolum redeamus, similitudo mortis nostræ in baptismo cum morte Christi in Cruce hæc est, (sicuti ipse Apostolus in seqq. exponit) quòd in Baptismo *vetus homo noster crucifixus est, & corpus peccati destructum* (eatenus videlicet) *vt vltra non seruiamus peccato*, & hoc sensu *mortui simus peccato, & viuentes Deo*, sicuti in Cruce Christus *semel mortuus est peccato*, id est, ad peccata nostra sufficienter expianda: iuxta illud Petri, *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, vt offerret nos Deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu*. Sed Petrus effectum mortis Christi docuit, Paulus hoc loco similitudinem mortis Christi, cui per mortem peccati inserimur & commorimur, prosequitur. Quare huius loci commentarius illa Pauli verba sunt: *Si Christus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt; vt & qui viuit, iam non sibi viuat, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit*. Item illa Petri verba: *Christo in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini; quia qui passus est in carne, desijt à peccatis*. Sed hanc consequentiam & similitudinem Paulus ad-

Mors in baptismo qualis.

1. Petr. 3.

2. Cor. 5.

1. Petr. 4.

&

& sublimiùs ab ipso baptismo nostro repetit, quia illic mors Christi nobis applicata, suâ in nobis efficaciam exeruit, & mori peccato incipimus, vt in nouitate vitæ postmodum ambulemus. Et addit, si in baptismo nostro peccato verè mortui fuimus, & morti Christi penitus complantati, seu intimè assimilati, quòd *similitudini quoque resurrectionis eius complantabimur*, seu coinsiti & intimè assimilati, in nouitate vitæ ambulabimus, *viuentes Deo* per gratiam, sicut ille viuit Deo in gloria. Vera quippe peccati mors, veram profert vitam iustitiæ. Et hanc ob causam hortantur frequentissimè Patres, vt illa verba nostra in baptismo, *Abrenuncio tibi Satana*, quibus verbis nos mori peccato profitemur, perpetuò ante oculos habeamus: Origenes homil. 12. in Numeros, Augustinus de Symbolo ad Catechumenos lib. 2. cap. 1. Ambrosius de ijs qui initiantur mysterijs cap. 2. Basilius in lib. de Spiritu S. cap. 11. Docet porrò hic locus, pro eo quod hæretici docent, (nominatim Caluinus) *quoties lapsi fuerimus, repetendam esse memoriam baptismi, & hac armandum animum, vt de remissione peccatorum certus securusq; sit*, planè contrarium: nempe ideo repetendam esse memoriam baptismi, ne iterum in peccata relabamur, ne *vltrà seruiamus peccato*, & vt meminerimus in baptismo consepultos nos esse cũ Christo in mortem peccati. Adeò commenta Caluiniana Apo-

Abrenunciatio Satanæ in baptismo.

Instit. lib. 4. c. 15. n. 3.

na Apostolicæ doctrinæ ex diametro re-
gnant.

Sed & hîc rursum in huius loci explic-
tione accipienda est Bezæ confessio, [illegible]
enim nobis contra ipsum postea Bezam [illegible]
inutilis erit. Ad illa Pauli verba de Chri[sto]
Quòd mortuus est peccato, mortuus est semel [illegible]
scribit: *Ostendit ex hac capitis & membrorum* [illegible]
latione Apostolus hoc loco, in ijs qui per Christum [illegible]
sanctificati sunt, peccatum semel mori, id est, eo [illegible]
pristinas illas vires nunquam recipiat, sed quo- [illegible]
tanquam corpus in sepulchro corrumpatur, & [illegible]
funditus intereat. Quòd si perpetuus est mortifi- [illegible]
cati progressus, perpetuum est quoque vivificati [illegible]
incrementum, quum sit mutua inter mortifica- [illegible]
nem veteris hominis & instaurationem novi [illegible]
modò relatio, sed etiam proportio. Moxque e[illegible]
plicat, *Christum idcirco mortuum esse pecca-* [illegible]
mel, vt semel in nihilum redigat peccatum in [illegible]
Quæ quidem explicatio tametsi Pauli [illegible]
sum hoc loco non attingit (vt suprà osten-
mus) veram tamen doctrinam continet [illegible]
in locis à Paulo traditam. Hæc interim à [illegible]
bis retinenda sunt, fateri nobis cum Beza
gratiæ Christi hunc effectum esse, vt pecc[illegible]
vires in nobis eneruet, quotidieque corru[illegible]
pat, donec funditus intereat. Sic super[illegible]
crucifixos nos esse cum Christo, vt destruatur [illegible]
peccati, rectissimè exponit, *esse regeneratio* [illegible]
intra nos per Spiritum Christi reipsa inchoa- [illegible]
Hæc quippe *regeneratio intra nos reipsa per* [illegible]

Peccati mors in renatis à Beza agnita.

vitam Christi inchoata, est illa iustitia inhærens quam Beza superiùs execrabatur, & quam Catholica docet Ecclesia, imputatiuæ iustitiæ prorsus contraria. Neque eius inchoatio aut veritatem iustitiæ aut perfectionẽ, viatori conuenientem, vllo modo tollit aut imminuit, vt in opere nostro de Iustificatione latissimè demonstratum est. Accipienda quoque & retinenda diligenter hoc loco est Caluini confessio, quam ipsa textus Apostolici perspicuitas illi extorsit. *Hæc duo* (inquit) *inter se individuo nexu cohærent, veterem hominem Christi morte aboleri, vt eius resurrectio Christi mortem instauret, nósque efficiat nouas creaturas. Et certè quam nobis in vitam datus sit Christus, quorsum referret nos cum ipso emori, nisi vt resurgamus in meliorem vitam? Ideóq; non alia ratione quod in nobis est mortale occidit, nisi vt verè nos viuificet. Nec mors Christi exemplaris tantùm vice est, quod Christianis omnibus conueniat imitari: sed hæc est Apostoli doctrina, quòd mors Christi efficax est ad nequitiam carnis nostræ extinguendam & profligandam. Resurrectio verò ad suscitandam melioris naturæ nouitatem: quodq; per baptismum in istius gratiæ participationem cooptamur.* Hæc hoc loco Caluinus, imputatiuam suam iustitiam, & ea quæ in versu vltimo cap. 4. dixerat, disertissimè refutans.

Lib. 6. cap. 6. & seq.

Caluinus seipsum refutat.

12. Non

12. *Non ergo regnet peccatum in mortali corpore vestro, vt obediatis concupiscentijs eius.*

HÆc Apostoli adhortatio ex præcedenti disputatione dependens, docet fi... Christo baptizatos mori peccato debere... peccatum in illorum corpore amplius non regnet. Non dicit, vt non sit, vel vt non habitet peccatum in corpore nostro mortali, Rom. 7. proximo enim capite docebit, esse quidem *peccatum in carne*, id est, esse variam sensualitatem & fomitem perpetuum in carne ... per Adami delictum corrupta (quam ... verbo *concupiscentiam* vocat) sed non esse ... *mente quæ legi Dei condelectatur, & seruit...* dicit hîc Apostolus, *vt peccatum non regnet* ... vetustas origine contracta imperium in ... tem non obtineat, vnde ipsa mens concupi... cētijs & inordinatis desiderijs obediat, ... videlicet à peccato, & imperio ac dominio ... eius subiecta. Qui status impiorum homi... num est, quos Christi Spiritus necdum regenerauit: vnde ipsemet Caluinus docet, Instit. lib. 3. cap. 3. num. 11. *regeneratis per Christum virtutem Spiritus à Deo ministrari, qua superiores in certamine vitiorum fiant.* Hæc quum luce meridiana clariora sint, videamus quâ hoc loco glossiam Beza apponit. *Commodùm* (inquit) *hæc adiectio subijcitur præcedentibus, vt intelligamus tantisper tenus sinus mortui peccato, quamdiu hæc vetustas* ... *Hactenus* nimirum, vt reluctetur quidem Spiritui.

* Bezæ nefandissima corruptela.

sed tamẽ non vincat. Hîc iam suam impietatem & verborum præcedentium hypocrisim prodit Beza. Si enim *mori peccato* hactenus tantùm intelligitur, *vt reluctetur quidem Spiritus peccato, sed ipse tamẽ Spiritus non vincat peccatum*; falsum erit quod priùs dixit, *in ijs qui per Christum sanctificantur, peccatum semel ita mori, v. pristinas vires nunquam recipiat, sed quotidie corrumpatur.* Si enim vincit peccatum reluctantem Spiritum, profectò pristinas suas vires retinet peccatum, & nunquam corrumpitur. Rursum, si *Spiritus reluctãs non vincit* peccatum in carne, necesse est vt peccatũ in carne vincat Spiritum reluctantem. Si vincit peccatum, ergo regnat peccatum. Sic Apostolo contradicit glossa Bezana. Quid est enim regnare, nisi vincere? aut quis magis regnat in hostili solo, quàm qui hostem in pugna vincit? Quæ iure gladij & iure belli tenentur regna, fortissimo iure tenentur. Sanè Caluinus nihilo melior, sed astutior, scribit hoc loco, *in mortificanda carne profectum hunc esse, vt regnum illi ademptum Spiritui Sancto cedat.* ver. 7. Deinde, vbi est *illa regeneratio intra nos per Spiritum Christi reipsa inchoata* (vt modò Beza dixit) si Spiritum Christi reluctantem peccatum in corpore vincit? aut si Spiritus Christi reluctatur quidem peccato, sed non vincat? Si enim non vincit, succumbit. Si succumbit Spiritus, nulla est vel inchoata per Spiritum regeneratio, sed manet generationis corruptę vetustas:

1. Beza à seipso refutatur.

2. Bezæ glossa Apostoli verbis contradictoria.

3. Beza iterũ sibi contrarius.

vetuſtas: cuius hoc proprium eſt, vinc
reluctantem Spiritum, & efficere vt cono
4. piſcentijs eius obediatur. Præterea *ſi Spi*
reluctatur, ſed non vincit peccatum in corp
ergo concupiſcentijs corporis obedit, &
temperat. Quomodo igitur regenera
Chriſto hortatur Paulus, *vt non regnet in*
tum corpore peccatum, & vt non obediant con
5. *centijs carnis* ? An ad id hortatur Apoſt
quod nunquam fiet ? Cur non etiam ho
sur eos aſſumptis alis volare, & ſic in co
conſcendere? Prorſus enim carnalibus
Epicureis hæreticis perinde videtur fieri
vt homo in cœlum euolet aſſumptis
quàm vt peccatum in corpore vincat be
ficio gratiæ Chriſti. Volunt enim Spir
reluctari peccato, ſed nunquam vinc
quod adhuc in ſeq. cap. Caluinus ipſe cla
6. enunciabit. Et quis, niſi deploratæ
tiæ nebulo, ſenſualitati ſuæ & concupi
tijs carnis aliquo modo non reluctat
vel ſolo rationis dictamine admonitus,
piter ſe facere videt ac verecundatur, q
7. carnis ſuæ deſiderijs morem gerit? Sed
Caluiniſtarũ hodie ſuauis pugna contra peecatum. uiniſtæ hodie probè ſe defunctos exiſtim
ſi pungente concupiſcentia carnis, aliqu
nus reluctentur, & facti turpitudinem in
Spiritus agnoſcant, ab ipſa tamen con
centia ſuauiter ſe vinci patiantur. Sic
Apoſtolicæ doctrinæ ſatisfaciunt, ſic p
tum non regnat in corpore ipſorum, ſic
cap.

cupiscentijs carnis non obediunt, si post aliquam luctam vincat caro, vincat peccatum, vincat concupiscentia. *Reluctatur enim Spiritus, sed non vincit.* Itáne verò Apostolus hoc loco nequissimos homines ad aliquam luctam & ad aliquem peccati scrupum hortatur, permittens interim vt Spiritu in illis reluctante vincat peccatum? An non ad baptizatos & regeneratos hęc verba scripsit, adeoque regenerationis in illis gratiã, fructus, effectus describit? Sed video Bezam vno verbo quasi verecundia tactum, totam sodalium suorum fœdam doctrinam circa electorum peccata renouare, quam initio huius schismatis apertiùs protulerũt. Summa hæc est, vt Gulielmus Tindallus contra Thomam Morum à multis annis sustinuit: Electi non possunt peccare, quia semen Dei in illis manet, nisi vehementissima tentatione animum ad tempus pulsante: qua durante quasi altè dormitat animus, ideoque non peccat. Exemplum adferunt de Dauidis adulterio & homicidio, & de Apostolorum infidelitate tẽpore passionis Christi. Quòd in talibus tentationibus non consentiunt peccato, tametsi actui peccati: vel si consentiunt peccato, non ita consentiunt vt velint seruire peccato: vel si fortè ad tempus seruiunt, tamen non excutiunt prorsus obedientiæ & amoris iugum erga legem Dei: vel certè ex destinata malitia illud non excutiunt,

8.

9.

In confutatione Tindalli: art. quòd electi peccant & nõ peccant.

Electi nõ peccant apud Caluinistas.

cutiunt, sed ex fragilitate : quia *reluctem*
Spiritum vincit caro. Quæ vltima tandē hu
processus resolutio, Bezæ hîc sententiæ
Hæc enim sententia Bezana si vera esset,
non regnare peccatum, vel non obe
concupiscētijs carnis, nihil aliud esset, qu
Spiritu reluctari vincente carne; profectò om
peccata in illis excusationem habēbu
Hoc posteà docebit Calu. cap. seq. vers. 19. *qui cum aliquo scrupo & cum aliqua hæ
Spiritus seruiunt peccato. Tales autem
nes omnino sunt qui aliquam de Deo
gnitionē habent. Sic inuenta est ratio
Beza omnium suorum peccata iustificat. omnia fidelium & credentium peccata
ficet, quia reluctāte Spiritu victi sunt:
que non regnauit in illis peccatum. Sic
Imputatiuæ iustitiæ fœdum fundamētum. nique imputatiuæ iustitiæ inuenta est
necessaria. Quum enim reluctetur im
neratis Spiritus, sed non vincat pecca
ideoque ex peccati fuga aut vitæ pu
nulla coram Deo iustitia expectari po
necessariò ponenda est imputatio
Christi, qua iusti declaremur, tamet
simus. Hæc est Bezanæ expositionis hoc
varia impietas & turpitudo.

Sed contra Bezanam impietatē, qui
sonam diutius agere non potuit, sed, exu
Caluini conciones de victoria peccati. larua, seipsum totumque animi sui sen
prodere voluit, audiamus hoc loco Cal
conciones, de regno gratiæ Christi in no
& victoria peccati. Ad illa Pauli verba,
Vers. 6. *homo noster crucifixus est, vt non vltrà seruia*
pec

peccato, ita scribit: *Hinc sequitur, nos, quamdiu sumus filij Adæ, ac nihil quàm homines, peccato sic esse mancipatos, vt nihil possimus aliud quàm peccare; Christo verò insitos, à misera hac necessitate liberari: non quòd statim desinamus in totum peccare, sed vt simus tandem in pugna superiores.* Agnoscit Spiritum esse carne superiorem in regeneratis. Ad illa Pauli verba, *Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato*, sic exponit: *Iustificatum accipe pro absoluto, & à seruitute vindicato.* Ad illa verba, *Si verò mortui sumus cum Christo, credimus quòd & viuemus cum illo*, ita scribit: *Docere vult hanc vitæ nouitatem totâ vita esse Christianis persequendam.* Et paulò pòst: *Si in cœnum nostrum reuoluimur, Christum abnegamus: cuius nisi per vitæ nouitatem consortes esse non possumus, sicut ipse vitã incorruptibilem gerit.* Obseruatione hîc dignum est, adstruere Caluinum vitæ nouitatem ad salutem esse necessariam, quia nisi per eam Christi consortes esse non possumus. Atqui in vitæ nouitate, tota carnis mortificatio, tota Spiritus contra carnem victoria, tota legis mandatorum obseruatio consistit. Vrget quoque in hac sententia verbum *credendi*, vt nouitatis huius maiorem necessitatem demonstret. *Verbum* (inquit) *credendi denotat hîc tractari fidei doctrinam quæ in promissionibus sit fundata, ac si dictum esset: Statuere debent fideles, ita se Christi beneficio secundum carnem esse mortuos, vt vitæ nouitatem ducant. Christus vsque ad finem continuet, in perpetuo*

Vers. 7.

Vers. 8.

Vitæ nouitas ad salutem necessaria iuxta Caluinum.

videl. vitæ nouæ cursu, quamdiu in mundo temp-
namur. Ecce, vitæ nouitas per totum v-
cursum adeò certa & necessaria est, vt h-
sit vna promissionum quam fides respic-
debet, vt iustificet. Si enim fides promis-
num iustificat, promittitur autem Ch-
beneficio non secus vitæ nouitas quàm p-
catorum remissio, idque adeò, vt hæc
fructus ac finis alterius, (quemadmod-
in præcedentibus disertè Caluinus doce-
profectò fidei iustificantis obiectum non
sola remissio peccatorum, sed etiam
nouitas, & tam hæc quàm illa nos coràm
iustificabit: imò magis hæc quàm illa;
quia hæc formæ rationem habet, illa p-
tionis; tum quia vnúquodque propter
& illud magis.

Fides iustificans vitæ nouitatem respicit.

Sed & iterũ ad illa Pauli verba non m-
vrgentia, *Sed neque exhibeatis membra vest-*
ma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo
quam ex mortuis viuentes, & membra vestra
iustitiæ Deo, magno cum pietatis zelo in-
quitur Caluinus: *Viderint hîc quo iure Ch-*
num nomen fastuosè obtendant, quorum
membra tanquam Satanæ prostibula in omnem
tatem perpetrandam parata sunt. Contrà nos
bet Apostolus vt nos totos sistamus Deo: nempe
omni vagatione mentem atque animum coërc-
quam nos abstrahunt carnis cupiditates, vt
nutum intueamur, ad excipienda ipsius iussa
intenti, ad exequenda eius mandata sanctis

Ver. 13.

Dei mandata & possibilia & necessaria agnoscit Caluinus.

membra quoque nostra illius arbitrio destinata sint ac consecrata: vt nihil quàm eius gloriam spirent omnes animæ ac corporis nostri facultates. Et ratio additur, quia non frustra Dominus, abolita priore vita, in aliam nos creauit, quam actiones debent commutari. Hæc Caluinus. Quid verius, quid sanctius dici potuit? Nam & cupiditates frenandas, & Dei mandata exequēda, & omnes animæ vires ad Dei gloriā destinandas, iuxta totam legis ac perfectę in Deum charitatis obedientiam, docet: & hæc omnia *iubere* Apostolū affirmat (*Nunc iubet Apostolus*) ac denique in nouam vitam à Christo creatos esse, vt hæc præstare possimus, cōfitetur. Ita nunc mandata Dei sunt factu possibilia, ad obseruandum necessaria; vtque fiant ac obseruentur, accipitur gratia. Quibus si addas quòd Apostolus membra nostra diuino cultui exhibita, vocat *arma iustitiæ Deo*, id est, instrumēta peragendæ iustitiæ coram Deo, siue opera in conspectu Dei iusta (Vnde & superius Caluinus dixit, quòd *resurrectio Christi iustitiam instaurat, quatenus efficit nouas creaturas*) nihil ferè ad totam de operum iustitia doctrinam Catholicam desiderari videbitur. Sed tota hæc Caluini tam sancta declamatio, vbi cætera omnia excussa fuerint, in eandem cum Beza impietatem resoluet. Talem tamen verborum sanctitatem hic locus postulabat, talem veritatis cōfessionem verba ipsa Pauli homini extorquebant: nec

Ad vet. 4.

Caluini sycophantia.

voluit tam citò personam deponere. Alio id tempestiuè facturus est, sicut nunc in proximo versiculo videbimus.

14 *Peccatum vobis non dominabitur: non enim estis sub lege, sed sub gratia.*

AD hunc locum, deposita non nihil ferua, natiuam suam speciem nobis exhibet Caluinus. Quum enim huius loci varias interpretationes cerneret, eam elegit, quæ toti hîc Apostolicæ doctrinæ, suisque ipsius explicationibus iam recitatis, conformis esset, sed quæ veluti petulca vacca boni ... antea expressum improba literæ Apostolo deprauatione veluti calcibus subuerteret. *Non esse* (inquit) *sub lege, significat non tam mortua litera nobis præscribi quod nos in reatum adducat, quia ad præstandum sumus impares* (quia prius clariùs dixerat, *subiectos esse legis iugo quæ animũ non renouat*) *sed etiam obnoxios non amplius non esse legi, quatenus exigit perfectã iustitiam ... ducta morte omnibus qui ab vlla parte declinamus.* *Sub gratiæ nomine similiter intelligimus vtcunque redemptionis partem: hoc est, remissionem peccatorum, qua iustitiam Deus nobis imputat; & sanctificationem Spiritus, per quem ad bona opera nos format.* Hæc ille. Ecce, iam gratiam Christi quam vt causam Apostolus adfert cur peccatum nobis non dominabitur, in remissione peccatorum qua imputatur iustitia, & in sanctificatione Spiritus, ponit Caluinus; fin...

quenon esse nos obnoxios rigori legis affirmat. Qua duplici sententia verum quidem peccati dominium in regeneratis (posita eius propria causa effectrice) ponere videtur: sed interim à legis obseruatione exacta liberatos nos esse docet: quam tamen ad proximè præcedentem versiculum ita docuit, *vt iubere nos Apostolum dixerit, ab omni cupiditatum vagatione mentem coërcere, omnesq; animæ ac corporis nostri facultates ad exequenda Dei mandata accingere.* Ad eandem libertatem à legis regula & præscripto alibi quoque hunc locum detorquet Caluinus. *De hac libertate* (inquit) *illustris est locus in epist. ad Rom. vbi Paulus ratiocinatur peccatum non debere nobis dominari, quia non sumus sub lege, sed sub gratia. Quum enim fideles hortatus esset ne peccatum in eorum mortali corpore regnaret, neue exhiberent membra sua arma iniquitatis peccato, sed Deo se deuouerent tanquam ex mortuis viuentes, & membra sua arma iustitiæ Deo; illi verò contrà obiicere possent, se adhuc carnem secum ferre plenam concupiscentijs, & peccatum in se habitare: subiecit eam consolationem à legis libertate, ac si diceret: tametsi nondum extinctum peccatum, necdum iustitiam in se viuere planè sentiant, non tamen esse cur formident, & animo deijciantur, quasi Deum semper offensum habeant ob peccati reliquias, quando per gratiam à lege sunt manumissi, ne eius regulâ sua opera examinentur.* Hæc Caluinus. Exponit non esse sub lege, liberatum esse & manumissum à stricta obseruatione legis, vt non

Caluinus sibi contrarius.

Inst. lib. 3. cap. 19. num. 6.

Caluini variæ corruptelæ.

iam ad legis regulam opera noſtra examinata debeant. Sic alibi iterum hæc verba expo-

Inſtit. lib. 4. cap. 15. num. 12.

non eſſe ſub lege, id eſt, *liberatos eſſe à rigore legis vt Chriſto cohæreamus*. Quo etiam in loco peccatum non dominari, aut non regnare nobis, hunc ſenſum habere docet, quòd peccatum non damnabit nos adhærentes Chriſto, & promiſsioni eius de remiſsione peccatorum in baptiſmo. *Quamdiu* (inquit)

Ibidem num. 11.

carcere corporis noſtri clauſi degimus, habitabunt nobis reliquiæ peccati. Sed ſi promiſsionem in baptiſmo nobis à Deo datam, (*de plena ſolidaq; remiſſione illic facta tam culpæ quàm pœnæ*, vt paulò poſt

num. 10.

loquebatur) *fide tenemus, non dominabuntur nec regnabunt*. Sic non dominari nobis peccatum iuxta Caluinum nihil aliud eſt quàm non dominari nobis peccatum; & non eſſe ſub lege nihil aliud quàm non ſubiacere maledictioni legis, quia ad eius regulam non obligamur. Sed bene ſe res habet, quòd tota hæc deprauatio Caluiniana alijs Caluiniſtis displicet, & à parente filij recedunt. Theodorus enim Beza, qui Caluinum vocat *optimum parentem ſuum*, eam totam reijcit his verbis: *Tametſi tant plerique, ſub lege non eſſe, idem declarare atque legis maledictioni non amplius eſſe obnoxium, quam Chriſtus factus ſit maledictio pro nobis. Sed hoc non pertinet ad peccatorum remiſsionem. Hic verò agitur de mortificatione peccati, & iuſtitia in nobis per Chriſti Spiritum inchoata: neque ſpectatur damnatio peccati quatenus imputatur vel non imputatur*

Caluini deprauatio à Beza reijcitur.

sed quatenus viget aut non viget in nobis. Hæc ille contra Caluini explicationem superiùs allatam, qui, *non dominari peccatum*, pro condonari, & non imputari, disertè exponit: & *non esse sub lege*, liberatum esse à rigore legis. Hac itaque reiecta optimo iure sententia, quia à tota disputatione Pauli hoc loco penitus aberrat, vt rectè annotauit Beza, aliam idem subiungit: *Itaque alij explicare malunt, Sub lege non estis, sed sub gratia*, id est, *Non iam estis ea conditione qua olim, quum vos lex reos faceret iubendo, non adiuuando*; vt explicat Augustinus. *Hãc verò sententiam vt simplicissimam & maximè accommodatam amplector: sed ita, vt paulò aliter explicem quàm soleant. Valet enim consequutio, nos aduersus peccatum potituros victoria, quum non simus sub lege, quatenus est virtus peccati, vt eius occasione magis præuaricemur, sed sub gratia, id est, Spiritu Christi donati, cuius freti virtute, reliquias etiam peccati iam inermis penitus profligemus: idq; ita esse explicandum liquet ex Gal. 5. D. 23. & 24. Nempe vbi Apostolus dicit, aduersus huiusmodi non est lex. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.* Hæc Beza, paulò quidem aliter quàm ex Augustino doceri solet (voluit quippe aliquid singulariter sapere) sed Augustini sententiam ita probans, vt eam hoc loco accommodatissimam vocet, & deprauationi Caluinianæ meritò anteponat. Apostolus quippe ideo totus in hoc capite est in exhortatione ad pietatem,

Augustini expositio accommodatissima.

Peccatum quo sensu non dominatur regeneratis.

ad mortificationē carnis & vitæ nouitatem quia licet peccatum ante baptismum nobis vbi *mortui sumus peccato*, vixit in membris stris, *regnauit & abundauit*, vt in præced capite docuit, nunc tamen, *consepulti cum Christo in baptismo, peccatum amplius non minabitur*, quia ratione baptismi, vbi Chris *induimus*, & Spiritus eius participes fact mus, nō sumus amplius *sub lege*, id est, nō ampli⁹ sicut filij veteris Testamēti metu pœ

Cont. 2. epist. Pel. lib. 3. c. 4

næ subdimur legi, quales *aut nō seruant, aut nisi carnaliter & seruiliter seruant legem, ideoque animo non seruant* (ait Augustinus) *sed sumus*

Rom. 8.

gratia, quia accepimus *Spiritum adoptionis filiorum Dei*, Spiritum Christi, Spiritum gratiæ quales liberè & alacriter ideoque verè & animo seruant legem, adeóque efficaciter operāte Christi gratia (vt ipsemet alibi Cōuinus docet) virtutes operantur legi conformes: ideo non sub lege sed cū lege sunt, libenter volentes quod lex vult, vt latè docet Aug.

Tract. 3.

in Ioannem. *Interrogamus Apostolum* (ait Augustinus) *& dicit nobis: Quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia. Misit ergo filium suum factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, & adoptionem filiorum reciperemus. Et vnde facti sunt homines sub lege? Non implendo legem. Qui enim legem implet, non est sub lege, sed cum lege. Qui autem sub lege est, non subleuatur sed premitur lege. Omnes itaque homines sub lege constitutos reos facit lex, & ad hoc illis super caput est, vt ostendat illis peccatum,*

peccatum, non tollat. Lex ergo iubet, dator legis misereatur. Quare homines facti rei sub lege, implorarent liberatoris auxilium. Hæc ibi Augustinus, exponens quid sit esse sub lege. Quid autem sit esse sub gratia, alibi enarrat. *Quatuor* (inquit) *gradus hominis distinguamus: Ante legem, sub lege, sub gratia, in pace. Ante legem sequimur concupiscentiam carnis: sub lege trahimur eadem: sub gratia nec sequimur eam, nec trahimur ab ea: in pace nulla est concupiscentia carnis. Ante legē ergo nō pugnamus, quia & peccamus & approbamus peccata: sub lege pugnamus, sed vincimur: sub gratia, quæ donat peccata præterita, & conātem adiuuat, & tribuit charitatem iustitiæ, & auferti nonnō, homo iā mente seruit legi Dei, quamuis carne seruiat legi peccati; non enim obaudit desiderio peccati. Quia ergo non consentimus desiderijs pravis, in gratia sumus, & non regnat peccatum in nobis.* Hæc ibi Augustinus, verbis Apostolicis sententiā afferens accommodatissimam & verissimam. Quæ Augustini expositio probatur inuictè ex illis Apostoli verbis: *Si Spiritu ducimini, non estis sub lege.* Id est: Si Dei Spiritus in vobis dominatur, qui amoris & dilectionis est, non ampliùs seruiliter legē timetis; nec timore supplicij, sed amore iustitiæ, eā seruatis: vt iterum alibi docet Augustinus.

In expositione quarundam propositi. in epist. ad Rom.

Gal. 5. 18.

Denat. & grat. c. 57.

Vno tamen argumento hanc S. Augustini expositionem infirmare contendit Caluinus, quod dissimulandum non est. *Si recipimus* (inquit) *hunc sensum, quorsum illa quæ sta-*

Caluini disputatio cōtra Augustini sensum refellitur.

tim

tim sequitur interrogatio pertinebit? Quid ergo? Peccabimus, quia non sumus sub lege sed sub gratia? Absit. Nunquam certè quæstionem eiusmodi subiecisset Apostolus, nisi intellexisset nos à legis rigore absolutos, ne amplius summo iure Deus nobis agat. Quare non est dubium, quin aliquam à lege Domini manumissionem indicare voluerit. Hæc ille. Respondeo: Apostolus eiusmodi quæstionem subiecit, non quòd in præcedentibus verbis aliquam reuera aut saltem tantam talem à legis rigore manumissionem intelligeret, aut intelligi vellet, qualem Caluinus fingit, sed quia talem ex forma verborum intelligi posse præuidebat. Verba quippe secundùm vulgarem loquutionis modum sonare videntur, quasi nulli amplius legi subiecti essemus. Sed hunc vulgarem sensum remouere volens Apostolus, ex quo videbatur sequeretur peccandi licentia, hanc quæstionem subiungit: *Quid ergo? peccabimus quia non sumus sub lege?* Id est: An ideo vel in eo sensu dixi nos non esse sub lege, vt subducto legis vinculo, aut etiam rigore perfectionis, ab ea manumitteremur; &, tali manumissione facta, maiori cum licentia peccaremus? Absit. Non eo sensu hæc dixi, nec ita crassè ac vulgariter accipi mea verba volo: altior & sublimior est verborum meorum sensus: dico nos *non esse sub lege, sed sub gratia*, sensu planè contrario: nempe, quia *peccatum nobis non dominabitur* (quæ Apostoli verba

Apostolicæ disputationis sensus latè explicatur.

suo commentario Caluinus omnino non attigit:) id est, quia non iam peccabimus, sed peccati victoriam obtinebimus. Sic ergo mea verba intelligi debent, sicut causa dicendi postulat. Si, non esse sub lege, significat manumitti à lege; profectò tunc, soluto vinculo legis, liberas habenas peccatum habebit, & prorsus dominabitur. Peccatū enim nihil est aliud quàm legis transgressio. Vbi autem lex non obligat, transgressio in peccatum non deputatur. Ego autem contrarium dixi, fore videlicet *vt peccatum non dominaretur* amplius in nobis; id est, non vigeret, non imperiū obtineret, idq; cōformiter præcedentibus meis verbis, *Non regnet peccatum in mortali corpore vestro*; & alijs varijs sententijs meis: vt nulla planè tibi data fuerit occasio huiusmodi sensum verbis meis affingendi. Quare iterum repeto, te nunc debere obedire iustitiæ, sicut ante gratiam acceptam obediuisti peccato; & te à peccato quidem liberatum esse, nō autem à lege, aut à rigore legis. Attende mea verba quæ sequuntur: *Nescitis quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis? siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam?* An putas quòd quum dixerim, *Peccatum vobis non dominabitur*, id est, non obedietis non seruietis peccato, non regnabit nec dominabitur in vobis peccatum; vellem statim contrarium dicere, debere vos obedire peccato, & non obedire iustitiæ,

Caluinus textum sibi aduersantem dissimulat.

Vers. 12.

Vers. 16.

iustitiæ, sublato vinculo legis, subijciebat causam, *quia nō estis sub lege, sed sub gratia*. Sub lege esse, quid. potuisti attendere illos esse sub lege, qui lex quasi eorū ceruicib⁹ cū flagello imminet, seuerè & rigidè imperat, nō vitio aut natura aliqua legis per se rigorosę, sed vitio eorum qui suis cupiditatib⁹ dediti exhorrēt omnem doctrinā, & ad vocem legis terrentur, vt praui pueri, qui ludo magis quàm literis ficiuntur, ad vocem pædagogi sui ea iubentis quæ ex seipsis aū puerorū profectū appetunt faciunt, sed illis deprauatis rigorosa & aspera & terribilia videntur. Dixi ergo *peccatum non dominari*, nec legē, quæ vetat peccare, duram aut rigorosam nobis videri, quia non sumus sub lege, nō sumus sub terrore legis, quæ terret, non minatur, non aspera nobis imperat, plùs videtur lex, *sed sumus sub gratia, sumus* Rō. 8. 15. filij gratiæ, filij adoptionis; *non accepimus spiritum seruitutis iterū in timore, sed spiritū adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba Pater*, in quo amamus Deum vt Patrem, non timemus vt Dominum; ideoque voluntarie 1. Ioan. 4. Patris alacriter exequimur; *nec iam grauia* Matth. 11. *nobis sunt eius mandata, sed onus leue, & iugum suaue*. Quare nolite esse ingrati huic gratiæ Vers. 17. Dei. Ego sanè vestro omnium nomine, *gratias ago Deo, quòd fuistis serui peccati*, & experti estis quàm misera sit peccati seruitus: videlicet quando lex vos terrebat, & rigorosa visa est, & præuaricationem augebat,

vestis autem ex corde in eam formā doctrinæ in qua traditi estis: id est, nouam doctrinæ formam, quæ docet vos amare Deum vt filios, nō timere vt seruos, & quę Christi gratiā prædicauit, liberantem vos à lege mortis & à lege peccati, obedienter & ex corde, suauiter atq; alacriter accepistis. Atque ita, *liberati à peccato* Vers. 18.
serui facti estis iustitiæ. Liberati & manumissi estis nō à lege, aut à rigore legis, quæ vetat peccata, sed ab ipso peccato, & à trāsgressione legis; non quia lex ampliùs nō obligat, sed quia legē iam obediēter & studiosē seruatis, *serui facti iustitiæ*, quasiq; nouā seruitutē, sed multo feliciorem & iucundiorem, ingressi.
Humanum dico propter infirmitatē vestram: id est, Vers. 19.
non quòd hæc aliqua vera sit seruitus, quæ summa libertas est; sed hominū more loquor, idque propter infirmitatem vestrā, quia nec-dum satis spirituales estis, vt intelligatis seruire Deo, regnare; & seruire iustitiæ, summā libertatem esse. Sic Apostoli sensus ex tota eius disputatione intelligendus est. Caluinus eum Apostolo sensum affinxit, qui intentioni eius ex diametro repugnat, nec à S. Augustino monitus cauere voluit: vnde & meritò illū hoc loco Beza deseruit, optima ratione nixus, quia non de remissione peccatorum (de qua in his verbis loqui Apostolum Caluinus vult, vt ex eius verbis citatis patet) sed de regenerationis gratia toto hoc capite Apostolus disputat.

Notan-

Notanda est autem in huius loci commentario Caluini astutia. Hîc enim dicere Apostolum ait, *ideo sub lege nos non quia legi amplius non sumus obnoxij, quanus exigit perfectam iustitiam, edicta nostra nibus qui ab vlla parte declinauerint.* Qui modus loquendi non videtur tollere tota obligationem legis quoad eius mandata uanda, sed tantummodo perfectum uandi modum, in quo est perfecta iustitia quia *in gratia constituti* (sicuti postea loqu *liberati sumus à rigida legis exactione*, vt vi cet multę imperfectiones nostræ nobis donentur per gratiam Christi. Qui quid sensus nec manumisionem à lege docet, suprà loquutus est; nec obligationem uandi mandata tollit: imò multis alijs uini exceptionibus hic sensus occurrit, soluit, quibus dicere solet ad mandat obseruationem neminem ex gratia teneri, quia eorum obseruatio, quum fecta esse debeat ac numeris omnibus ab ta, planè impossibilis est. Nunc enim tè agnoscit, *non esse nos obnoxios legi, quam exigit perfectam iustitiam*: & hoc ideo, qu gratia sumus constituti. Manet ergo lex ad obseruandum possibilis, & in pristina obligatione, solo perfectionis rigore subl Hæc quidem ille hoc loco astutè, vti (tametsi obiter & imprudenter aliud principale axioma destruxerit) prop

Caluini astutia retegitur.

Legis iustitiam perfectã non exigi agnoscit Caluinus.

huius loci circunstantias, quæ ad talem moderationem eum compellebant. Atqui in sua Institutione, vbi seorsim hæc verba tractat, vult planè ex illis colligere, non à rigore tantùm legis, sed ab ipsa prorsus lege liberatos nos esse. Nam ad secundam libertatis Christianæ partem probandam, quam in eo ponit, vt *conscientiæ non quasi legis necessitate coactæ legi obsequantur, sed à legis iugo liberæ, voluntati Dei vltro obediant*, his Pauli verbis abutitur, & omnem planè manumissionem à lege (non à rigore tantùm legis) ex illis probare contendit. Vult enim conscientias fidelium nullo modo ita legi obedire, quasi obedire teneantur; non sic legi obsequi, quasi vlla legis iubentis necessitate cogantur. Et hanc libertatis Christianæ secundam partem *pendere* dicit *à prima*, qua statuit, *in causa iustificationis coram Deo totam legis iustitiam obliuisci nos debere; ac sic quidem, vt nullæ prorsus operum ratio habeatur*. Ita hanc disputationem Apostolicam, quæ (iuxta ipsius Caluini commentarios & conciones in superiori textu recitatas) totius vitæ nouitatem iubet, & ita iubet, vt sine ea participes mortis Christi nõ simus, nunc sic peruertit Caluinus, vt huiusmodi vitæ nouitatem nec iuberi, nec ad salutem necessariam esse, ex ipsa eadem disputatione probare cõtendat. Vnde sequitur, aut in eadem disputatione contraria Apostolum docere, aut Apostoli verba ab impio Caluino

Aperta Caluini impietas de libertate carnis.

Instit. lib. 3. cap. 19. num. 4.

Ibidem num. 2.

Apostolicæ scripturæ depravatæ conuincitur Caluinus.

fœdissimè depravari. Vtrum probabilius sit lectori iudicandum relinquo.

Tenemus nunc cur Apostolus dixerit nos *non esse sub lege, sed sub gratia*: nec in illis verbis aut obligationem aut rigorem legis, sed terrorem tantùm & iugum seruile tolli; quod gratia facit nos liberè seruire iustitiæ, quæ absque gratia aut serui sumus peccati, neglecta lege neglecta; aut legem nisi seruiliter seruamus, ideoque non seruamus, vt S. Augustinus sapienter nos docuit. Tam exactè nunc à Christianis seruanda lex est, quàm prius Iudæis seruanda erat. Sed ad hanc exactam & perfectam legis obseruationem non pertinent quæ Caluinus pertinere existimauit, nempe omni prorsus carere concupiscentia, aut Deũ ex toto corde totaliter, & quantum diligi potest, diligere: quod alio in loco contra Caluinum demonstrauimus. Sed hoc loco contra Caluinum obseruãdum eum hoc quidem loco gratiæ nomine intelligere non solùm remissionem peccatorum, sed etiam *sanctificationem Spiritus, per quam bona opera nos reformat*. Ad hanc veram cõfessionem loci perspicuitas eum compulit, qui in sua Institutione hoc ipso nomine Augustinum reprehendit, *quòd gratiam sanctificationem refert, qua in vitæ nouitatem per Spiritum regeneramur*. Sed quid? mendaces magistri hoc vnum non meminerunt: Mendacem oportet esse memorem.

Ia Matth. cap. 22.

Instit. lib. 3. cap. 11. num. 15.

Docet postremò hic locus, quòd in operibus pietatis domini sumus actionum nostrarum, non secus quàm in operibus naturæ. Nam si peccatum nobis sub gratia non dominabitur, profectò nos per gratiam dominabimur illi: id est, poterimus ei resistere, & eius tentationem superare, nosque à malo auertere, & consequenter ad bonum conuertere libera prorsus electione nostra, & libero voluntatis imperio, quantacumque tandem tentatione pulsemur ad malum, aut etiam gratia moueamur ad bonum. Idem docuit Scriptura, statim post naturam peccato corruptam; dicente Deo ad Cain, *Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Quod illum tamen non solius naturæ viribus, sed diuinæ simul gratiæ beneficio præstare potuisse, dubitari non debet. Ita nec natura illum ad malum compellere potuit, nec gratia ad bonum compellere voluit, libera homini electione in vtroque relicta.

10. *Quum serui eratis peccati, liberi eratis iustitiæ.*

THeodorus Beza, Pauli corruptor pessimus, hæc verba sic exponit: *Eratis peccati iugo prorsus mancipati. Hoc autem quum ita se habeat, miror qua tandem fronte audeant sophistæ suum liberum arbitrium tueri, liberum sane iustitiæ, seruum autem peccati, vt illis toties exprobrat Augustinus.* Hæc Beza. Quis hîc non exi- Liberi arbitrij defensio.

ſtimet Auguſtinum propter hæc Apoſt
verba liberum arbitrium negare? Audia
igitur Auguſtinus; & quomodo hæc ver
intelligat, loquatur ipſe: *Liberum* (inquit)
bitrium vſqueadeo in peccatore non perijt, vt pa
lud peccēt maximè, qui cum delectatione pecca
& amore peccati hoc eis placet quod eis libet; ma
& Apoſtolus: Cùm eſſetis (inquit) ſerui peccati, l
beri eratis iuſtitiæ. Ecce oſtenduntur etiam pecca
minimè potuiſſe niſi alia libertate ſeruire. Libe
ergo à iuſtitia non ſunt, niſi arbitrio voluntatis
beri autem à peccato non fiunt, niſi gratia Salva
ris. Propter quod admirabilis Doctor verba
ipſa diſcreuit: Cùm enim ſerui eſſetis peccati, li
fuiſtis iuſtitiæ. Nunc autem liberati à peccato, ſe
autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſa
ctificationem. Hæc Auguſtinus, quem inter
phiſtas ponere debet Beza, ſi ſophiſtæ
ſunt qui his verbis Pauli ſtantibus liberu
tuentur arbitriū. Nec Auguſtinus liberi
bitrij aſſertores pro ſophiſtis habet; ſed
beri arbitrij deſtructores pro manifeſtis h
reticis pronunciat his verbis: *Eſt liberum ar
trium: quod quiſquis eſſe negauerit, Catholicus n
eſt.* Et alio in loco pleniùs: *Fides ſanè Cath
lica neque liberum arbitrium negat, ſiue in vtr
malam, ſiue in vitam bonam: neque tantum ei
buit, vt ſine gratia Dei valeat aliquid.* Idem al
multis in locis docet: de corrept. & gra
cap. 1. de peccatorum meritis & remiſſio
lib. 2. cap. 18. de gratia Chriſti cap. 47. de gr
tia &

Contra 2. epiſt. Pel. lib. 1 c. 2.

Hypogn. lib. 3.

Epiſt. 47.

tia & libero arbitrio cap. 4. Sophista igitur & hæreticus Beza, qui liberum nostrum negat arbitrium, quod toties illi exprobrat Augustinus. Quomodo autem peccator omnis absque Christi gratia seruus peccati est, & quæ sit illa seruitus adeoque necessitas peccandi, quam sine gratia Christi contra Pelagianos Augustinus sæpe inculcat, vide studiose explicatum in opere nostro de Iustificatione. Lib. 2. cap. 10.

19. *Exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.*

Hæretici hodie ex his Apostoli verbis omnem legis obedientiã, & bonorum operum executionem, esse quidem sanctificationem quandam, qualis regeneratos deceat, sed non esse vllam in conspectu Dei & veri nominis iustitiam, docent. Apostolus autem hoc loco nomine sanctificationis veri nominis iustitiam intelligit. Opponit enim illam iniquitati τῇ ἀνομίᾳ: quæ est legis transgressio, &, vt Caluinus hîc exponit *vniuersalis vitæ corruptio*. Ideóque talem intelligit sanctificationem, quæ ex iusta legis obseruatione nascatur. Vnde Caluinus ipse hoc loco: *Iustitiam* (inquit) *pro lege & regula iuste viuendi positam interpretor, cuius finis est sanctificatio.* Deinde, sanctificationem & iustificationem Apostolica Scriptura aut pro eodem accipit, aut indiuiduo nexu coniungit. Sanctificatio & iustificatio idem sonant.

Sic quod hîc dixit, *Habetis fructum vestrum*
Rom. 8. *sanctificationem*; alijs verbis alibi repetit, *spiritus viuit propter iustificationem*, quam ibi opponit peccato, propter quod corpus mortuum est; sicut hîc opponit sanctificationem operibus immunditiæ & peccati. Rursus
2. Cor. 7. quod Paulus dixit, *Mundantes nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem*;
2. Petr. 2. alijs verbis dixit Petrus, *eos qui inquinationibus mundi implicati sunt, deserentes iustitiæ*. Postremò, Apostolus non solùm dixit,
1. Cor. 6. *nos ablutos esse, & sanctificatos esse*, sed etiam *iustificatos esse in nomine Christi*. Ita hæc enim & hîc fucus honestus de sanctificatione qui agnoscunt, illorum impiam doctrinam à sola fide iustificante nihil iuuat. His addo, quòd hanc sanctificationem sic inchoari tantùm in suis electis Deum, totoque vitæ curriculo ita lentè in eo progredi docent, vt nihilominus in seipsis peccatores semper sint, & rei coram Deo, propter ipsam concupiscentiam coram Deo damnabilem. Sic enim Caluinus accuratè docet, Instit. lib. 3. cap. 3. num. 11. & seqq. vt apud illũ homo nem tota nostra sanctificatio nihil sit aliud quàm vera immunditia & coram Deo damnabilis; vtcunque eum aliter hîc loqui Scriptura Apostolica coëgit.

23. *Gratia autem Dei vita æterna.*

CONtra meritum vitæ æternæ ex his verbis ita disputant hæretici: Vel ex solis operum meritis, vel ex sola gratia datur vita æterna. Si enim ex operibus, iam non est gratia. Ergo Apostolus, qui docet eam ex gratia dari hoc loco, negat illam ex merito dari. Quamobrem non infert Apostolus, Stipendium iustitiæ vita æterna, sicuti dixerat, *Stipendium peccati mors*; sed infert, *Gratia Dei vita æterna*. Hæc illi. Atqui illis respondebit S. Augustinus: *Non infert Apostolus* (inquit) *Stipendium iustitiæ vita æterna, quod tamen rectè potuisset dicere; sed infert, Gratia Dei vita æterna: vt intelligamus, ipsa bona opera, quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere.* Hæc ille. Apostolus ergo in commendatione gratiæ hoc loco totus, id quod est ex parte gratiæ, radicem videlicet tam iustitiæ quàm vitæ æternæ, commendare & in medium afferre voluit. Vide plura in Augustino tum loco citato, tum epist. 105. & in Enchir. cap. 107. Quamquam quum priùs dixit finem iustitiæ seu sanctificationis nostræ esse vitam æternam, satis apertè docuit vitam æternam vt stipendium aut mercedem dari. Nam τέλος hoc loco, seu finis, tum mercedem tum vectigal significare potest, vt ipsemet annotauit Beza; idque contra Caluinum, qui illud putat non esse ex men-

Merita operum.

De grat. & lib. arb. cap. 8. & 9.

Beza Caluinum corrigit.

te Apostoli: eam videlicet ob causam ne vita æterna videatur tributum iustitiæ, id est ne veritas Apostolica eius hæresim infamaret. Sed Caluinum Beza correxit. Quin ipse Caluinus ad illa Petri verba, *Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum. Potest* (inquit) *pro fine legi, Merces.* Sic quum de fide agitur, vox, finis, mercedem Caluinus significabit; quum de bonis operibus agitur, significare hoc non potest. Ita ille Scripturam sincerè scilicet tractat.

1. Pet. 1.

Argumentum Cap. VII

DE legis vsu vberiùs disputat, rationem assignans cur à lege soluti simus, (quod obiter priùs dixerat) quia homini carnali non nisi ad condemnationē valebat. Quod ne in legis contumeliam vergeret, docet culpa nostra factum esse, vt in mortis materiā cederet quod ad vitam datum erat. Exin Spiritus & carnis luctam in filijs Dei describit. Vbi ostendit quòd non solùm peccatum, sed neque lex ipsa prohibens peccatum, dominatur amplius in renatis, nec terret, aut tyrannis imperat, sed delectat: quòd si lex non dominatur, multò minùs peccatum. Nam & pugnat in membris, tamen non viuit, non vincit, non dominatur in mente. Et per hoc

& si iustus ex parte, & secundùm quid, carnalis est; ex potiori tamen sui parte, & simpliciter, spiritualis est.

4. Vos mortificati estis legi per corpus Christi, vt sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, vt fructificemus Deo.

QVum doceat Apostolus, legem quasi virum quendam vxori imperantem mortuam esse per corpus Christi, id est, per mortem in Christi corpore interuenientem, quę legis imperium ac seruitutem sustulit per efficaciam & virtutem Spiritus ex merito mortis eius credentibus in Christũ communicatam, vsus videlicet inuersione quadam verborum ad sermonis asperitatem leniendam, quia legem esse mortuam (quod, vt ordine similitudinem contexeret, dicere debuit) Iudæis, quos alloquitur, durus sermõ videbatur, quod ipse hîc Caluinus iuxta veteres interpretes rectè obseruauit, etsi Beza post eum aliter sapere voluit, hanc mortem legis vafre iterum propter nimiam loci euidentiam exponit Caluinus. Quum enim affirmet, de sola lege ceremoniali, aut quæ Mosis ministerio propria erat, Paulum hîc loqui, negetque eum de lege mandatorum disputare (in quo prorsus ab eo & meritò dissentit Beza, quum ea, quæ proximè sequuntur, de lege mandatorũ necessariò intelligẽda sint, ipseque intelligat Caluinus) vult docere

Lex per Christi corpus mortua.

Beza Caluino contrarius.

Beza Caluinum corrigit. A vers. 17. & infrà.

cere legem mandatorum nõ esse nobis mo
tuam per mortem Christi; quod quomodo
contra ipsum pulchre faciat, simulque q
sensu legem mandatorum per Christi mo
tem nobis credentibus mortuam esse Pa
lus doceat, explicabimus. *Tenendum*
(ait Caluinus) *Paulum eam dumtaxat partem*
quæ propria est Mosis ministerio, hic attingere. Na
quatenus decem præceptis tradidit Deus quid rẽ
sit, vitamque nostram instituit, nulla summa
est nobis legis abrogatio, quia vigere perpetuò de
Dei voluntas. Itaque diligenter memmeamus, n
esse hanc à iustitia, quæ in lege docetur, solutum
sed à rigida exactione, & ea, quæ inde sequu
maledictione. Non ergo bene viuendi regula, qu
lex præscribit, abrogata est, sed qualitas illa qua
bertati per Christum partæ opponitur: nempe
summam perfectionem requirit, &, quia non p
stamus, constringit nos sub æternæ mortis
Hæc ille. Duo dicit: vnum, nullam esse
niandam legis abrogationem; alterum,
rigida legis exactione, quatenus summ
perfectionem requirit, solutos nos es
quia hæc qualitas libertati per Christ
partæ opponitur. Horum prius verissim
quidem est, sed alteri & perpetuæ tam C
uini quàm aliorum hæreticorum doctr
aduersatur, qua constantissimè docet leg
abrogari, non solùm quoad summam
perfectionem, sed & quoad necessariam
obseruationem; & in hoc legem Euange

Caluinus sibi contrarius.

oppo

opponi, quòd lex iubet facere, Euangelium iubet credere. Quod*alijs in locis explicatum dedimus, & in præcedenti cap. ad vers. 14. Caluini verba protulimus, quibus docet, libertatem Christianam in eo consistere, quòd *conscientiæ fidelium voluntati Dei vltro obedire debent; sed non legi obsequi, quasi vlla legis necessitate coactæ*. Si nulla igitur legis necessitas ad obsequium cogit, profectò lex abrogatur. Abrogatur enim illa lex, cui amplius obsequi non est necesse. Potest quidem iustus ea facere quæ lex dicit, non quia lex dicit, sed quia ex Dei amore ea facere vult, tametsi lex non diceret, nec vllum de ea re mandatum haberet; & hoc sensu *iusto lex non est posita*: sicut sano medicina non est posita, nec opus est sanis medico. Cæterùm tamen, sicut non propterea medicorum præcepta abrogãtur, sed ægris sunt necessaria; sic nõ propterea lex mandatorum abrogatur, sed *lex iniustis posita est, & non subditis* (ait Apostolus) vt qui à via iustitiæ aberrantes, legis freno indigent, legis imperio ad bene viuendum coarctentur. Sed & iustus ipse, tametsi vltro obediat voluntati Dei, agnoscit se tamen ad hanc obedientiam teneri; sicuti qui vltro crederet Deum esse plenum misericordia, & remuneratorem omnibus inquirentibus se, credere tamen hoc ipsum tenetur, quia Scripturæ diuinitus inspiratæ illud docent: nec propterea Scripturarum authoritas illi abrogatur.

*In præambulo Antidor. Euangel. in Matthæum.

1. Tim. 1.

Obedientia vltronea non tollit obligationem legis.

rogatur. Hoc ergo prius aliis Caluinis citis diserte repugnat.

Alterum quod dicit, tum in se falsum tum à mente & sensu Apostoli hoc loco nissimum est. Falsum est, à rigida legis actione, quatenus summam perfectionem docet, per mortem Christi nos esse solutos duabus ex causis. Primùm, quia summam lam perfectionem quam Caluinus somniat vt ipsa praua desideria lex prohibeat, & dilectionem Dei totalem nos obliget, lam exigit, vt alibi satis dictum est: mox adhuc infrà aliquid dicetur. Deinde, quia perfectissima legis obseruatio, quoad omnia mandata præstanda, & omnia quæ prohibet deuitanda adeò per mortem Christi non tollitur, vt tum ipsa mors Christi exuberantem gratiam dederit qua tota lex seruetur, nec Christus ipse in Euangelio exactissimam legis obseruationem diligenter & accurate præceperit in sermone prolixo apud Matthæum. Quorum prius ipsa Apostoli verba proximè subsequentia ex parte docent. Ait enim Apostolus, legem nobis esse mortuam per mortem Christi, vt quasi veteri marito mortuo nouum accipientes, vni Christo coniungamur, cui vni viro alibi dixit *despondisse se suos quasi virginem castam exhibere Christo*. Ait enim: *Vt sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, vt fructificemus Deo.* Despondemur autem per fidem Christo resurgẽti quasi alteri viro mortuo

Christi mors à rigida legis exactione in sensu Caluini nõ liberat

Ad ver. 7.

Matth. 5.

2. Cor. 11. 2. Christo viro quomodo despondemur.

mortua iam nobis lege; vt quemadmodum vxor consummato matrimonio fructificat viro, sic nos copulati Christo, & semine gratiæ accepto (videlicet per mortem eius facti participes Spiritus Dei, qui nos in sanctam vitam renouat) fructificemus per bona opera Deo. Sunt autem hi fructus bonorum operum, & tota renouatio nostra, ipsa inprimis mandatorum Dei obseruatio, vt *per bona opera nostra glorificetur Deus*. Est ergo nobis in Christo regeneratis, Christóque desponsatis, & Spiritus eius participationem nactis, lex mandatorum mortua, nec quoad eius abrogationem, nec à iustitia quæ in lege est solutionem (vt optimè hoc loco Caluinus annotauit, disputatione tota Apostolica ad eam confessionem adactus) nec quoad eius rigidam exactionem, in quantum summam perfectionem requirit, qualis à nobis præstari non potest; sed quoad illam legis rigidâ exactionẽ, quæ nihil nisi iubens terret & comminatur; & quoad illam legis qualitatem, quæ nihil nisi literam legis audientibus, & illi soli inhærentibus, seruiliter imperat, & seruilem extorquet obedientiam. Quoad hunc rigorem, lex nobis mortua est, nec amplius terret; non est amplius virtus peccati, non auget præuaricationem, denique non est amplius rigidus exactor, aut durus pædagogus, nobis (inquam) Christo desponsatis, Christi Spiritu donatis, & mortis eius beneficium

Matth. 6.

Lex mandatorum quomodo nobis mortua.

Vide August. contra Faustũ libr. 15. cap. 8.

ficium expertis. Hunc esse germanum ho
stoli sensum, sequentes versiculi com
strabunt.

5. *Quum enim essemus in carne, passiones pec
rum, quæ per legem sunt, operabantur in m
bris nostris, vt fructificarent morti.*

Legis vita in carnalibus.

HÆc est vita legis in ijs qui in carne su
id est, qui carnaliter viuunt; videlic
vt per legem iubentem, nec adiuuantem, p
siones peccatorum operentur, id est, cupi
tas peccandi magis ebulliat ac flagret in m
bris carnalium: quorum proprium est mi
vetitum, & ex occasione mandati (vt in
quentibus clarissimè docet) acriùs & vo
mentiùs peccare. *Peccatum* (inquit) id
praua concupiscentia in me relicta, mo
accepta per mandatum, id est, magis in
ad peccandum; *seduxit me*, id est, *aucto
piditatem peccandi, & grauiorem red
iniquitatem peccati (vbi enim non est lex, n
prævaricatio) & per illud occidit.* Quum
hæc sit vita legis in carnalibus, certissim
est quòd mors legis contraria est hui
vt illis mortua lex ab Apostolo dicatur,
quorum membris tales passiones per leg
non operantur: id est, in quibus lex non
amplius virtus peccati, non amplius a
concupiscentiâ, non amplius seducit per
datum, id est, occasione accepta per ma
tum. Illis autem lex non est virtus pecca
ju

Infrà v. 11.

* Sic Aug. de Spir. & lit. cap. 14.

Lex quibus mortua.

In illis concupiscentiam non irritat nec auget lex, qui libenter & liberè faciunt legem; non in illis qui ab eius perfecta obseruatione & rigore perfectionis manumitti & liberari volunt. De tali libertate à perfecta obedientia legis aut de tali rigida exactione, quoad perfectam obseruationem legis, Apostolus hoc loco nihil prorsus loquitur, nihil insinuat, nihil admonet. Rursum, liberari velle à perfecta obedientia, est prorsus adhuc esse in carne; & passiones peccatorum per legem adhuc in tali voluntate operantur. Est quippe hæc vox, est hic affectus eorum quibus lex rigida, ardua, dura videtur; idque adeò dura, vt impossibilis ad obseruandum videatur. In illis lex adhuc viuit, non est mortua: Legis (inquam) illa qualitas seruilis, & rigida exactio, adhuc in illis viuit. Nolunt enim se obligari ad legis obseruationem tanquam rem ad salutem necessariam. Clamant miseri: Durus est hic mandatorum sermo, quis potest eum ferre? vel potiùs, vt *serui pigri*, accusant Dominum legislatorem *vt hominem durum & austerum, qui metit vbi non seminauit, & congregat vbi non sparsit*; id est, quasi ibi exigat lucrum & fructum operum, vbi non dedit operandi auxilium. Omnibus huiusmodi lex adhuc viuit, & passiones peccatorum per legem operantur in membris eorum vt fructificent morti. Quibus autem lex mortua est, nec amplius rigidus exactor, sed bonus &

Lex quibus viuit.

Matth. 25

mus & necessarius magister videtur; illi n
sunt in carne, sed in Spiritu; nec passio
peccatorum per legem, sed affectiones p
tutum per gratiam in illis operantur; q
Spiritus Christi participes facti sunt, & i
ctificant Deo.

Quid nunc Caluinus ad hunc locum,
prioris sententiæ exegeticus est, eamque
ponit? *Ostendit* (inquit) *quàm perperam*
zelotæ sub eius imperio adhuc detineant
Quamdiu enim dominatur ac viget literalis
doctrina absque Christi Spiritu, non cohibetur
nis lasciuia, sed potiùs ebullit. Est manifesta
sus Apostolici corruptio, eademque absur
Putat semper (aut potiùs putare se fing
quia alia via loci euidentiam pro morte
gis, quoad seruilem eius timorem, à quo
su abhorret, euadere non potuit) loqui
Apostolum de lege ceremoniali, quùm
in sequentibus versiculis, prosequens A
stolus hanc disputationem, de lege man
torum se loqui apertissimè demonstret.
enim quum de lege dixisset, quòd *mortifi*
sumus legi, quòd passiones peccatorum per
operantur in nobis, denique *quòd soluti sum*
lege mortis, quæ omnia legem valde pertin
gere ac traducere videbantur, subiungit:
ergo dicemus? Lex peccatum est? id est, pecc
propria causa? *Absit. Sed peccatum non cogn*
nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam
lex diceret, Non concupisces. Manifestum

Apostolici sensus manifesta corruptio.

Apostolũ de lege mandatorum loqui probatur.

facit aduertere & videre volenti, de qua lege hactenus loquutus est. Alioqui quàm ridiculum foret, ad obiectionem factam de lege ceremoniali, responsum formare de lege mandatorum & morali, ad quam præceptũ hoc pertinet, *Non concupisces* ! Caluinus ergo de lege ceremoniali hæc & præcedentia Apostoli verba exponens, sensum eius deprauat; vt meritò Beza ipsemet ab eo hac in parte receserit. Deinde absurdum est, quòd dominante ac vigente literali legis doctrina absque Christi Spiritu, non cohibetur carnis lasciuia, sed ebullit. Absurdum, inquam, est, literali legis doctrinæ vigenti carnis lasciuiã tribuere, vt (sicut Apostolus loquitur) *per legem* ceremonialem *passiones peccatorum* operentur *in membris carnalium*. Non enim satis est dicere, iuxta Apostoli sententiam, vigente literali legis ceremonialis doctrina absq; Christi Spiritu, lasciuiã carnis ebullire: quum idem sit verũ de vigente lege naturæ absque Christi Spiritu. Vtrobique enim causa tota lasciuiæ ebullientis, est absentia Spiritus Christi, sine quo carnis lasciuia non prohibetur, sed ex natura corrupta ebullit. Sed Apostolus de illa lege loquitur, non solùm cum qua, sed *per quam passiones peccatorum operantur in nobis*: id est, quæ sit aliqua causa ebullientis lasciuiæ carnis; causa autẽ non propria, sed (vt postea explicat) *per occasionem*, quatenus videlicet naturæ hominis corru-

Caluiniani sensus absurditas.

ptio, accepta illa lege absque Spiritu Christi magis irritata fuit ad peccandum. Quæ autem lex cerimonialis nec vllũ peccatum prohibeat, nec vllam virtutem præcipiat, sed exterius tantùm cultus præscribat, qui absque interno aliquo virtutis actu (non quidem ad meritum, & vt sint virtutũ opera, sed) legitimè exerceri poterant, illa lex per occasionem ad peccandum in moralibus irritare, & sic præuaricationem augere non potuit. Absurda igitur est Caluini hoc loco sensus Apostolici deprauatio. Quare quæ postea de hac lege Caluinus subijcit, exponens illa verba, *Passiones peccatorum per legem operabantur, hoc est, legis opus, si non accesserit interior ille magister Spiritus, corda nostra magis accendere, vt in prauas cupiditates ebulliant*, de lege mandatorum disertissimè exponit post Apostolus, sicuti iam suprà ostendimus. De lege cerimoniali nec vnum hîc verbũ Apostolus facit, nec vllo modo verum hoc esse potest. Qui enim cerimonias legales nõ literaliter seruabant, *quamquam signa rerum spiritualium* (ait S. Augustinus) *pro ipsis rebus obseruabant; nescientes quò referrentur, id tamen insitum habebant, quòd tali seruitute vni omnium quem non videbant, placerent Deo.* Erat igitur literalis illa legis custodia cultus aliquis Dei, sed legalis; nec sine Spiritu Christi ad prauas cupiditates accendebat, sed sine spirituali intellectu in seruitute & pædagogia legali pu-

De doct. Christ. lib. 3. c. 6.

gulum tantisper detinebat, huiusmodi tamen quæ esset veri Dei cultus, verus ac legitimus, non impius aut miserabilis, qualis Gentium erat, vt eodem in loco demonstrat Augustinus. Sed erunt hæc omnia ex ijs, quæ proximè sequuntur, clariora : vbi & causa ostendetur, cur à lege mandatorũ ad legem ceremonialem Apostoli verba deflectere ac detorquere Caluinus voluerit.

6. *Nunc autem soluti sumus à lege mortis, in quâ detinebamur ; ita vt seruiamus in nouitate Spiritus, & non in vetustate literæ.*

QVomodo antea dixerat *passiones peccatorum per legem operari in membris carnalium*, nunc à contrario demonstrat, ab illis videlicet qui non sunt carnales, sed spirituales. *Nunc autem* (inquit) id est, per Spiritũ Christi, quem accepimus, & cui iam desponsati sumus quasi nouo marito ; *soluti sumus à lege mortis*, id est, liberati sumus à lege quatenus erat mortifera & litera occidens, iubens & non adiuuans, ideóque præuaricationẽ augens ; *in qua detinebamur*, id est, sub qua ante gratiam Christi seruiliter detenti sumus ; quasique sub iugũ missi, eius terrore animos nostros semper occupante atque turbante. Nunc autem *ita* liberati sumus ; *vt seruiamus* Deo, voluntatẽ eius facientes, legisque mandata seruantes ; *nõ in vetustate literæ*, id est, non in ea carnalitate veteris hominis, quam sola

A lege mortis quomodo dicatur soluti.

litera legis per occasionẽ occidẽs auxit in nobis (hoc enim in sequentibus versiculis suppositis apertè demonstrat) *sed in nouitate Spiritus*, id est, in ea mentis renouatione quã Spiritus Christi, *Spiritus Sanctus, per charitatem cordibus nostris diffusam* operatur in nobis.

Rom. 5.

Quid hîc Caluinus? Ait *nos tum à lege liberati, quum ab eius rigida exactione & maledictione absolutos, Spiritu suo nos imbuit Deus, quo ea in nobis suis ambulemus.* At quid hoc ad legem ceremonialem, de qua hîc loqui Apostolũ vidit? Quis ignorat ab illa lege nos in totum liberari, ita vt nulla iam nos ceremonialis legalis astringat, nõ solùm à rigida eius exactione, quatenus summam perfectionem requirebat, vt nihil planè eorum, quæ præscripserat, intermitti deberit? Deinde qui illam legem ceremonialem exactissimè seruabant, & sub eius rigida exactione & maledictione cõtra trãsgressores viuebant, Spiritu S. non carebant, vt in vijs Dei ambularent. Nisi fortè aut nullos temporibus veteris Testamenti in vijs Dei ambulasse, aut absq; Spiritu Dei ambulare potuisse, cũ veteribꝰ Pelagianis existimet Caluinus. Hîc ergo per legem mortis à qua soluti sumus, legem mandatorum, quoad eius rigidam & seruilem exactionem, necessariò intelligere, aut planè absurdissima dicere debet Caluinus. Iam ad illa Apostoli verba, *In nouitate Spiritus, Spiritum litera opponit* (ait Caluinus

Lex ceremonialis nullo modo obligat.

Legis ceremonialis rigida exactio non carebat Spiritu Sancto.

quia antequam ad Dei voluntatem voluntas nostra per Spiritum S. formata sit, non habemus in lege nisi externam literam, quæ frenum quidem exterius nostris actionibus injicit, concupiscentiæ autem nostræ furorem minimè cohibet. Verissima hæc sunt. Sed de lege mandatorum, quatenus per externam solummodo doctrinam terret tantùm, frenatque ex timore pœnæ actiones externas, ne liberæ transgressioni habenæ laxentur, animi verò appetitum sensualem non cohibet, non coërcet, hoc totum intelligi debere, quis non videt? quis nõ aduertit? Ceremoniæ legales nullum frenum externis nostris actionibus, quas praua concupiscentia excitabat, injiciebãt, nec circa huiusmodi actiones aut frenandas aut laxandas vllo modo versãbantur. Qui maximè in veteri populo spirituales ac sancti erant, vt sancti Prophetæ, & ipse inprimis Dauid Propheta regius, cæremonias Mosaicas exactissimè seruabant, & tabernaculum aut templum frequentabant, festa, sacrificia à Mose præscripta religiosissimè celebrabãt: de quo nemo dubitare potest. Non ergo illarum rigida exactio spirituali nouitati cõtraria erat, aut vllum prorsus impedimentum. Ita Caluinus ipse textũ Apostoli aliter exponere non potuit, nisi ea diceret, quæ ad legem mandatorum, quatenus seruiliter imperando mortifera erat, necessariò pertinent.

Spiritus nouitas vetustati literę quo modo opponitur.

Denique per legem mortis hoc loco le-

Legis rigida exactio est seruilis timor legis.

gem mandatorum, iuxta illam rigidæ exactionis qualitatẽ quam toties diximus, Apostolum intellexisse, illa eius verba paulò post sequentia luculenter demonstrant: *Inuentum est mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc est mortem.* Hæc est lex mortis, à qua solutos nos mus per gratiam Christi. *Mandatum sanctum & iustum, & bonum est* (ait Apostolus) nec ipsum per se factum est nobis mors. *Sed peccatum, vt appareat peccatum*, id est, fomes ipse peccati & sensualitas naturæ depravatæ quanta in nobis esset, manifestum fieret, per *bonum operatum est mortem*, id est, quod erat se bonum, vertit in malum; *vt fiat supra modum peccans peccatũ per mandatum*; id est, vt manifesterur tota malitia peccati quod ex mandato sancto maiorem accepit prævaricationis libidinem; sicut aranea naturam suam venenatam in eo maximè ostendit, quòd ex suauissimo flore venenum hauriat; & hæretici ipseque inprimis hoc loco Caluinus, pernaciam suam & fallẽdi libidinem in eo maximè ostendunt, quòd ex ipsis diuinissimis Scripturis suos errores hauriunt, vt sit hoc modum errans error per Scripturas. Lego, id quod iustum ac sanctum est prudens, per se bona ac sancta est; sed infirmis corruptis animis nõdum Spiritu Christi imbutis & gratia sanatis, causa mortis est noxia, sed non mala. Quod apta admodum similitudine expressit S. Augustinus hoc loco

locum pertractans. *Quod* (inquit) *est oculis sanis ad videndum solem, hoc est gratia mentibus ad implendam legem. Et sicut oculi sani non solis delectatione moriuntur, sed illis ictibus asperis radiorum, quibus reuerberati, in densiores tenebras pelleburtur; sic anima quæ per charitatem Spiritus salua facta est, non iustitiæ legis mortua dicitur, sed illi reatui & præuaricationi, quam lex per literam, cùm gratia defuit, faciebat.* Hæc ille. Sed totum hunc sensum legis mandatorum per occasionem mortiferę, & liberationis nostrę per Christum ab eadem eius qualitate mortifera & accidentali malo, quem tam perspicuè docet Apostolus, fugit quasi à facie colubri Caluinus, fugiunt & alij hæretici, ne veram libertatem ex gratia Christi nobis collatam, spiritualem & sanctam, qua *liberè seruimus iustitiæ*, vllo modo agnoscant; suamque commentitiam libertatem, penitus carnalem & impiam, vt nullo legis vinculo conscientię obligentur, substituant. Ad quam impietatem luculentiùs retegendam, verumq; ac germanũ Apostoli sensum à corruptelis Caluinianis vindicandũ, hæc Apostoli loca accuratè ad literam tractare voluimus.

Contra Faustum lib. 15. c. 8.

Notandum verò quòd in sequentibus sententijs, *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? &c. de lege mandatorum agere Apostolum* agnoscit Caluinus. Sed quomodo ab altera lege ceremoniali, de qua hactenus toto hoc capite agere Apostolum voluit, ad hanc mandato-

Caluini tergiuersatio ex ipsomet refellitur.

rum deflexerit, aut quomodo de illa prius disputãs, nũc de hac quæstionẽ moueat Apostolus, nihil prorsus adfert Caluinus, quod nec adferre potuit quũ luce clarius sit, de eadem nunc lege Apostolum quærere, an illi peccatum sit, id est, vt ipsemet Caluinus exponit, *an illi culpa peccati imputari debeat*, contra quã tam multa priùs in hanc sententiam dixisse visus erat, dicens quòd *per illam peccatorũ operabantur*, & quòd illa esset *lex mortis in qua detinebamur*. Ita Caluini silentium oculum demonstrat, studio illum & ex obstinata malitia veritatem orthodoxam declinasse, nouumque figmentum suum de lege ceremoniali substituisse.

7. *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret Non concupisces.*

Concupiscentia in decalogo prohibita quæ.

QVia doctrinam de concupiscentia vehementer deprauarunt moderni haretici, obseruandum est, concupiscentiam hoc loco & in decalogo prohibitam, nec esse

1. sam concupiscibilitatem, quæ pars animæ concupiscibilis dicitur, estque potentia naturalis tam ad bonum quàm ad malum indifferens, qua etiam primus homo in statu

2. innocentiæ non caruit; nec esse solam carnalem concupiscentiam, quæ proprio nomine libido dicitur (quamuis etiam cuiuscunque cupiditatis hoc sit generale vocabulum, lib. 14. cap. 15. de Ciuitate Dei docet

gus

guſt.) nec eſſe totam ſenſualitatem, *vt ſenſualem animi motum ſecluſum à ratione ſignificat*, ſicut eam definit Auguſtinus de Trinitate lib. 12. cap. 12. quæ totam inferiorum virium rebellionem & deprauationem ex peccato originali inuectam complectitur, quæ vocatur infrà *lex membrorum*, quia eſt impetus quidam ſenſualitatis, in brutis quidem dominans, ideóque ſimpliciter lex, in homine originali iuſtitia deſtituto pœnaliter eũ conſequens, vt docet S. Thom. 1.2. q. 91. ar. 6. 3.

Hanc ſuprà cap. 6. vocauit Apoſtolus *corpus peccati*, propter paſsiones peccatorum quæ operantur in corpore. Infrà quoque vocat *legem peccati*, quia inclinat ad omne ferè peccatum. Vocatur etiam *vetus homo qui corrũpitur ſecundũ deſideria erroris*, id eſt, falſa: & interdũ *caro*, vt ibi, *Caro cõcupiſcit aduerſus ſpiritum:* quia quicquid carnaliter & ſecundũ carnem fit, ad hanc corruptionem & ſenſualitatem ſpectat: quam & Auguſt. vocat *radicem peruerſi amoris & erroris, ex qua innumera mala proueniunt*; & tandem *fomitem peccati*, epiſt. 29. & alibi ſæpe. Sed concupiſcentia & ſenſualitas hoc loco pro eius malis fructibus accipitur; non quidem omnibus, ſed quos per conſenſum ſuperioris rationis parit: vt ſic nec ipſam in ſe habitualiter inhærentem concupiſcentiam ſignificet, *à qua tentatur vnuſquiſque*, vt Iacobus docet; nec etiã primum eius motum & actum, ſeu, vt Iacobus loquitur, 4.

Epheſ. 4

Gal. 5.

De ciuit. Dei lib. 22. cap. 22

Iacob. 1.

partum (*quum enim conceperit, parit peccatum*) seu huiusmodi eius partū & actum, qui (per consensum) *consummatus generat mortem.* Vide Lib 6.c.3 Augustinum ita distinguentem contra Iulianum Hanc enim per se concupiscentiam seu sensualitatē, eiusque primos motus & desideria prava decalogus per modū obligationis nō prohibet, sed actū & cōsensum interiorē, quē nulla lex humana punit, quēque magni peccatores absque prohibente lege peccare esse nesciunt. Quæ quidē praua desideria primosque motus in nondū renatis per Christum iuxta Augustini doctrinā quodammodo peccata sunt, Cont. Iul. lib. 6.c.5. cuius causam assignat epistola: quia *vnum adhuc cum Adamo sunt*, à quo illa traxerūt. Quę tamē eius doctrina sic intelligenda est, vt tales inuoluntarij motus propriè peccata nō sint, & homo infidelis huiusmodi motus sentiens, sed non consentiens, hoc præceptū, *Non concupisces*, nouo semper peccato non violet; sed quòd tales motus, quum peccati originalis in infideli nōdum remissi fructus sint, peccati quandā rationē induant, sicuti pollutio nocturna ex praua cogitatione diurna orta peccati rationem induerit, vtcunque inuoluntaria, & non per se nouum peccatum. Sed hæc concupiscentia in ipsis nondum renatis, quatenus culpabilis sit, & in peccatum potiùs imputetur quàm propriè peccatum sit, olim distinctiùs explicatum dedimus in opere nostro de Iustificatione

Concupiscentiæ primi motus in nō renatis quomodo peccata.

tione lib. 1. cap. 12. & lib. 3. cap. 3. & 5. Aliquo tamen sensu etiam ipsis renatis hæc ipsa in se concupiscentia, quoad primos eius motus prauaque desideria, in hoc præcepto continetur, non quòd sub pœna peccati mortalis aut venialis obliget hoc præceptũ, nisi quoad mentẽ & interiorẽ eius consensum (quo sensu Augustinus rectè negat hoc præceptũ ad presentẽ vitã pertinere, de Spiritu & lit. c. vltimo, & contra 2. epist. Pelag. lib. 3. c. 7.) sed quòd doceat naturæ morbũ & quærere medicũ, & ad quotidianũ profectũ docendo inciter; quod multis in locis docet Augustinus de nupt. & cõcup. lib. 1. cap. 29. epist. 200. & in libro de perfectione iustitiæ, & alibi.

Concupiscentia primi motus quomodo prohibentur.

Caluinus suum hîc iudicium interponit S. Augustino aduersa fronte contrarium. *Hoc* (inquit) *vltimo præcepto, Non concupisces, tantam à nobis integritatem Deus exigit, vt nulla nos vitiosa cupiditas ad malum sollicitet, vtcunque non accedat consensus.* Sed huius nouellæ sentẽtiæ, planeque absurdissimæ, & D. Iacobi verbis citatis contrariæ, quam rationem adfert? Hanc vnicam, *quòd in superioribus decalogi præceptis damnauerat haud dubiè Deus quoscunque prauos affectus animi nostri concipiunt, hic autem ipsos appetitus quibus titillamur.* Quæ ratiuncula nihil probat. Tametsi enim præcepta illa, *Non furtum facies, Non mœchaberis, Non occides*, mentalem haud dubiè mœchiam & homicidium aut furtũ solo animo deliberatum

*Caluini ratiuncula propter quam S. Augustino se opponit, refellitur.

tum non secus quàm externos actus prohi-
buerunt; tamen quia Iudæi homines, valde
literales & crassi, non ita illa verba intelle-
cturi erant, additum erat hoc vltimum pre-
ceptum contra mœchiam mentalem, & in
alienæ concupiscentiam solam. Quod ade
verũ est, vt propterea Iudæi nec ipsam alienæ
vxoris concupiscentiam, aut alienæ rei ap-
petitionẽ alia ratione quàm quatenus cum
iniuria proximi coniunctæ erant, necinho-
micidij prohibitione omnem animi prauum
ex ea parte affectum prohiberi existimarint. Hac enim de causa docuit Christus Iu-
dæos in prima sua prolixa concione, men-
lem mœchiam in vniuersum prohiberi, om-
nemque prauum contra proximũ affectum,
omnem iram & contumeliam contra legem
Dei esse: frustra sanè id facturus, si in sin-
lis illis præceptis hæc omnia comprehen
priùs intellexissent. Deinde, propterea di-
stinctis præceptis in decalogo mœchia men-
talis & furti concupiscentia distinctè prohi-
bentur, quia magis sunt homines ad libidi-
nem & auaritiam procliues, quàm ad iram,
magisque illa duo quasi naturalia & minùs
vitiosa putamus (quia altera ad speciei, alte-
ra ad individui conseruationẽ spectat) quam
odium illud proximi quod ad cædem pro-
rumpit, aut ad eam perpetrandam commo-
uet. Sanè Iosephus, homo Iudæus, & Iudai-
carum legum peritissimus, Polybium histo-
ricum

Præcepto postremo cur auari-tia & mœ-chia mẽ-talis pro-hibita.

ricum hoc nomine reprehendit, quòd Antiochum ideo miserabiliter perijsse scribat, quia Dianæ templum diripere vellet. *Nam (inquit) voluisse tantùm ac non etiam perfecisse sacrilegium, non videtur res digna supplicio.* Hæc ludæus ille. Vnde facile est colligere, quomodo legem suam Iudæi intellexerint, sacrilegia non secus quàm homicidia, furta, adulteria, prohibentem. In illo igitur præcepto, *Non concupisces*, ipsi praui affectus deliberati mœchiæ & furti distinctè & disertè per modum interdicti obligantis prohibentur, non ipsa praua desideria quæ inuoluntariè surgunt, & absque consensu transeunt.

Antiquit. Iud. lib. 12. c 13.

Sed quid? an ipsos appetitus primos absque consensu in hoc præcepto sic prohiberi existimat Caluinus, sicuti in alijs præceptis præcedentibus affectus praui deliberati haud secus quàm actus externi prohibentur? Ad hoc respondet: *Paulus se reatum suum deprehendisse ex hac lateni morbo dicit. Vnde sequitur, quicunque eo laborant, minimè esse excusabiles, nisi quatenus culpam Deus ignoscit. Tenenda interim est illa distinctio inter prauas libidines quæ ad consensum vsq; perueniunt, & concupiscentiam quæ sic cordi titillat & afficit, vt in medio impulsu subsistat.* Et paulò superiùs dixerat: *Multum inter deliberatam voluntatem interest, & appetitus quibus delectamur.* Statuit ergo ipsos primos impulsus damnabiles esse (sicuti alibi loquitur) & inexcusabiles, vt hîc dicit: tenendam tamen esse

esse distinctionem inter illos & consensum illis datum. Atqui quæ sit hæc distinctio quod discrimen, impostor non dicit, nec aperit. Coëgit enim summa ratio aliquam distinctionem agnoscere. Et quidem iam Lutheranos, qui inter veniale & mortale peccatũ aliquo modo distinguũt, etsi præposterè (vt alibi ostendimus) hęc distinctio aliquo modo retineri potest: sed iuxta Caluini doctrinam, quæ totam hanc distinctionem subsannat, omnéque peccatum ex sua natura damnabile ac lethale esse pronunciat, nec veniale peccatum nisi ab euentu agnoscit, id est, cui per Christi gratiam venia facta est, tota hæc distinctio non nisi fucus & fabula est. Nec aliam ob causam huius distinctionis hoc loco mentionẽ fecit Caluinus, quàm vt lectori fucum faceret, planeque illuderet. Distinctio vera inter vtrumq; est, quòd ipsa praua desideria absque consensu nulla prorsus peccata sunt, quæ reũ hominẽ teneant, sed vitia naturæ corruptæ; consensus autem adiectus veri nominis peccatum facit, idque pro subiectæ materiæ diuersitate, vel ex imperfectione actus, peccatũ aut veniale, aut mortale. Qua de re alibi plura disputauimus.

De iustificat. lib. 12. cap. 7.

Vbi suprà c. 2 & seq.

9. *Ego autem viuebam sine lege aliquando.*

DVpliciter hunc locum corrumpit Caluinus. Primùm, quoad vitam sine lege, de qua Apostolus loquitur: tum de persona eius in qua loquitur. Ad prius quod attinet. *Istud* (inquit) *viuebam, habet propriam connotationem: quia absentia legis faciebat vt viueret, hoc est, inflatus iustitiæ suæ fiducia, vitam sibi arrogaret, quum tamen esset mortuus.* Quo sensu vix quicquam absurdius fingi potuit. Inflatum esse iustitiæ suæ fiducia apud Paulum, eum propriè significat, qui in lege & per opera legis iustitiam quærit; nõ in fide, neque in gratia Christi. Ideo docet, *non per legem factorum, sed per legem fidei exclusam esse gloriationem.* Quia videlicet illi propriè in seipsis gloriantur, qui in lege factorum fiduciam quærunt. Eandé quoque ob causam, vt *omne os obstruatur*, id est, vt nemo iustitiæ suæ fiducia infletur, pronunciat, *quòd ex operibus legis non iustificabitur omnis caro*, tum in hac epistola, tum ad Galatas. Viuere autem sine lege, hoc loco non aliquam iustitiæ propriæ opinionem, sed altissimũ omnis iustitiæ neglectum atque contemptum significat: quod verba proximè præcedentia satis ostendunt: *Sine lege peccatum mortuum erat*, id est: Vbi nulla lex redarguebat peccatum, nullus erat peccati sensus, nulla conscientia. Moxq; hoc ostendit non in persona sua (quæ secunda est Caluini

Caluini sensus absurdissimus refellitur.

Rom. 3.

Sine lege viuere, quid significet.

uini hoc loco corruptio) sed in persona maximorum peccatorum, qui ante legem scriptam sine conscientia peccati viuunt, idque adeò, vt legem naturæ in cordibus scriptam penitus obliuiscantur, de quibus statim subiungit: *Sed cùm venisset mandatum, peccatum reuixit*, id est, patefactum est, mihique mag- Vers. 10. innotuit. Vnde antea dixerat, *Peccatum non cognoui nisi per legem.* Sine lege ergo adeò pro- Vers. 7. priæ iustitiæ fiduciam non habent peccatores, vt absque vlla iustitiæ cura aut consideratione toti peccatis indulgeant, sine vlla aut sensu aut conscientia peccati.

Sed probare conatur Caluinus Paulum in sua persona hæc verba dixisse. *Quamuis* (inquit) *fuerit eruditus à puero in doctrina legis, tamen illa erat literalis Theologia, quæ suos discipulos non humiliat.* Quo verbo damnat omnes (quotquot erant) Iudæos eruditos in lege, inter quos tamen fuerunt, etiam ipso Christi tempore, Zacharias ille cum vxore Elisabetha, Luc. 1. *ambo iusti ante Deum, Simeon iustus, Nathanael* Ioan. 1. *verè Israelita*, & alij sine dubio innumeri. Sed & hoc suum paradoxum, cum insigni calumnia coniunctum, probare vult. Nos (inquit) *sicut alibi dicit velum interpositum esse, ne lucem vitæ in lege conspiciant Iudæi* (2. Cor. 3. 24.) *sic etiam Paulus ipse, quantisper Spiritu Christi vacuus velatos habuit oculos, sibi in externa iustitiæ larua placuit.* Atqui illud velamen, de quo ibi Paulus loquitur, incredulitatis velamen

Caluini alia corruptela.

erat propagato iam Euangelio Christi, non aliqua externa iustitiæ larua. Neque Paulus ante notitiam Christi, externã tantùm habuit iustitiæ laruam, sed ex adiutorio Spiritus S. quo veteres iusti non carebant, seruiuit Deo in iustitia & sanctitate: nisi fortè impio Caluino magis hac in re credendum sit quàm ipsimet Paulo: qui de seipso hunc in modum scribit, nõ vanæ iactantiæ causa, sed ad necessariam authoritatis suæ tutelam: *Secundùm iustitiam quæ in lege est, conuersatus sum sine querela.* Et iterũ: *Gratias ago Deo, cui seruio à progenitoribus meis in cõscientia pura.* Et rursum: *Ego omni conscientia bona conuersatus sum ante Deum usque in hodiernum diem.* Non ergo sic viuebat aliquando Paulus sine lege, vt eruditus in doctrina legis externam iustitiæ laruam referret, quasi totus interea peccato immersus, *sepositæ legis cogitatione peccaret, & sic sopitum in eo peccatũ esset, vt is propè mortuũ videretur. Conuersatus est secundùm iustitiã quæ in lege est*: ergo non fuit in eo sepositæ cogitatio legis, neque sine lege viuebat. *Seruiuit Deo in conscientia pura*: ergo non in externa iustitiæ larua. *Conuersatus est in omni conscientia bona ante Deum*: ergo veram coram Deo, non externam tantùm, iustitiam coluit. Rursum Paulus hoc loco (ait Caluinus) *de ebria confidentia loquitur, in qua desident hypocritæ, dum sibi adulantur, quia ad peccata sua conniuent. Nam & ipsi Paulo detexit mandatum quanta prauitate scatcrent intima cor-*

Paulus ante notitiam Christi iustus.

Philip. 3. 2. Tim. 1.

Act. 23.

dis sui, & simul occidit. At quomodo talis ebri confidentia, talis hypocritica desidia, tam prauitas in intimo cordis scatens, in Paulum caderet, *conuersatum sine querela secundùm iustitiam quæ in lege est*, id est, qualem lex docet iusta, & sancta, & bona? Non dicit iustitiam ex lege, quasi ex sola doctrina legis sine Spiritu Dei literalem iustitiam tenuisset. Deinque talem suam iustitiam describit, qualem in personis Zacharię & Elisabethæ Euangelium commemorat, dicens: *Ambo iusti erant ante Deum, ambulantes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini, sine querela.* Deinde hypocritica desidia *non seruit Deo in conscientia pura*, sicuti de se Apostolus affirmat. Potius mò, qui *in omni conscientia bona conuersatus est Deū*, eius intima cordis prauitate non scatet, sed planè pura sunt. Quomodo ergo dubitari potest Paulum de sua persona in his verbis non loqui, sed de illo hominum statu qui sine sensu & conscientia peccati quasi exanimes viuunt, aut nulla lege accepta, aut omni cogitatione legis sepositâ, sopitâ, & obrutâ?

Caluiniana corruptelę causa notanda.

Sed quare Caluinus totum hunc locum tam manifestum duplici corruptela depravare voluit? Hanc vnam ob causam, ut veram Apostolicæ disputationis lineam minimè fateri cogeretur, legem externam peccati causam seu occasionem potiùs esse, quatenus sine gratia Christi terret, non delectat, docet, non adiuuat; conuincit peccatorem,

tionem iustificat: quia comminatur, & seruili timore sub iugo tenet, irritando magis concupiscentiam, & præuaricationem augendo. Hoc nũquam ex Pauli litera agnoscere Caluinus vult, ne verum gratiæ effectum fateri cogatur, quæ hunc terrorem tollit, & *prauа in directa, aspera in vias planas conuertit*, sicuti de Christi gratia prædictum fuit. In hunc finem, & vt commentitiũ suum legis rigorem, quoad perfectam eius obseruationem (quam nulla Scriptura docet) stabiliat, hæc ita verba deprauauit, deprauaturus mox & alia, vt in proximo textu videbimus. Luc. 3.

9. *Sed cùm venisset mandatum, peccatum reuixit.*
10. *Ego autem mortuus sum, & inuentum est mihi mandatũ quod erat ad vitã, hoc esse ad mortem.*

PErgit Apostolus in eo peccatore describendo qui sine sensu & cõscientia peccati vitam agens, omni scelere & maleficio contaminatam, tandem audito mandato Dei peccatum prohibente, pœnasque peccato comminante, pro eo quòd Dei voluntatem amplecti & à peccato desistere debuit, magis ad peccandum irritatus, & maior præuaricator effectus est. *Cùm*, inquit, *venisset mandatum*, id est, intelligere legem Dei cœpissem; *peccatum reuixit*, id est, iam mihi innotescere cœpit, meque vehemẽter arguere, sensum mihi & conscientiam peccati acerbã ingerere. *Ego autem mortuus sum*, id est, mor- Peccatoris descriptio, qui audito mandato magis peccat.

tuum me esse mortiq; destinatum cognoui, quia victus à peccato, victus à dulcedine & consuetudine peccati, prohibente lege magis ad peccãdum exarsi. Atque hoc demum modo, *mandatũ quod erat ad vitam*, id est, quod mihi ideo datũ erat, vt *faciendo illud viuerem in eo*, vitámque æternã acquirerem (dixit enim legislator, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*) *fuit iam mihi ad mortem*, id est, mortis accusationis meæ tum testimonium certius, tum occasio vehementior; non sanè vitio legis, sed vitio prauitatis meæ, quod in sequenti versiculo perspicuè docebit.

Matth. 19.

Caluinus textum sibi aduersantem dissimulat.

Hîc Caluinus, agnoscens quidem abundiente mandato reuixisse peccatum, id est per legem detectum & patefactum esse, prætermisso penitus quod Paulus subiungit, *Ego autem mortuus sum*, nec illorum verborum vlla prorsus explicatione allata,) *Mandatum fuisse ad mortẽ*, hoc sensu exponit: *Quia nemo noſtrũ qui legi obtẽperet, non potest afferre nisi mortem*. Qui sensus Apostoli verbis contradicit. Dicit enim Apostolus, *datũ esse mandatum ad vitam*. Potest igitur dare vitam, nec semper affert mortem. Potest, inquam, non ex seipsa lùm, sed per gratiam Christi, id est, per fidem in Christum, *quæ per dilectionem operatur*, beneque operando mandata seruat. Nemo sanè hominum est qui absque gratia Christi legi obtemperat; falsum tamen est, quòd *non potest afferre nisi mortem*, quia cũ gratia Chri-

Caluinus Paulo cõtradicit.

Gal. 5.

afferat vitam. Sed quo sensu Apostolus dixerit, *mandatum esse ad mortem*, iam proxima eius verba lucidissimè declarãt: quæ etiã idcirco Caluinus deprauat, vt iam videbimus.

11. *Nam peccatum, occasione accepta per mandatum, seduxit me, & per illud occidit.*

AIt Apostolus mandatum factum esse ad mortem, non quia nisi mortem adfert, vt impia Caluini glossa habet; sed quia *peccatum*, id est, prauitas vitiosa cordis humani, *occasione accepta per mandatum*, id est, magis irritata per mandatum (nam *desiderij prohibiti fructus dulcior est*, ait Augustinus hunc locum exponẽs) *seduxit hominem*, id est, auxit peccandi desiderium; *& per illud occidit*, id est, per tale desiderium occasione mandati excitatum, augendo peccatũ, animæ mortem attulit. Sic non quia lex afferre vitam non potuit, sed quia prauitas humana, sine gratia Christi, legis mãdato abutitur, factum est mandatum per occasionem ad mortem. Et sic *peccatum apparuit peccatũ*, (ait in sequentibus Apostolus) id est, suam prauitatem & peruersitatem detexit, *per id, quod bonum erat, operando mortem, vt esset supra modum peccãs peccatum per mandatum.*

In exposq. quarundã propositt. in epist. ad Rom.

Vers. 13.

Hic Caluinus corruptelis suis gnauiter insistens, nec occasionem per mandatum acceptam, qualis fuerit, vno verbo enarrat; nec quomodo peccatum, occasione accepta per

Caluin. textus sibi aduersantes, dissimulat.

mandatum, hominem legi rebellem occi
vno verbo attingit; sed vtriusque explo
tione alto silentio inuoluta, in verbo, *se*
me, seductorem agit strenuum. Ac primi
illud verbum vertit, *abduxit me à via* de
cur ita verterit, vel potius peruerterit, sim
que commentitium suum sensum his ver
adiungit: *Quia* (inquit) *tunc demum e*
rem sentire incipimus, vbi Dominus alta re
coarguit; meritò dicit Paulus, vbi peccatum à
detegitur, nos à via abduci. Ergo verbum ἐξαπα
non de re ipsa, sed de notitia exponi debet: qua
cet ex lege palàm fit quan. um à recto cursu d
rimus. Ideo necessariò vertendum fuit, à via
cere, quia hinc peccatoribus, qui securè ante
bant, tædium & displicentia sui, dum se ad
properasse intelligunt, postquam peccati
lege in medium producta est. Hæc ille. Vult
postolum dicere, peccatum nos abduxi
via vbi primùm audiuit mandatũ. Sed
aut quomodo? *Quia* (inquit) *palàm nobis*
quantum à recto cursu discesserimus. Atqui
peccatũ hoc patefacit, sed lex; (vnde supe
Vers. 7. dixit, *Peccatum nõ cognoui, nisi per legẽ*; nec
hoc patefacit, seu peccatũ seu lex, abduc
via, sed potiùs reducit in viã quãtũ ex
Aberranti enim à recto cursu qui error
patefacit, id agit, vt errore relicto in rec
Caluiniæ corruptelæ duplex refutatio. viã redeat. Absurdissimè igitur dixit, q
peccatũ per mandatum abducit à viâ,
mandatum patefacit errorem; tum qui

sic *peccatū seduceret*, vel abduceret à via (quod Apostolus dicit) sed lex: (& sic lex quoq; occideret per seipsā, quia per mandatū occidit) tū quia peccatū non patefacit errorē, sed (vt ipsemet fatetur) lex & mandatū hoc præstat.

Vide igitur quot modis textum corrumpit. Quod Apostolus dixit, *Peccatum seduxit me*, hoc Caluinus dicit, *Lex seduxit me*; id est, abduxit à via, manifestando peccatum. Deinde, quod Apostolus de seductione & occisione dixit, vt peccati prauitatem ac vitiositatem ostenderet, hoc Caluinus tacita occisione (quia ibi glossam non inuenit) pro seductione, quæ vitium & vituperium notat, supponit *abductionem à via per erroris manifestationem*, quæ virtus & laudabilis res est. Abducere enim à via, *non rem ipsam* (ait Caluinus) *sed notitiam significat*: id est, non errorem, sed notitiam erroris: quæ haud dubiè salubris est, & vitam ac salutem, nō mortem, adfert: ideo de verbo, *occidit*, nihil dicere voluit. Cæterùm Apostolus de peccato dixit, non solū, *seduxit me*, sed etiā, *& per illud occidit*, id est, occasione mādati seducēdo, fallendo, illiciendo occidit. Vnūquemq; enim sua sensualitas fallit, siue (vt scribit Iacobus) *vnusquisq; à sua concupiscētia abstractus & illectus tentatur ad malum*. Quare iterū in verbo seduxit, ἐξηπάτησε με, planè lectorē seduxit, & à via veritatis abduxit Calu. Nō enim significat vox illa aut hoc loco aut alibiuisquam in Paulo,

Textus Apostolici corrupte-la varia.

1.

2.

3.

aut iuxta proprietatem verbi, *abducere nos*
tem à via per manifestationem erroris, sicuti lic
Caluinus exponit, sed propriè significat se
ducere, fallere, illicere ac pellicere in error
Rom. 16. Apud Paulum quum de hæreticis dicit, *p*
benedictiones & dulces sermones seducunt corda
2. Cor. 11. *nocentium*: & iterum, *Sicut serpens seduxit Eua*
2. Thess. 2 *in astutia sua*; & rursum, *Nemo seducat aut decipi*
1. Cor. 3. *vos vllo modo*; ac tandem, *Nemo se seducat*; legi
tur semper hoc verbum ἐξαπατᾶν, nec alio
vnquam in sensu eo vtitur Paulus, aut alio
noui Testamenti Scriptura. Impius ergo se-
ductor & impostor Caluinus, quine pro-
priam legis qualitatem, à qua per Christum
liberati sumus, agnoscat, nempe peccati re-
gno per gratiam sublato, per mandatū am-
plius non irritari concupiscentiam, aut de-
rum nobis, graue, & odiosum amplius vi-
ri mandatum, tam fœdè, tam turpiter, tam
multas Scripturas Apostolicas hoc vno
4. capite deprauauit. Notanda quoque veri-
tia qua in principio expositionis citatæ vi-
est. *Meritò* (inquit) *dicit Paulus, vbi peccatum*
lege detegitur, nos à via abduci. At Paulus n
ita impersonaliter loquutus est, quasi du-
bium relinquens quid illud esset quod nos
via abduceret; sed disertis & apertis verbis
dixit, *Peccatum me seduxit, & occidit.* Sed
Caluinus ambiguè loqui Paulum fecit, u
postea probabiliùs inferret Paulum loqu
non de ipsa seductione & occisione anim
quam

quam peccatum, occasione accepta per mandatum, operatur, sed de alia quadam abductione à via quæ fit per mandatum ipsum, quatenus errorem peccatorũ illis patefacit. Sic omnia impostoris verba diligenter expendenda sunt, qui ab eius impostoris aut ipsemet cauere, aut alios præmunire desiderat.

13. *Peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem, vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.*

Concludit hîc Apostolus illam difficultatem, quæ ex eius verbis quòd *per legem passiones peccatorum operantur* in homine carnali, & quòd legem mandatorum *legem mortis* vocauit, nasci poterat. Hactenus docuit, non legem per se aut peccatum operari, aut mortem adferre; sed ipsum in nobis peccatum, adueniente mandato, nos magis seducere, & ad peccandum allicere, atque ita per ipsum mandatum nos occidere. Quæritigitur, si per mandatum peccatum nos occidit, quum mandatum sit sanctum, & iustum, & bonum, *an id quod bonum est, mihi factum est mors?* Et respondet, *Absit. Sed peccatum, vt appareat peccatum*, id est, vt, quanta sit eius deprauatio, magis eluceseeret, (sicuti antea exposuimus) *per bonũ*, id est, per mandatum, quod sanctum ac bonum est, *operatum est mihi mortem. Tunc enim apparet peccatum*

Lex bona quomodo fiat lex mortis.

In expos. quarundam propos. in epist. ad Rom.

(ait Augustinus hunc locum pertractans) *quod latebat sine lege, & tunc se mortuum quisque cognoscit, quum illud quod rectè præceptum esse confitetur, implere non potest; & prævaricationis crimine amplius peccat, quàm si non prohibeatur. Hinc est quod in consequentibus dicit, Vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum; quod scilicet mandatum minus erat: quia vbi non est lex, non præuaricatio.* Hæc Augustinus. Et alibi: *Litera prohibens peccatum non iustificat hominem, sed potiùs occidit, augendo concupiscentiam & iniquitatem, prævaricationem cumulando, nisi liberet gratia, &c.* Sic lex bona & sancta, fit homini absque gratia *litera occidens*, & mors animæ, non vitio legis, sed vitio prauitatis humanæ, quę sine gratia quò magis à malo coërcetur, eò magis nititur in vetitum, suámque exercet peccandi libidinem.

De Spir. & litera cap. 14.

Caluinus ad hæc verba, quæ totum Apostoli sensum clarissimè aperiunt, ab Apostoli sententia lectorem suum longissimè abducit. *Sensus* (inquit) *est, oportuisse per legem detegi peccati atrocitatem.* Hoc primum non est simpliciter verum. Non enim *oportuit* (prius priè loquendo) *per legem detegi peccati atrocitatem*; neque ideo data est lex vt peccati atrocitatem detegeret (data quippe est ad vitam, *& vt faciens eam viueret in ea*) sed ipsa peccati & sensualitatis nostræ prauitas, præter institutum legis, aut legislatoris mentem, suam ipsius atrocitatem dato mandato prodidit.

Peccatum per legem detegi, nō erat legis finis.

Et, quod

Et, quod Augustinus alicubi scribit, *Lex data est vt conuinceret peccatorem*, illud (*vt*) consequationem notat, non causam, vt in diuinis Scripturis frequentissimè. Non est igitur simpliciter verum, oportuisse per legem detegi peccati atrocitatem, quasi illud causa, finis, aut proprius vsus esset datæ legis. Videamus tamen quomodo hoc Caluinus probet, aut quid ex eo inferre velit. *Quia* (inquit) *nisi peccatum immanit quodam vel enormi* (vt loquuntur) *excessu prorumperet, non agnosceretur peccatum.* Demus hoc in magnis peccatoribus ita se habere, eos peccati sensu non affici, nisi in atrocibus delictis: tamen tum alij innumeri peccatores absque hoc atroci excessu, lumine rationis nondum ita obliterato, sua agnoscunt peccata, nec deserere tamen volunt (quorum illa est apud Ethnicum poëtam vox: *Video meliora, proboq́, Deteriora sequor:*) tum etsi in omnibus omnino peccatoribus hoc locum haberet, non ob eam tamen causam per ipsam legem detegi oportuit peccati atrocitatem: sed satis erat quòd data lege ad alium finem, nempe ad vitam, non ad mortem, ipsum-met peccatum ex occasione legis atrocius fieret, suamque ipsius prauitatem proderet. Et hoc quidem Apostolus disertè docuit, non id quod Caluinus finxit.

Contra Faustum lib. 16. cap. 19.

Caluini probatio insulsa.

Sed age. Sit ita, oportuisse per legem detegi peccati atrocitatem; nec agnosci peccatum,

catum, nisi immani quodam excessu prorumpat. Quid ex eo infert Caluinus, vt sensum Apostoli explicet? *Excessus* (inquit) *hic est violentiùs profundit, dum vitam conuertit in mortem. Itaque tunc excusationi locus tollitur.* Sit hoc totum verum. Sed quid est *vitam conuertere in mortem?* Aut quomodo excessus, in quem peccatum prorupit, vitam conuertit in mortem? Aut quid hîc vitæ, quid mortis nomine intelligit? Nónne planè lectorem ludificat, &, generali quodam sermone detentum, à sensu textus Apostoli longissimè abducit? ac denique, relictis Apostoli verbis, sui cerebri somnium narrat? Dicit quidem peccatum eò se profudisse, vt vitam conuerteret in mortem, & hunc esse immanem illum excessum, quò nisi prorumpat peccatum, non agnoscitur: sed quid sit hoc ipsum, vitam conuertere in mortem, aut quomodo excessus peccati hoc facit, vt hoc excessu patrata atrocitas peccati per legem detegeretur, nihil explicat, nihil exponit; sed sicut dolosus versatur in generalibus, sic ille generali sermone vsus, dolos nectit, & lectorem ludificat. Nam aut intelligit, excessum & enormitatem peccati vitam conuertere in mortem, id est, mandatum conuertere in præuaricationem, quia dato mandato magis præuaricatur, & magis præuaricando suam atrocitatem & prauitatem magis manifestat, qui sensus orthodoxus est, ab Augustino traditus, &

Caluinus lectorem ludificat.

1.

ex li-

ex litera necessariò colligẽdus, & tunc apertè hoc dicere ac declarare Caluinus debuit; aut aliquid aliud illis verbis generalibus intellectum voluit, quod tamen apertè dicere reformidauit; aut denique nihil dicendo quod apertè intelligi posit, locum sibi maximè aduersum, (obiecta hac lectori suo caligine & verborum fumo) per has tenebras fugere, & hac arte euadere voluit. Manifestũ ac certum est, Caluinum hoc loco nec veram textus intelligentiam dicere voluisse, quia placitis suis apertè repugnabat, vt suprà accepimus; nec alijs suis cauillationibus, quomodo lex mortem operatur, hoc in loco vti ausum fuisse, quia textus apertissimè reclamat; ideoque hanc mediam viam tenuisse, vt inani verborum strepitu vsus, nihil nisi generaliter diceret, debuisse per legẽ detegi peccati excessum, quia sine hoc excessu peccatũ non agnoscitur. Hunc autẽ excessum eo se violentiùs profundere, id est, apertiùs prodere ac demonstrare, dum vitã conuertit in mortẽ; quod quid aut quale sit, diuinandum lectori relinquit: nec quod res est dicens, quia præcedentes eius varias corruptiones illa res euerteret; nec quod sentit dicens, quia hic vnus locus totum eius sensum apertè conuelleret ac conuinceret. His ille fraudibus, his technis ac dolis malis impostor vtitur, vt manifestas Scripturas, quum probabiliter corrumpere non potest, saltem eludat, inanes ac

ac inefficaces reddat. Quod orthodoxum lectorem diligenter aduertere operæ precium erit.

Cõcupiscentia in renatis verum peccatum non est.

Sed & illud hoc loco obseruandum est, horum temporum hæreticos propter vocabulum, *peccatum*, quo in hoc capite toties ab Apostolo ipsa concupiscentia eiusque primi motus designantur, pertinaciter sustinere etiam in renatis hanc concupiscentiam, eiusque quoslibet motus, etiam absque consensu deliberato veri nominis peccata esse, ideoque hominem semper peccare, vel certè semper in peccato esse coram Deo, & quamuis ex se est, etsi propter vmbraculum gratiæ tegatur, & non imputetur. Sed interpretem Sancto Augustino, quem hæretici hodie in hoc argumenti genere libenter audiunt, quamuis ab Apostolo ita vocetur, tamen veri nominis peccatum non est, sed ideo sic vocatur, *quia ex peccato facta est, sicuti pictura manus dicitur; vel quia ad peccatum mouet, vt frigus pigrum vocatur*. Vide illum libr. 1. cap. 13. contra duas epist. Pelag. Alias vero huius rei probationes vide in opere nostro de Iustificatione lib. 3. cap. 3.

14. *Scimus enim quia lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato.*

Lex quo sensu spiritualis.

QVo sensu Apostolus hîc legem spiritualem vocet, quum varijs ex causis spiritualis dici queat, vel quia à Spiritu Sancto

est, vel quia spiritus nostri directiua est, vel quia cultores eius spirituales facit, vel denique quia non nisi à spiritualibus impletur, (quem sensum reddit S. Augustinus) disputatio ipsa Apostoli docere nos potest ac debet. Pergit probare legis innocentiam ac sanctitatem; necillã ex se vel causam mortis esse, vel ad peccandum illicere; sed ipsum in nobis peccatum, sensualitatem ac prauitatem naturæ nostræ, illam esse quæ ad peccandum prouocat, & impedit quo minùs lex tota perficiatur. Lex igitur spiritualis est, nihil nisi spiritualem, purum, ac sanctum Dei cultum docet. *Ego autem carnalis sum* (ait in sua & hominis etiam regenerati persona Apostolus) & *venundatus sub peccato*: id est, vt in sequentibus copiosè explicat, carnẽ & sensualitatem gero legi rebellem.

In expos. quarundã propos. in epist. ad Rom.

Totum hunc sensum corrumpit nequiter Caluinus. *Sensus* (inquit) *est*: *Lex cælestẽ quandam & Angelicam iustitiam requirit, in qua næuus nullus appareat, ad cuius mundtiem nihil desideretur: ego autem carnalis homo nihil possum quàm illi aduersari.* Duo dicit, & in vtroque fallit ac fallitur. Prius de cælesti & Angelica iustitia quod narrat, apertè falsum est, quum non Angelis sed hominibus lex lata fuerit. Distinguere oportuit de fine legis & de obligatione legis. Legis haud dubiè finis est, nos ita perfectos ac spirituales reddere, vt Angelis tandem æquales simus; sublata videlicet ipsa concu-

Lex ad Angelicã iustitiam non obligat.

concupiscentia, & quolibet prauo mot
propter quæ ipsi in hac vita spirituales al
huc carnales sunt. Et hoc respectu non ni
in altera vita legem impleri, quia non ni
in altera vita perfectio Angelica requirit
S. Augustinus locis dudum citatis docui
Posterius quod dicit, dupliciter falsum é
tum quia Apostolus in his verbis non pon
legis & naturæ corruptæ nudam compa
tionem, sed in persona sua & hominis re
nerati etiam in hoc versiculo loquitur, sic
in sequentibus vsque ad finem capitis em
loqui Caluinus agnoscit: tum quia falsu
est, hominem extra gratiam nihil posse quin
legi aduersari, id est, nihil quàm perpet
peccare: *quod non est huius loci operosiu
exquirere. Sed Apostolum in hoc versi
culo de seipso loqui non secus quàm in se
quentibus, ideóque non esse in his verbis, le
gis, quoad perfectionem Angelicam, & na
turæ corruptæ oppositionem; sed legis pur
tati, hominis infirmitatem opponi, sequen
proximè versiculus, qui huius præcedent
causam reddit, ad oculum demonstrat, Qu
enim operor, non intelligo. Ostendit se esse car
nalem, quia quod operatur, non intelligi
Eadem ergo persona est quam hîc carnalem
vocat, & de qua in sequentibus loquitur. Si
hoc modo Chemnitius cum suis Luthera
nis totum contextum de Pauli persona ex
ponunt.

* Vide opus nostrum de Iustificat. lib. 2.

Sed

Iustus quomodo carnalis.

Sed hîc iam quæritur quomodo Paulus se carnalem vocat, adeóque venundatum sub peccato. Ex hoc enim infert Chemnitius, homines in Christo regeneratos, etsi ex parte mentis iustos, tamen ex parte carnis iniustos, ideóque nullo modo simpliciter iustos per bona opera esse. Sed breuiter cum Augustino respondemus, distinguendum esse inter hominem ex parte carnalẽ, & totum carnalem. *Quicunque* (ait Augustinus) *carnalibus concupiscentijs cedis atque consentis, totus carnalis es tu. Si autem concupiscis quidem, quod lex vetat cum dicit, Non concupisces, seruas tamen aliud quod lex etiã iubet, Post cõcupiscentias tuas non eas, mente spiritualis es, carne carnalis.* Hæc ille: & iterum alio in loco plenius: *Numquid Apostolus, quum hæc scriberet, carnalis fuit, an secundùm corpus hoc dicit? Adhuc enim erat in corpore mortis huius nondum facto spirituali, quod alibi dicit, Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Tunc enim ex toto se, id est, ex vtraque parte qua constat, spiritualis homo erit, quando etiam spirituale corpus erit. Neque enim absurdũ est, vt sit in illa vita etiam caro spiritualis, si potuit esse in hac vita, in his qui adhuc carnalia sapiunt, etiam spiritus ipse carnalis. Sic ergo ideo dixit, Ego autem carnalis sum, quia nondum spirituale corpus habebat Apostolus; sicut posset dicere, Ego autem mortalis sum. Quod vtiq; non nisi secundùm corpus intelligeretur dixisse, quod nondum fuerat immortalitate vestitum.* Hæc ille. Carnalis igitur est vir iustus, & spiritualis;

Serm. 5. de verb. Apostoli.

Cõtra 2. epist. Pelag lib. 1. cap. 10.

quia necdum est totus spiritualis, quatenus adhuc corpus habet, non spirituale, & quod spiritui per omnia obediat, sed corpus carnale motibus carnis adhuc subiectum, sicut & corpus mortale corruptioni obnoxium.

Iustus quomodo venundatus sub peccato.

Rursum, quod in Apostolo sequitur, *Venundatus sub peccato*, nõ in sensu Caluini, quod nihil aliud possit quàm peccare, & legi obuersari, sed quòd adhuc corpus gerat à corruptione non redemptum, idem exponit Augustinus his verbis: *Item quod adiunxit Apostolus, Venundatus sub peccato, ne quisquam eum non redemptum redemptum Christi sanguine existimet, etiam hoc secundùm illud potest intelligi, quod alibi ait: nos primitias Spiritus habentes, & ipsum nobiscum ingemiscimus, adoptionem expectantes, redemptionem corporis nostri. Si enim secundùm hoc sic venundatum sub peccato, quòd adhuc non est redemptum à corruptione corpus eius, vel venundatum aliquando in prima transgressione præcepti, vt habeat corpus corruptibile quod aggrauat animã; quid prohibet Apostolum intelligi de seipso dicere, quod inducit, vt etiam in ipso posset intelligi?* Hæc iterum Augustinus: cuius vna explicatio, Chemnitij cauillationi satisfacere potest ac debet.

Ibidem loco posteriùs citato.

15. *Quod enim operor, non intelligo. Non enim quod volo, hoc ago; sed quod odi, illud facio.*
16. *Si autem quod nolo, illud facio; consentio legi quoniam bona est.*

PErgit Apostolus in legis sanctitate & puritate probanda. Qui enim illam ex infirmitate carnis, non ex animi deliberata pravitate transgrediuntur, hoc ipsum quod ex carnis infirmitate operantur, *non intelligunt*, id est, non approbant, vt post Augustinum interpretatur ipse Caluinus; sed contrà, id quod faciũt ex carnis infirmitate, oderunt ac detestantur ex Spiritus sanitate. *Quod* (inquit) *odi, illud facio.* Vnde statim infert, *Si quod nolo*, id est, quod odi & vellem non facere, *illud facio*; hoc ipso meo odio & affectu contrario, *consentio legi quoniam bona est*, id est, mea ipsa hæc lucta & contradictio in meipso manifestè docet legem esse bonam, sanctam, ac iustam, me autem adhuc esse carnalem, nec hoc agere quod volo.

Concupiscentiã iustus nõ probat, sed odit.

Duplex hîc iam quæstio oritur. Prima, quid illud est, de quo Apostolus in persona sua, hominisque cuiuslibet in Christo regenerati, dicit, *Non quod volo, hoc ago; sed quod odi, illud facio*; & iterum, *Quod nolo, illud facio.* Quid est obiectum illud quod Apostolus vult agere & non agit; rursum quod odit, & non vult facere, facit tamen? Altera quæstio est de huius nolentis facere, & tamen facientis, subiecto.

Quæstio duplex necessaria.

1.

2.

subiecto. Ad priorem quæstionem quod attinet, Caluinus, quid totum illud obiectum sit, hoc modo exponit: *Queritur duntaxat si quod cupit, non posse præstare, vt ea qua decet alacritate bonum persequatur, quia tenetur quodammodo alligatus: rursum, deficere in quo minimè nolet, quia carnis imbecillitate claudicat. Non facit igitur bonum quod vult pium pectus, quia non ipsa strenuitate insistit: facit malum quod non vult quo stare desiderat, & labitur, vel saltem vacillat.* Ponit ergo Caluinus bonũ quod regeneratus vult agere, & non agit, in perfecta, constanti, & alacri legis obseruantia: malum quod odit, sed facit tamen, ponit in imperfecta obseruatione, in imbecillitate, in defectibus iustorum. Hoc non prorsus malè diceretur (etsi minimè ad sensum Apostoli) si per obseruationem legis imperfectam, vel ipsum imperfectum agendi modum, quia non satis alacriter nec iusta strenuitate plerumque bono operi insistitur, vel defectus & lapsus quotidianos iustorum intelligeret. Nunc autem (quod aduertere lector debet) Caluinus per hæc omnia intelligit, quascunque legis transgressiones, & quælibet peccata, quàm diu adest aliquis adhuc boni affectus, aliquod desiderium placendi Deo, aliquis conatus ad legem obseruandam. Sic enim hoc loco Caluinus scribit: *Paulus sub transgressione legis omnes piorum lapsus intelligit, qui nec Dei timorem nec studium rectè agendi illis excutiunt.*

Bonum quod renatus vult & nõ facit, quid sit.

Caluini sensus impius.

untiunt. Itaque negat se facere quod lex exigit, quia non præstat omnibus numeris, sed quodammodo facere conatur in suo conatu. Hæc ille. Censet ergo planè Caluinus, Apostolum hîc seipsum & alios iustos ita describere carnales, vt timorē quidem Dei habeant, studiumque rectè agendi, & aliquos conatus, legem tamen transgrediantur; & transgrediendo legē, faciāt quod oderunt, & nolunt facere, quia adhuc timēt Deum, & conantur rectè facere. Sic iuxta Caluinum docebit Apostolus, neminem impium esse, nisi qui in profundum impietatis deuenerit, de qua dicit Scriptura; *Impius, quum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Ille enim solus Dei timore excidit; ille solus studium rectè agendi excussit, & conatum omnem deposuit. Alij innumeri peccatores, etiam cum studio rectè agendi, & aliquo timore Dei, multa scelera & flagitia committunt, atque impij sunt. Nempe hoc est quod iuxta Caluinianæ doctrinę mysteria suprà ex Beza audiuimus, *mortuos nos esse peccato quamdiu in hac vita versamur, quatenus reluctatur quidem Spiritus, sed tamen non vincit.* Quamdiu ergo aliqua lucta est in animo credentis, quamdiu aliquo peccati odio aut Dei timore afficitur, tametsi succūbat semper Spiritus, & vincat peccatū, illi Caluino & Bezæ iusti sunt, quia consentiunt legi quòd bona est, & malum, quod faciunt, oderunt. Sic iterum Caluinus hoc loco ait,

Impius nemo iuxta Caluinū, nisi in summo gradu impius. Prou. 18.

Ad cap. 6. ad Rom. vers. 12.

eorum corda in lege acquiescere, & oblectari eius iustitia, qui transgressionem ipsam odio habent. Vbi tamē aliqua distinctione adhibita suam impietatem obtegere conatur. Distinguit consensum in legis bonitatē *qui ex iudicio rationis oritur*, qualem Ethnici interdum habent, quorum illa vox est,

Caluiniana distinctio ad obtegendam impietatem.

Quæ nocitura sequar, fugiā quæ profore credam,

à consensu *qui ex pio in Deum affectu oritur.* Illi (inquit) *coacti subscribunt in Dei iustitiam, à qua sunt alioqui prorsus aliena voluntate: at pius ille quoque & promptissimo pectoris desiderio consentit legis bonitati, quia nihil mallet quàm in culum euolare.* Vbi notanda est ratio quam subiungit. Non dicit quia nihil mallet quàm legem seruare; qui certè verè piorū affectus est, idemque nō leuis aliquis ac debilis affectus (quem Scholastici velleitatem vocant) sed constans, firmus, ac deliberatus affectus, ex puro ac firmo Dei amore promanans. Non hoc dicit Caluinus, quod dicere planè debuit; quia talem affectum nec in seipso deprehendit, nec in suis desiderauit: sed illud dicit, quod tam in suis quàm in seipso facilè reperiri posse non dubitauit, quodque etiam in ipsis Ethnicis reperitur, *quia nihil mallet quàm in culū euolare.* Quis demum enim hoc semper non vellet, quum beatitudinis appetitus vnicuique naturalis sit ac necessarius, eò quòd rationem finis habeat? Non ergo distinxit Caluinus consensum in legis bonitatē siue odium peccati

Caluini velata versutia expanditur.

tãi in suis, quos fingit, iustis, ab illo cõsensu & odio quæ cadunt in ipsos Ethnicos necdum pessimos, sed aliquo adhuc aut virtutis amore aut Dei timore tactos. Denique ponit pro iustis, in quorum persona Paulus loquitur, quoslibet legis transgressores, qui necdum desperatissimè tales sunt, videlicet qui adhuc Dei timorem aut rectè agendi studiũ nõ excusserunt. De hoc genere iustorum quos sibi finxit Caluiniana hæresis, in medijs sceleribus ac flagitijs iustos, plura alibi diximus, in Antidotis nostris Euangelicis. Hæc ergo Caluini expositio quàm execrabilem doctrinam foueat, facilè lector videt.

Iustitia Caluiniana.

Ad Ioan. cap. 10. ver. 28.

Audiamus nunc saniorem interpretem B. Augustinum, qui nos doceat quid illud sit quod Apostolus in persona iusti dicit se facere & nolle facere, imò odisse quod facit. *Non quod volo, ago; sed quod odi, illud facio. Quid facio? Concupisco. Etsi concupiscentiæ non consentio, etsi post concupiscentias meas non eo, tamen adhuc concupisco: & vtique etiã in ipsa parte ego sum*: quod ad alteram quæstionem pertinet, de qua in seq. versiculo. Et iterũ alio in loco plenius: *An forte metuimus ea quæ sequuntur: Quod enim operor, ignoro: non enim quod volo, hoc ago; sed quod odi, illud facio: ne fortè ex his verbis quispiam consentire carnis concupiscentiæ ad opera mala suspicetur Apostolum? Sed considerandum est quod adiungit: Si autem quod nolo, hoc facio; consentio legi quia bona est. Magis enim se dicit legi consentire*

Serm. 5. de verb. Apostoli.

Contra 2. epist. Pelag. lib. 1. cap. 10.

tire quàm carnis concupiſcentiæ. Hanc enim peccati nomine appellat. Facere ergo ſe dixit & operari non affectu conſentiendi & implendi (qui ſunt veræ tranſgreſsiones legis quas ponit Caluinus) *ſed ipſo motu concupiſcendi. Hinc ergo* (*inquit*) *conſentio legi quia bona eſt; conſentio, quia non quod illa non vult.* Hæc ille. Qui tranſgreditur legem, tametſi cum Dei timore & ſtudio recte agendi hoc facit (imperfecto videlicet aliquo & debili timore ac ſtudio, nam cum firmo Dei timore & conſtanti ſtudio recte agendi conſiſtere tranſgreſsio non poteſt) profectò ille dicere non poteſt, *Nolo quod lex non vult*, quia vult quod lex non vult. Vult enim tranſgredi & de facto tranſgreditur legem. Sic iterum Caluiniana expoſitio ſeipſam deſtruit, & orthodoxa expoſitio, quam tradit S. Auguſt., euidenter cõfirmatur. Obiectum ergo operis eius quod dum iuſtus facit, *odit & non vult facere*, nihil aliud eſt, quam ipſum concupiſcere, ſeu primus concupiſcentiæ motus abſque vllo eius conſenſu. Hunc enim ipſum motũ lex prohibet, non quidem per modum obligationis, vt volunt ſuprà Caluinus (vnde tanto faciliùs in ſententiam Auguſtini tranſire debuit, & agnoſcere quod de ipſo concupiſcentiæ motu quem à lege prohiberi Apoſtolus ſuprà dixerat, adhuc diſputat) ſed per modum doctrinæ, quia finis & perfectio legis eſt, vt omni concupiſcentia praua careamus; quod

Bonum quod iuſtus non vult facere, eſt, cõcupiſcere.

nec

nec in hac vita impletur, sed in altera; nec ad huius vitæ iustitiam pertinet, sed alterius; vt idem Augustinus frequenter docet: ideoq; cum tali concupiscentia ac motibus huiusmodi stare iustitia ac sanctitas potest: quod in hac disputatione docet diserte Apostolus, concludens, *nihil damnationis esse ijs qui in Christo sunt, qui non secundùm carnem ambulant*, id est, qui concupiscentiæ suę motibus nō consentiunt, nec secundùm illos operantur. Hęc quæ diximus de priori quæstione, adhuc in sequentibus magis elucescent. Rom. 8. 1.

17. *Nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* 18. *Scio enim quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum.*

Quæstio altera, cuius illa vox est, *Quod nolo, illud facio.*

His in verbis alteram quæstionē de subiecto nolentis malum facere, & tamen facientis, expedire vult Apostolus. Quia enim actus humani voluntarij sunt, & à voluntate aut eliciti aut imperati, ideoq; quod homo vult & potest facere, id facit; quod autem non vult facere, non facit; explicare vult cur de seipso vno & eodē dixerit, *Quod nolo, id facio.* Dicit ergo, *Non ego illud operor, sed quod habitat in me peccatum.* Quod adhuc quia obscuriùs dicitur, (quia peccatum operantis non nisi in ipso operante est; & peccatum quod habitat in homine, non aliter habitare videtur, quàm quia homo illud peccatum

operatur; & sic aut nulla aut obscura hic distinctio apparet;) vt meliùs & clariùs intelligeretur, adiecit: *Scio enim quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum.* Quibus verbis manifestè docet, peccatum illud, cui haec operationem prauam, faciendi quod non voluit facere (id est, *concupiscendi*, vt iàm ostensum est) attribuit, esse in carne ejus. Subiectum ergo illud quod in homine renato concupiscit, caro est.

Ver. 18.

Concupiscentiæ subiectũ caro.

Nunc autem alia quæstio esse potest, quid Apostolus nomine carnis intelligat. Caro enim vel ipsum inferiorem & carnalem appetitum, qui menti & superiori rationi repugnat; vel carnalem aliquem & inordinatum affectum in ipsa mente ac superiori rationi, quam voluntatem seu voluntatis consensum dicimꝰ (qui affectus prauus ac vitiosus rectus ac spirituali opponitur) significare posse videtur. Cæterùm Apostolus ne in hoc ambiguo quispiam hæreret, verbis clarissimis, quid carnis nomine intelligeret, explicare voluit: *Condelector* (inquit) *legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Hîc Apostolus verbis admodum perspicuis explicare voluit, quæ illa subiecta essent *nolentis malum facere*, & tamen *facientis* in eodem homine iusto ac regenerato, *volentis bonum facere, & facientis malum quod non vult facere.*

Caro cõcupiscens quid significet.

Ver. 22.

sum: item quid *carnis* nomine intelligat, quum dixerat, *in carne sua bonum non habitare*: & dicit se carnem intelligere quæ menti repugnat, & affectum qui in membris habitat, repugnantē voluntati quæ mētis est propria.

Leges quatuor apud Paulum.

Quatuor affectus seu voluntates sub nomine 4. legum ponit: quarum duæ duabus bellum quasi incessanter indicunt: legem Dei iubentis ab omni peccato abstinere, cui lex mentis siue homo interior (loquendo de homine iusto) semper consentit, condelectatur, & sese conformat: sed istis duabus bonis legibus aliæ duæ malæ contradicunt; lex peccati cōtra legem Dei, & lex in membris contra legem mentis pugnat: & sicuti lex mentis & homo interior in homine iusto obsequitur legi Dei, & vult bonum agere quod lex præcipit, vult omni prorsus concupiscentia prauoque desiderio carere; sic lex membrorum & homo exterior, caro ipsa, secundum suum corruptum appetitum captiuat & captiuū trahit hominem ad legem peccati, vt id semper faciat quod lex Dei prohibet, id est, *vt concupiscat*, vt motus quosdā habeat carnales, prauos, inordinatos. Ad illos vsque motus, ad illum actum concupiscendi, trahit hominem lex membrorum, lex carnis, appetitus carnalis, seu caro. Sic expositit ipsemet Apostolus quid nomine carnis intellexerit, quum diceret, *Non habitat in carne mea bonum.*

Videa-

Videamus nunc quomodo Caluinus totum intellexerit, vel potiùs studio deprauandi Scripturas, & ad sua nefaria dogmata detorquendi, intelligere voluerit. Primò Apostoli verbis contrarium docet, & sedem carnis, de qua Apostolus loquitur, in mente ac voluntate ponit, quam vult in omnibus iustis, ipsóque Apostolo Paulo, ex parte legi Dei consentire, ex parte reluctari, ex parte spiritualem, ex parte carnalem esse: sic concludat, nec legem ab aliquo regenerato vnquá seruari, nec ex operibus bonis legis obseruantia aliquem coram Deo iustum censeri; illud denique quod iustus nolens facit, & cum odio facti facit, esse plenos in sensus in malum, non solùm motus quosdam aut desideria mali quibus consensus non præbetur. Nunc verba eius aduertite: Ita (inquit) *velle & nolle* (dicente Apostolo, *Non quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, hoc facio*) *ad spiritum referre oportet, qui primas in fidelibus tenere debet. Est quidem & sua carni voluntas; sed Paulus, quod præcipuo cordis affectu appetebat, vocat voluntatem: quod cum eo pugnabat, vocat suæ voluntati contrarium.* Rursum paulò ost ad illa verba, *Iam non ego operor illud*, ita scribit: *Paulus hîc negat se totum à peccato separi, imò ab eius seruitute se eximit, ac si diceret aliqua tantùm animæ suæ parte residere peccatum.* Ecce sedem & subiectum facientis malum quod non vult, & nõ facientis bonum quod vult,

Carnis sedes iuxta Caluinum in mente renati.

vult, ponit ipsum *Pauli spiritum*, & aliquam *animæ eius partem*. Sed quæ sequuntur, absurdissimam hominis sententiam clariùs indicabunt. Exponens illa verba, *Non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum*; sic illa depravat: *Nomine carnis semper comprehendit omnes naturæ humanæ dotes, ac omnino quicquid in homine est, excepta Spiritus sanctificatione: quemadmodum Spiritus vocabulo, quod illi opponere solet, significat partem animæ quam Spiritus Dei à malitia repurgatam sic refinxit, vt in ea refulgeat Dei imago. Vtrumque igitur nomen, nempe tam carnis quàm Spiritus, in animam competit; sed alterum, qua parte est regenerata; altera, qua naturalem adhuc affectum retinet.* Hæc ille. Quum Apostolus ponat carnem in membris carnalibus, ille ponit in anima. Quum Apostolus opponat carni ipsam mentem, dicens, *Mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati*; ille in ipsa mẽte carnem ponit, vt tam mente seruiat regeneratus legi pecati quàm carne. Est enim caro pars mentis, pars spiritus, pars animæ, iuxta Caluinum: qui ignorare non debuit apud Paulum animam quidem, mentem, spiritum, ita distingui, vt hæc sanè illius sint non ipsa semper anima, quod & Augustinus diligenter docet, nunquam verò pro carne aut parte hominis carnali in homine regenerato animam accipi. Iam verò si in ipso spiritu & anima & voluntate hominis regenerati (voluntas enim actio spiritus & animæ est)

Pauli & Caluini sententiæ cõtrariæ.

Vers. 25.

1. Thess. 5. Ephes. 4.

De orig. animæ lib. 4. cap. 21.

mæ est) adhuc caro quædam est à mali
nondum repurgata, sed naturalem affect
retinens; quid aliud sequetur, nisi quod
eadem hominis iusti anima iuxta spiri
ac mentem, virtus & vitium, iustitia & pe
catum, Deus & diabolus inhabitat?
nullum peccatum Spiritum S. excutie
cum quolibet peccato Spiritus S. habi
bit. In vna animæ parte Spiritus S. in
parte spiritus nequam. In hoc videlicet
su, iuxta doctrinam Caluinianã, qui op
In Antid. Euangel. Ioan. cap. 10. 28. diaboli faciunt, filij Dei esse possunt, vt
explicauimus. Anima quippe & spiritu
parte regenerati sunt, filij Dei erunt, legi
sentient, condelectabuntur, & seruient,
cientes quod lex iubet: sed ex qua parte
dum regenerati, nec à malitia repurgati,
turalem adhuc affectum (qui non nisi
vitiosus est iuxta Caluinum) retinent,
diaboli erunt, legi repugnabunt, contra
cent, non seruient, sed eam transgredien
Caluinistæ in medijs sceleribus filij Dei. & violabunt. Inuenta est ratio qua
omnibus suis flagitijs & sceleribus se
Dei esse persuadebũt sibi Caluinistæ. Qui
enim flagitia ac scelera perpetrant, non
sinent esse regenerati à Christo, & filij De
& consentientes legi Dei, qualem hic
Apostolus describit, quia illorum spiri
ea perpetrat ex ea parte quæ necdum à ma
litia repurgata est, sed affectum naturale
retinet; ab altera autem parte, qui agnosc

se peccare, nec timoré Dei aut studiũ virtutis penitus excusserunt, consentiunt legi, & condelectantur illi, & illam iusti personã sustinent quã hîc Apostolus describit. Hæc est Caluinianę expositionis absurditas & impietas: quæ adhuc magis in sequẽtibus patebit. Infrà ad ver. 22.

Audiamus nunc saniorem Apostoli interpretem S. Augustinum, quid carnis nomine ab Apostolo intelligi iudicauerit. Ita hunc locum tractat: *Deinde dicit Apostolus: Nunc autem iam non ego operor illud, sed id quod habitat in me peccatum. Quid est, nunc autem, nisi, iam enim sub gratia, quæ liberauit delectationem voluntatis à consensione cupiditatis? Non enim melius intelligitur, Non ego operor, nisi quia non consentit exhibere membra sua arma iniquitatis peccato. Nam si & concupiscit, & consentit, & agit, quomodo non ipse illud operatur, etiam si se operari doleat, & vinci grauiter ingemiscat?* Probat efficaciter S. Doctor ex illis verbis Apostoli, *Non ego operor illud*, nullum esse in anima aut spiritu hominis consensum in malum, nec vllã operationem mali. Si animæ Apostoli opus esset facere malum quod nõ vult facere, profectò ipse Apostolus illud faceret, illud verè operaretur, & falsum esset quod dixerat, *Non ego operor illud.* Illud quippe vnusquisque facit seu bonum seu malum, quod ex voluntate & animæ suæ propria operatione facit. Non ergo hæc dicens Apostolus, *in aliqua tãtum animæ suæ parte residere peccatum dicit*, vt Cal-

Carnis nomine quid August. intelligat. Contra 2. epist. Pelag. lib. 1. cap. 10.

Caluini corrupte la efficaciter refellitur.

Caluinus modò expoſuit; ſed prorſus in nul-
la animæ ſuæ parte illud reſidere oſtendit. Si
enim in vlla eius parte reſideret, ſi ex vl
animæ operatione illud peccatum prodi
negari non poſſet, nec deberet, quòd
operaretur illud. Negat autem ſe opera
Non ergo in vlla animæ parte reſidet. Qua-
re Apoſtolus interiecta diſtinctione, de ſe
Vers. 20. de carne ſua, iterum concludit: *Si quod no*
ſupple voluntate animæ & deliberata; *id*
facio, id eſt, concupiſco; *iam non ego opero*
illud, ſed quod habitat in me peccatum, id eſt, nul-
pars animæ meę, nulla voluntas mea
operatur, ſed fomes ille peccati in carne
Serm. 5. de verb. Apoſtoli. habitans. Vnde alibi Auguſtinus hæc ver-
paraphraſticè reddens: *Nunc autem, accepta*
gratia, non ego operor illud. Libera eſt mens, non
captiua. Sed erunt iſta clariora ex ſequen-
bus Apoſtoli verbis, vbi & Caluinianæ cor-
ruptionis impietas magis eluceſcet.

18. *Nam velle adiacet mihi, perficere autem*
num non inuenio. 19. *Non enim quod*
bonum, hoc facio; ſed quod nolo malum, h
ago. 20. *Si autem quod nolo, illud fac*
iam non ego operor illud, ſed quod habitat
me peccatum. Inueni igitur legem volen
mihi facere bonum, quoniam mihi mal
adiacet.

INtegra Apoſtoli argumentatio ſimul po-
nenda fuit. Idem enim quod dixerat re-
pe-

petendo, & (vt ait Augustinus) *quasi tardissimos de somno excitando*, ostendit causam cur malum quod nō vult facere, & facit tamen, non ipsemet facit, nec ipsemet operatur, vt illi illud malum in culpam imputetur, aut ille propterea legi diuinæ rebellis ac inobediens censeatur. Ait igitur: *Velle adiacet mihi*. Quid velle, nisi id prorsus quod postea se dicit non inuenire? nempe *perficere bonum*. Dicit ergo: Desiderium perfectionis habeo; sed perfectionem boni, seu *perficere bonum, in me non inuenio*. Et quare, ô Sancte Apostole, hāc boni perfectionem in teipso non inueniſti? *Non enim quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago*. Id est: Idcirco perficere bonum non inuenio, quia adhuc cōcupisco, quod certè malum ago, sed nolo agere. Et quomodo agis tu quod omnino non vis agere? An voluntas tua cogi potest vt hoc agas, quod omnino agere non vis? Respondet ipsemet, & ostendit se hoc totum propriè non agere, quia non voluntas eius sed caro & inferior appetitus facit. *Si* (inquit) *quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud*: id est, manifestum est à mea voluntate alienum hoc esse quod facio, quia nolo illud facere. Quomodo ergo aut vnde hoc facis? *Sed quod habitat in me peccatum*, id est, peccatrix illa natura carnis meæ, de qua priùs dixi, *Non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum*, illa iuxta suum appetitū sibi proprium hoc facit,

Bonum, quod iustus vult & non perficit, quid & quale.

illa concupiſcit, illa deſiderat, illa mouet. Nihil enim aliud facere poteſt, nullã aliam actionem caro eiuſque apperitus habet, quàm vt appetant ſibi conuenientia, vt concupiſcant, vt moueant. Ad effectum nihil producere poſſunt ſine voluntatis conſenſu. Hunc conſenſum quia Apoſtolus non adhibuit, propterea dixit; *Quod nolo, illud facio*, & ex eo mox infert; *Ergo ego non operor illud*: ego non concupiſco, ſed caro mea: ego non repugno legi, ſed caro mea: ego non facio malum, ſed caro mea. *Sic volenti mihi facere bonum, volenti non concupiſcere, inueni legem*, id eſt, vel motum contrarium, qui eſt lex peccati in lege membrorũ, per quem & ex quo malum mihi adiacet; vel legem Dei quæ illud bonum diceret, ac me doceret, ſimul ego inueni per experientiam *malũ quod mihi adiacet*, id eſt, infirmitatem carnis mihi connexam & inhærentem, quæ impedit ne illud bonum, quod lex dicit, fiat, & facit concupiſcere. Sic hunc locum S. Auguſtinus tractauit: *Quod Apoſtolus dixit, Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio; hoc ideo dictum eſt, quia tunc perficitur bonum, quando deſideria mala nulla ſunt; ſicut tunc perficitur malum, quando malis deſideriis obeditur. Quando autem ſunt deſideria, & eis non obeditur; nec malum perficitur, quia non eis obeditur; nec bonum, quia ſunt: ſed fit ex aliqua parte bonum, quia concupiſcentiæ malæ non conſentitur; & ex aliqua parte remanet malum,*

De nupt. & cõcup. libro 1. cap. 29.

qua

quia vel concupiscitur. Ideo ergo Apostolus non ait, facere bonum sibi non adiacere, sed, perficere. Multum enim boni facit, qui facit quod scriptum est; Post concupiscentias tuas non eas: sed non perficit, quia non implet quod scriptum est, Non concupiscas. Adhoc ergo dicit lex, Non concupisces, vt nos in hoc morbo iacere inuenientes, medicinam gratiæ quæreremus, & in eo præcepto scireмus, & quò debeamus in hac mortalitate perficiendo conari, & quò possit à nobis in illa immortalitate beatissima peruenire. Hæcille: & paulò pòst seq capite, exponens illa verba, *Inueni legem mihi volenti facere bonum, quoniam malum mihi adiacet,* Hoc est (inquit) *Inuenio mihi legem esse bonum volenti facere quod lex vult: quoniam non ipsi legi quæ dicit, Non concupisces, sed mihi adiacet malum quod nolo, quia & nolens concupisco.* Hæc Augustinus. Cap. 30.

Caluinus conclusionē Apostolo cōtrariam infert.

Sed quid ad hæc verba Caluinus? Omnia inuertit, & in alium longè sensum detorquet. Colligere & concludere ex hoc loco vult, nulla esse iustorum opera bona absque peccato, vel, quod idem est, in omni opere bono iustum peccare, quum Apostoli conclusio sit prorsus contraria: videlicet se non peccare; & malum quod facit, non seipsum operari aut facere, sed carnis in eo vitiositatem, quæ malè concupiscere & malos motus ciere non desinit. Quam ob causam conclusionem suam confirmando ait, *Condelector enim legi secundùm interiorem hominem,* &c. ex qua parte nullum vitium ponit. *Video* Vers. 22.

autem aliam legem in membris meis, &c. & in ea parte malum quod nolens facit, ponit, quia illa pars repugnat legi mentis, & interiori homini, secundùm quem condelectatur legi Dei, & malum non facit, quia nulli malo consentit. Huic (vt dixi) conclusioni & confirmationi Apostolicæ ex diametro aduersatur Caluini hoc loco deprauatio, &, quam ex ea infert, conclusio: sic enim hunc locum inuertit: *Quum Apostolus dicit, Velle adiacet mihi, efficaciam operis negat respondent reluntati, quia remoram iniicit caro, ne exactè faciat quod facit.* At Apostolus aliter dicit, *Non enim quod volo bonum, hoc facio*, id est, impedit caro, ne omnino faciam illud bonum quod volo facere. Non dicit, *ne exactè faciam*, sed, ne faciam. Quare hæc Apostoli verba, *Non enim quod volo bonum, hoc facio*, quia sensum Caluini manifestè refutabant, intacta & indiscussa relinquit Caluinus. Alteram partem ita inuertit: *Facit malum quod non vult, quia non malo impedit sua fideles caro, ne celeriter currant, sed opponit etiam multa obstacula ad quæ impingunt. Non faciunt igitur, quia non implēt qua decet alacritate.* Quid non faciunt, Caluine? bonum neque malum? Tu de malo nunc disputas quod facere se dicit Apostolus, & non vult facere. De quo igitur concludis, *Non faciunt igitur*, &c.? de malo? Absurdum. Non enim malum aliqua alacritate implendum, sed tota alacritate fugiendum est. De bono? Cur non

Corrupte Caluiniana iustitiæ operum impossibilis fundamentum.

Caluinus textus sibi aduersantes dissimulat.

Caluini technæ euoluuntur.

non igitur apertè ponis? Planè quia aperta falsitas seipsam statim prodidisset: Apostolus enim dicit se *non facere bonum quod vult facere*: dicit se omnino illud bonum non facere, non dicit se illud bonum exactè non perficere: & addit se malum facere quod huic bono est contrarium, tametsi nolens faciat. Non de bono perfecto, aut malo imperfecto, in his verbis disputat, sed de bono & malo quæ in seipsis talia sunt. Dicit se vnum facere quod non vult, & alterum non facere quod vult. Si bonum quod non facit, est imperfecta & tarda quædam ac stupida boni operatio, cuius alacritatem caro impedit; tunc malum quod facit, erit quoque imperfecta quædã & stupida mali operatio. Quomodo enim bonum quod vult facere tardũ, stupidum, & imperfectum erit; malum autem quod non vult facere, tardum similiter & imperfectum non erit? Nisi fortè in ipso Apostolo plus valeat ac maiorem vim habeat non velle quàm velle, aut fortior in eo sit propensio ad malum quàm ad bonum; denique non solùm Spiritus non vincat aliquãdo carnem, sed ipsa caro vincat perpetuò Spiritum. An hoc Caluinus docere vult? Pulchre sanè, vt Apostolum relinquat non solùm in carne carnalem, sed etiam in mẽte, id est, totum carnalem, nulla ex parte spiritualem.

Videamus sequentia, an non verè talem

Apostolum hîc Caluinus describat. Primò (inquit) *hoc velle, cuius meminit Paulus, sine proptitudo est, dum pios format Spiritus S. vt prompti sint, suaq; membra exhibere studeant ad præstandum Deo obsequium. Quia verò impar est facultas, se reperire negat Paulus quod optandum esset, nempe boni desiderij effectum.* Ecce ingenuè fatetur, Paulum sic velle bonum, *vt studeat quidem exhibere membra sua ad præstandum Deo obsequium, sed non reperire Paulum huius desiderij effectum*: id est, Paulum reuera non exhibere membra sua ad præstandum Deo obsequium, sed contrà *exhibere membra sua arma iniquitatis peccato.* Sic enim prosequitur Caluinus: *Eadem spectat quæ proximè sequitur confessio, eum non facere bonum quod cupit, sed potius malum quod non vult, quia scilicet fideles, quamlibet rectè animati sunt, propriæ tamen infirmitatis sibi conscij, nullum à se opus proficisci culpa vacuum censent. Nam quum Paulus non de paucis delictis piorum hîc agat, sed in genere totum vitæ eorum cursum designet, colligimus, optima semper eorum opera aliqua vitij macula fœdari, vt nulla speranda sit merces, nisi quatenus illis Deus ignoscit.* Hæc Caluinus. Vult Paulum & pios omnes in toto vitæ suæ cursu habere studium & desiderium virtutis, sed huius studij ac desiderij effectum nunquam consequi, vt propterea in optimis operibus eorum, seu potiùs in optimis conatibus ac desiderijs eorum, opera maculosa proferant, quæ à Deo semper ignosci debeant; id est,

Nota lector impijssimã doctrinã

Paulus iuxta Caluinum nullum opus bonum fecit.

id est, vera peccata, nec nisi peccata sint.

Sed contra tam impiam ac prophanam sententiã nõ solùm Apostolico sensui ex diametro contrariam, vt iam ostendimus, sed & diuinæ gratiæ cõtumelioſam, (vt quę nõ aliter Spiritu Dei nos refingit secundùm Caluinum, nec aliter nos renouat, abluit, mundat, ac nouas creaturas facit, nisi vt semper ex parte operũ immundi, maculosi, fœdi, sine vllo boni desiderij effectu maneamus,) cõtra, inquam, totam hãc violẽtiam & profanã sensus Apostolici deprauationẽ, illa sola Apostoli verba inuictè valẽt, eamq; inuictè refutant, quibus dixit, & dicẽdo ex præmissis cõcludit: *Iam non ego operor illud.* Si enim Apostolus, aut quilibet pius, non operatur illud malũ quod nolens facit; profectò nec illi imputari potest illud malum, vt perpetua venia opus sit, nec tale malum aliqua erit in operibus iustorum bonis macula; quando illud ipsi non operantur. Et hoc volens Apostolus dicere, seque ab omni peccato & macula circa hoc malum immunem esse docere, sic argumentando conclusit: *Si autem quod nolo, illud facio; iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Illud factum mihi imputari non debet: illud factũ in meis bonis operibus, quibus *seruio legi Dei secundùm mentẽ & interiorẽ hominẽ*, nulla macula erit, quia hoc factũ meũ factũ non est, *nec ego operor illud*, sed est factum carnis meæ; & peccatum, quod habitat in carne

Caluini impia sententia refutatur.

Vers. 20.

Vers. 20.

Caluinus textus sibi aduersantes dissimulat.

mea, operatur illud. Et quia hæc sententia ad totam Caluini expositionem subuertendam perspicuè & efficaciter facit, eam impostor leuissimè attigit, & postremum eius membrum, *Sed quod habitat in me peccatum*, penitus non attigit. Sic enim prosequitur huius locum: *Tandem repetit Paulus illam sententiam, quatenus præditus est cælesti luce, iustitiæ legis se subditum esse testem ac subscriptorem*. Atqui illa sententia, vt iam satis ostensum est, non solum ostendit, Paulum, quatenus præditus est cælesti luce, subscribere iustitiæ legis, & agnoscere legem esse bonam (quam subscriptionem tribuit Caluinus ipsis Ethnicis, videtur tribuit meliora, & deteriora sequentibus) sed ostendit illum non operari illud malum de quo dixerat, *Quod nolo malum, illud facio*, & præterea ostendit, quòd *peccatum habitans in carne sua*, id est, vitiositas relicta in carne, operatur illud malum, id est, concupiscit & inligat ad malum. Hoc totum impostor Caluinus silentio inuoluit, &, ne ad illa verba nihil dixisse videretur, aliud dixit, quod ad rem præsentē non pertinebat. Ad rem sanè Caluini, id est, ad nefaria eius dogmata stabilienda aliquo modo illud pertinet. Sic enim ex eo infert: *Vnde sequitur, si nobis constare pura naturæ integritas, legem non fore mortiferā*. Quid ergo? Quia illa naturæ integritas nō restituitur per Christū, vt omni prauo motu careat, ergo lex manet nobis mortifera? Quorsum ergo

Paulo nō plus virtutis tribuit Caluinus quàm Ethnicis.

ergo hactenus disputauit Apostolus, legem iam non esse nobis ampliùs mortiferam? *non esse nos sub lege* quatenus mortifera? *non detineri nos ampliùs sub lege mortis, in qua antea detinebamur?* Videat lector quomodo totam Apostoli disputationem ita sursum deorsum vertit & inuertit Caluinus, vt prorsus contrarium ei concludat quod Apostolus toto hoc capite probare voluit.

Corruptelarum Caluinianarum scopus.

Addit adhuc: *Nec verò per se aduersam homini qui sana mente præditus à peccato abhorret; verùm sanitas à cælesti medico est.* Aut hîc fatetur Caluinus Christum cælestem medicum sanitatem menti nostræ attulisse, qua non solùm abhorreamus à peccato, sed & ipsum peccatum superemus, iuxta illud Apostoli, *Peccatum vobis non dominabitur*, vt sic lex nobis non sit aduersa, sed grata & iucunda, quia *condelectamur illi*; & tunc fateri debet, etiam absque pura naturæ integritate legem non esse mortiferam, (quod antea negauit) nec solùm regeneratos *subscribere iustitiæ legis*, agnoscendo illam esse bonam, ac veræ iustitiæ regulam, sed etiam implere ac facere illam; & habere *boni sui desiderij effectum*; (quod etiam antea negauit) aut hanc sanitatẽ à cælesti medico Christo nobis verè collatã esse negat; vt sensus illorum verborum, *Sanitas à cælesti medico est*, hic demum sit, in Christo esse omnem iustitiam, & mentis sanitatem, qua legem impleuit, non autem in nobis vllam

Caluinus ex suis verbis refutatur.

Rom. 6.

esse: quibus videlicet imputari Christi iustitia potest, sed vnicuique sua impertiri aut conferri non potest: & secundùm hunc sensum homines regenerati nondum sunt in ipsis sana mente præditi, nondum ipsi à peccato abhorrent, sed manet illis lex Dei aduersa atque mortifera. Vtrumlibet sensum eligat Caluinista, videt Caluinum impia & execranda docere. Sed in more Caluino est, quum punctum hæreticæ suæ sententiæ attingit, concisè loqui, & paucissimis vti verbis: vt à suis quidem intelligi vtcumque queat, ab orthodoxis verò, qui spiritu Caluini non habent, aut difficulter aut nonomnino (quod ille maximè desiderabat) intelligatur. Hæc quum sæpe in Caluino occurrant, semel atque iterum admonuisse lectorem oportuit.

Caluini techna vsitata.

Sed reuocemus iterum ad incudem illa Caluini verba, in quibus deprauationis totius circa hunc locũ punctum & cardo versatur, nempe Apostolum hoc sensu velle bonum, & non facere, *quia studet quidem sua membra exhibere ad obsequium præstandum Deo, sed manet cor suum Spiritu Sancto: sed quia impar est facultas, reperire se negat Paulus quod optandum esset, nempe boni desiderij effectum.* Ergo secundùm Caluinum Paulus, & quilibet pius, habent bona desideria exequendi virtutes quas lex iubet, & vitandi peccata quæ lex prohibet, sed non habent desideriorum suorum effectus;

Caluini doctrina omnem virtutis actionem negat, omnis peccati operationem ponit.

effectus; id est, reuera nec virtutes exequuntur, nec peccata deuitant, *quod optandum esset*, quia ad obsequium præstandum *Deo impar illis facultas adest*: id est, debita facultate carent, præstare non possunt. Sic illa nunc impia & teterrima vox ex ore Caluini auditur, quam à nullo vnquam Christiano audiri potuisse indicauit S. Augustinus: *Si Apostolus* (inquit) *de seipso dicit, Non quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio; quid sumus intellectum fratres mei? Itáne Apostolus Paulus nolebat, verbi gratia, facere adulterium, & faciebat adulterium? nolebat esse auarus, & erat auarus? Quis autem nostrûm audeat se induere tali blasphemia, vt ile Apostolo hoc sentiat?* Atqui audet hoc totum Caluinus, qui negat Paulum *reperisse boni desiderij effectum*. Bonum autem in primis desiderium est, non velle adulterari, nõ velle auarum esse. Habuit hæc bona desideria Paulus, sed non habuit effectum. Fuit ergo adulter, fuit auarus. Quare contra hanc blasphemiam subiungit paulò pòst Augustinus: *Si Apostolus ipse est in cuius persona hæc dicuntur,* (adhuc enim disputando rem ventilabat) *non sic intelligamus quod dixit, Non quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio; tanquam velit esse castus, & esset adulter; aut velit esse misericors, & esset crudelis; aut velit esse pius, & esset impius. Non ad hæc illa verba accipimus. Sed ad quid? Volo non concupiscere, & non concupisco.* Hæc Augustinus. Hic sensus nullam impietatem

Serm. 5. de verb. Apostoli.

Paulus iuxta Caluinum fuit adulter, auarus, &c.

tatem, nullam blasphemiam, nullum pe-
cati patrocinium habet, quæ omnia Cal-
sensus habet. Rursum in eodem sermone
guſt. *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum*
Non adiacet perficere, adiacet velle. Non dixit
sed perficere. Num enim nihil facis? Rebellat
piscentia, & non consentis: delectat vxor alie-
non attendis: mentem auertis, in secretarium
tis intras. Vides foris strepentem concupiscen-
Profer aduersus eã sententiã, mundãs conscien-
Nolo, inquis; non facio. Puta quia delectat.
facio, habeo cui condelecter. Condelector enim
Dei secundùm interiorem hominem. Quid tu de-
ne tua tumultuaris? Quid delectationes stulta-
fluxas, vanas, noxias, tumultuosè suggeris, &
quasi garrula mihi narras? Condelector legi De-
non ex me, sed ex gratia Dei. Tu concupiscen-
in carne tumultuaris: mentem tibi non subdis.
Deo sperabo; non timebo quid faciat mihi caro:
est, mente non consentiente tumultuatur caro. In De-
sperabo; non timebo quid faciat mihi caro, quæ
aliena, ita nec mea. Qui ergo in se hoc agit, nihil
facit? Multum facit, magnum est quod facit, si
tamen non perficit. Quid est enim perficere? Vide,
mors, contentio tua? id est, omni concupiscen-
cõtentione carere, à qua sola mors liberat. Audia-
mus adhuc semel sanctissimũ Augustinum,
cuius saluberrima verba tanquam antidota
contra Caluini venena idonea & efficacia,
ab omnibus orthodoxis libenter audiuntur:
Agit aliquid concupiscentia carnis, etiam quando

B. Augustini explicatio luculẽta.

*De nup. & conc. lib. 1. cap. 27.

non exhibetur ei vel cordis assensus vbi regnet, vel membra vel arma quibus impleatur quod iubet. Agit autem quid, nisi desideria mala & turpia? Hinc Apostolus velut ex suæ personæ introductione nos instituit, dicens: Non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio: id est, concupisco: quia & nollet hoc facere, vt esset omni ex parte perfectus. Verùm quia concupiscere nolebat, & tamen concupiscebat, sed eidem concupiscentiæ nequaquam consentiendo seruiebat, adiunxit atque ait: Nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Multum autem fallitur homo, qui consentiens concupiscentiæ carnis suæ, & quod illa desiderat decernens facere & statuens (talis autem iuxta Caluinum ipse Apostolus fuit, qui sui boni desiderij, quo voluit haud dubiè non consentire carnis concupiscentiæ, effectum non habuit) putat sibi adhuc dicendum, Non ego operor illud, etiam si oderit (quod etiam odium peccati ponit in suo iusto Caluinus) quia consensit. Simul enim est vtrumque: & ipse odit, quia malum esse nouit; & ipse facit, quia facere decreuit. Qui ergo dicit, Iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum; si tantummodo concupiscit, verum dicit: non si cordis consensione decernit, aut etiam corporis ministerio perficit. Deinde adiungit Apostolus, Velle adiacet mihi, perficere autē bonum non inuenio: quod ideo dictum est, quia tunc perficitur bonum, quando desideria mala nulla sunt; sicut tunc perficitur malum, quando malis desiderijs obeditur. Quando autem sunt desideria, sed non eis obeditur;

Cap. 28.

Cap 29.

tur; nec malum perficitur, quia non eis obeditur nec bonũ, quia sunt: sed fit ex aliqua parte bonum quia concupiscentiæ malæ non consentitur; & ex aliqua parte remanet malum quia vel concupiscitur. Ideo ergo Apostolus non ait facere bonum sibi non adiacere, sed, perficere. Multum enim boni facit qui post concupiscentias suas non ambulat: sed non perficit bonum, quia non implet quod scriptum est, Non concupiscas. Hæc Augustinus, cuius disputationẽ paulò prolixius protuli, vt, quibus nostra antecedẽs refutatio satisfacere nõ potuit, tanti Doctoris satisfaciat. Quod autẽ Augustinus dixit, nõ impleri quod scriptũ est, *Non concupiscas*, intelligendum est non quoad obligationem, sed quoad finem præcepti & doctrinæ perfectionem, sicuti sequentia statim eius verba ostendunt paulò superiùs à nobis citata, ideóque hoc loco non repetenda.

22. *Condelector enim legi secundùm interiorem hominem.* 23. *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.*

CONfirmant hæc verba præcedentem conclusionem; totamque Apostoli disputationem à versu 14. huc vsque elapsam, quasique commentario adhibito illustrant. Quod perspicuis verbis explicatem Augustinum audiamus: *Lex bonum volenti facere: adiacet autem malum ex concupis-*

Contra 2. epist. Pel. lib. 1 c 10.

centia, cui non consentit qui dicit, *Iam ego non operor illud*. Apertiùs autem quod sequitur vtrumque declarat: *Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis.* Et alio in loco: *Ista condelectatio legi Dei secundùm interiorem hominem de magna venit nobis gratia Dei. In ea quippe condelectatione interior noster homo renouatur de die in diem, cùm in ea proficit perseueranter. Non enim timor est torquens, sed amor libens. Ibi sumus veraciter liberi, vbi non delectamur inuiti. Verùm illud quod ait, Video aliam legem in membris meis, repugnantē legi mentis meæ, ipsa est, de qua loquimur, concupiscentia, lex peccati in carne peccati.* Hîc sunt ergo illa duo de quibus antea obscuriùs dixerat, *Non quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio*: vnum, quod vult bonum, & non vult malum; alterum; quod non facit bonum, sed malum. Quod vult bonum, & non vult malum, est interior homo, & lex mentis, quæ condelectatur legi Dei dicenti, *Non concupisces*. Hæc enim lex mentis, hic interior homo, vult hoc bonum quod lex dicit, videlicet, *non concupiscere*, sed omni concupiscentia carere. Non vult etiam malum quod lex prohibet: non vult concupiscere. Quod verò non facit bonum, sed malum, est *lex membrorum* quæ semper concupiscit malum, & repugnat legi mentis delectatæ in bono, volentique non concupiscere; & sic repugnat, vt eam *captiuet in lege peccati*, id est,

De nupt. & cōcup. libro 1. cap. 30.

Paulus seipsum explicat.

id est, faciat eam concupiscere, & motibus concupiscentiæ obnoxiam; si illa verba, *captiuantem me*, intelligas de toto homine: vt ita sensus sit, interprete Augustino: *captiuantem me, id est, captiúare conantem, & ad consentiendum implendumque cogentem, aut posse (quod non habet controuersiam) captiuantem secundùm carnem, quam nisi teneret carnalis concupiscentia, quam legem peccati vocat, non vllum illicitum desiderium, cui mens obedire non debeat, commoueret.* Lex ergo membrorum repugnans legi mentis, captiuat hominem iustum in lege peccati, quatenus facit eum vel inuitum concupiscere, prauos motus ac prua desideria habere quæ habere nollet. Potest tamen illud, *captiuantem me*, non de toto homine, sed de sola carne optimè intelligi; quod his verbis explicat Augustinus: *Quamquam paulò superiùs & ipse Apostolus Paulus, quomodo rectè potuerit de carne sua dicere, captiuantem me, satis euidenter aperuit. Cùm enim dixisset, scio enim quia non habitat in me, idipsum exponens adiunxit & ait, hoc est, in carne mea, bonum. Hæc ergo captiuatur sub lege peccati, in qua non habitat bonum, hoc est, caro ipsa captiuatur. Carnem autem nunc appellauit, vbi est morbidus quidam carnis affectus, non ipsam corporis conformationem.* Hæc ille. Rursum alio in loco: *Sicut illa duo, ego autem carnalis sum, & venundatus sub peccato, ita posuimus propter carnem adhuc corruptibilem dicta, sic & hoc potest intelligi, vt, captiuantem me, dixe-*

De nupt. & cōcup. lib. 1. c. 30

Lex mēbrorum quomodo captiuat iustum.

Ibidem cap. 31.

Contra 2. epist. Pel. lib 1. cap. 10.

ni carne, non mente; motione, non consensione; & ideo captiuantem me, quia in ipsa carne non est aliena natura, sed nostra. Sicut ergo exposuit ipse Apostolus quid dixerit, Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum; sic iam ex illius expositione hunc locum debemus accipere, tanquam dixerit, captiuantem me, hoc est, carnem meam, in lege peccati quæ est in membris meis. Hæc iterum ille. Vtcumq; autem illud, *captiuantem me*, intelligas, siue quòd mens ipsa captiuetur, siue quòd sola caro; illa captiuatio sub lege peccati nihil amplius dicit, quàm concupiscendi prauosque motus & praua desideria habendi necessitatē ineuitabilem, quamdiu sumus in corpore mortis huius, id est, in hoc mortali & corruptibili corpore. Hæc autem captiuatio in lege peccati, seu carnis, seu ipsius mentis, non impedit mentem & interiorem hominem condelectari legi Dei, velle non concupiscere, ideoque multò magis multoque certius concupiscētijs ipsis non obedire, nec velle vnquam obedire. Qui enim non vult concupiscere, & hoc ipsum ægetrimè fert quòd vel concupiscat, primosque mali motus sentiat, multò fortius ipsis concupiscentijs obedire non vult. Idcirco enim vellet non concupiscere, ne illi aliquando obrepat consensus in malum. Talem hîc seipsum & in sua persona iustos omnes in Christo regeneratos describit Apostolus, qui ab ipsa etiam concupiscentia abhorrent, qui, iuxta quod

Captiuatio seu mentis seu carnis non impedit veram iustitiam.

lex dicit, vellent omnino non concupiscere & legi vetanti ipsum concupiscere condelectantur secundùm interiorem hominem Dei videlicet gratia renouatum. Sic mentem habent liberam ab omni consensione in malum, licet carnem gerant captiuam ad concupiscendum id quod malum est.

Caluinus lucē verbi Dei extinguit.

Quid hîc Caluinus in tam dilucida Apostoli explicatione? Iterum tenebras offundit, & lucē verbi Dei extinguit. *Ideo (inquit) Paulus ait se captiuū à carne sua vinciri, quia quotidie titillatur adhuc prauis concupiscentijs & commouetur, id coactio est respectu spiritualis desiderij quod prorsus resistit.* Verum quidem hoc est, sed non est totum quod Paulus dicit. Non tantùm coactionem docet ex parte carnis contra spirituale desiderium resistit, quod nihil aliud est quàm *legem mentis repugnare legi membrorum*, sed præterea docet, legem mentis *condelectari legi Dei*, id est, non velle prauis concupiscentijs titillari, ideoque multò magis non velle illis consentire aut obedire, in quo consistit Christiani hominis iustitia: cuius hostis acerrimus Caluinus eam penitus hoc loco delētio inuoluere voluit. Nec inuoluere sileētio contentus, eā penitus fermento suo pessimo corrumpit. Ponit enim iterū in eadē hominis mente carnē & spiritū, & liquidissimam hoc loco Apostoli distinctionem confundit. Sic enim scribit: *Notāda est diligenter hoc loco accepta interioris hominis & membrorū: quam plurimi quā*

Iustitia Christiani hominis.

gud

rectè intelligerent, ad hunc scopulum impegerunt. Interior igitur homo nõ anima simpliciter dicitur, sed spiritualis eius pars, quæ à Deo regenerata est. Membrorũ vocabulum residuam alteram partẽ significat. Nam vt anima est pars excellentior hominis, corpus inferior; ita spiritus superior est carne. Hac ergo ratione, quia spiritus locũ animæ tenet in homine, caro autem, id est, corrupta & vitiata anima corporis, ille interioris hominis, hæc membrorum nomen obtinet. Hæc ille. Magna est huius hæretici impudentia, magna & effrons audacia, planeque talis, quæ omnes suos lectores quasi fungos & stipites futuros existimans, illis in os & faciem apertè illudit. An non aperta illusio est, ponere carnem in anima, membra in mente? An non ipsi Apostolo illudit, qui distinxit disertissimis verbis legem membrorum à lege mentis? *Inuenio* (inquit) *legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Si lex membrorum repugnat legi mentis, nec mẽs nisi in anima est, vel potius ipsa anima; quomodo dicit Caluinus *quòd residua pars animæ membrorum vocabulo significatur?* An vna animæ pars alteri repugnat? Planè, ait Caluinus, quia *vna pars animæ regenerata est, & illa vocatur spiritus, altera pars non regenerata* (nam hoc adiungi necesse est) *membrorum vocabulum sortitur.* Qualis hæc profana & inaudita verborum nouitas? Ergo anima à Deo regenerata, tota non regeneratur? Ergo homo à Deo iustificatus, qui non nisi ex parte animæ iustificatur

Caluini impudentia singularis.

Anima tota nec regeneratur, nec saluatur, iuxta Caluinum.

tur (iustitiæ quippe capax corpus non est) ab vna parte iustificatur, ab altera non? Tollo ergo iustificato ex hac vita decedente, vna pars animę ad superos euolabit, altera ad inferos descendet? vna beatitudinis æternæ particeps erit, altera gehennæ pœnis æternis cruciabitur? Si enim nisi vna pars regeneratur, profectò nisi vna iustificatur. Si nisi vna pars iustificatur, profectò nisi vna saluatur. An non suos lectores stipites & fungos putauit Caluinus, qui hæc tam apertè absurda non aduerterent?

Caluinianæ doctrinæ absurda.

Deinde, si caro in regeneratis est anima vitiata & corrupta, quid erit in eisdem ipsa caro propriè dicta, & carnis propriè dicta sensualitas? In regeneratis aut purgatur illa sensualitas, aut non purgatur. Si purgatur, anima felicior sensualitas est, quæ non nisi ex vna sui parte purgatur. Si non purgatur, quo illam nomine vocabimus, vt ab altera carne, quæ pars animæ vitiata est, eâ distinguamus? Aut fortè in regeneratis nulla est sensualitas carnis propriè dictæ, sed à carne in animam tota transiuit, vt in eius parte non regenerata resideret? Quis talia absurda, nisi in schola Caluini, audiret? Quis ignorat in tota Apostolica Scriptura, spiritum à carne, mentem à membris, interiorem hominē ab exteriori ita distingui, vt non vnius rei partes diuersæ, sed res essent ipsæ diuersæ, quarum vna alteri imperaret, & vna contra

alteram

alteram inceſſanter bellum gereret? Quod aduertens S. Auguſtinus, ita ſcribit: *Ego ſum in carne, ego ſum in mente: ſed magis ego ſum in mente quàm in carne. Mens enim regit, caro regitur: & magis ſum ego in eo quod rego, quàm in eo in quo regor.* Rurſum: *Ex parte meliori ſpiritualis ſum, ex parte inferiori carnalis.* Quæ melior, niſi anima? quæ inferior, niſi caro propriè dicta? An etiam ex anima & carne tanquam duabus integris compoſiti partibus conſtare totum hominem negabit Caluinus? An ex ſola anima eum conſtare dicet, quarum vna pars ipſa caro ſit?

Serm. 5. de verb. Apoſtoli.

Sed hîc Caluinum ſuum iuuare Beza voluit. Græcos enim Patres à Pelagianis non vexatos reprehendit, *quòd diſcrimen hominis exterioris & interioris, ſpiritus & carnis, in diſtributione facultatum hominis, mentis & carnis, ſuperioris ac inferioris rationis, conſiſtere docuerint.* Atqui Auguſtinus à Pelagianis exercitatiſſimus idem clariſsimè docuit loco iam ac verbis poſtremò citatis. Et hoc ſenſu Apoſtoli verba intellexit atque expoſuit, quibus dixit: *Mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati.* Sed nec Auguſtinus nec Græci Patres de homine Chriſtiano & regenerato loquentes, mentem aut ſuperiorem rationem pro naturali tantùm hominis facultate accipiant, quando illis vocabulis interiorẽ hominem aut ſpiritum (quatenus carni & exteriori homini opponitur) deſignant: ſed men-

Verſ. 22. cap. 7. ad Rom. Interioris & exterioris hominis diſtinctio.

tem Dei gratia illustratam atque adiutam, superiorem quoque rationem spiritualibus a Deo donis exornatam. Sed quid Patrum iudicium quærimus hac in re? An non Apostolus exteriorem hominem & interiorem sic alibi opponit, vt ille carnem ab anima distinctam, hic verò ipsam propriè animam & superiorem rationem significet? Sic enim scribit: *Licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renouatur de die in diem.* 2. Cor. 4. 16. Hîc disertè hominem exteriorem pro ipso corpore & carne ab anima distincta accipit, variis afflictionibus vexatum & infirmatum: interiorem verò hominem pro ipsa anima, nouas quotidie gratiæ vires, nouum decus resumente; vt afflictiones illas fortius toleret, ac tolerando purior reddatur. Non fuit huius loci oblitus Caluinus. Quid ergo respondet? *Alio* (inquit) *sensu capitur externus homo 2. ad Cor. 4. 16. sed præsentis loci circumstantia, quam posui expositionem necessariò exigit.* Sed quæ est hæc huius loci circunstantia? aut quare illa talem expositionem necessariò exigit? Neutrum dicit, neutrum demonstrat, neutrum probat. Sola assertione vtitur, tâta impudentia, quanta vix dici potest. Sicetiam Apostolo, sic suis lectoribus perfricta fronte illudit. Sed & illa singularis quoque impudentia est, quòd ait, *acceptionem interioris hominis & membrorum, plurimos, quam male intelligerent, ad hunc scopulum impegisse.* Impegerunt ergo

Caluini singularis impudentia.

ego Augustinus, impegerunt omnes hactenus interpretes; impegit & Paulus ipse, qui acceptionem à Caluino impugnatam alio in loco secutus est. Sanè sicut Arianus aliquis diceret, Hæc verba, *Verbum caro factum est*, plurimi malè intelligentes, ad hunc scopulum impegerunt, vt Christum esse filium Dei naturalem crederent; aut Pelagianus aliquis diceret, Illa verba, *Gratia salui facti estis ex fide, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est*, plurimi malè intelligentes, ad hunc scopulum impegerunt, vt fidem donum esse Dei existimarent; aut Manichæus aliquis diceret, Illa verba, *De filio Dei ex semine Dauid secundùm carnem*, plurimi malè intelligentes, in hunc scopulum inciderunt; aut postremò quilibet hæreticus ad diuinæ Scripturæ verba suis hæresibus apertè repugnantia diceret, plurimos, illa verba malè intelligentes, ad illum scopulum impegisse. Quàm enim clarè & perspicuè ex Scripturis citatis Christus verus Dei filius, & simul verus ac naturalis homo, fidesque verum Dei donum contra prænominatos hæreticos probatur; tam clarè & perspicuè lex mentis & homo interior, totam hominis regenerati animam; lex verò membrorum captiuans in lege peccati, hominé exteriorem & corruptibile hoc corpus concupiscentijs & vitijs obnoxium significare, ex his Pauli verbis probatur. Sed solet Caluinus, quando maximè mentitur & fallit, tunc

Ioan. 1.

Ephes. 2.

Rom. 1.

Caluini artes.

maximam verborum confidentiam, audaciam, impudentiam adhibere.

25. *Itaque ipse ego mente seruio legi Dei, caro autem legi peccati.*

CONclusio & epilogus totius disputationis est de statu hominis regenerati in corpore mortis huius adhuc constituti: à quo se liberari postulat, &, donec liberetur, miserum se agnoscit. *Mortem corporis* (ait Caluinus) *vocat massam peccati, vel congeriem ex qua totus homo conflatus est: nisi quod in Paulo tantum manebant reliquiæ peccati, quarum vinculis captiuus detinebatur.* Præposterè rursum & inepte. Si enim reliquijs peccati adhuc captiuus detinebatur Paulus, & hæ reliquiæ animum ac mentem eius occupabant, vt in præcedentibus explicauit; falsum erit quod Paulus statim concludit: *Mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati.* Et quid ni? dicet Caluinus. *Hac enim exceptione,* (*carne autem legi peccati,*) *fatetur se ita esse Deo addictum, vt reptans in terra multis sordibus inquinetur.* Hæc est impuri hæretici impura blasphemia. Paulus, *cuius conuersatio in cœlis erat,* iuxta Caluinum *reptat in terra,* qui in *simplicitate & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersatus fuerit in hoc mundo,* & *in quo Christus viuebat,* iuxta Caluinum *multis sordibus inquinatus est.* Quomodo ergo cupiuit Paulus *dissolui & esse cum Christo,* vtique in cœlo, *quò nihil coinquinatum intra-*

Caluinus in Paulum maledicentia.

Philipp 3. 20.

2. Cor. 1. 12.

Gal. 2.

Philipp. 1. 23.

Apocal. 21. 27.

intrabit, si adhuc multis sordibus inquinatus erat? Sed sordidus hæreticus, & fœda libidine plenus, innumerisq; peccatorum sordibus inquinatissimus, arrogantia, maleuolentia, vindictæ cupiditate, honoris & diuitiarum appetentia fœdatus, vt vitæ eius historia testatur, cauteriata conscientia diuinas Scripturas deprauans, mentiendi & fallendi nulla conscientia tactus (vt tam varia iam experientia mõstrauit) suo malè toruo pede Sanctum Apostolum metitur.

Hoc igitur relicto impostore, & mendaci magistro, Sanctissimũ Augustinum iterum in hæc verba audiamus. Primùm, de corpore mortis, à quo liberari Apostolus cupit, sapienter in hunc modum scribit: *Quid hîc aliud intellecturi sumus, nisi quia corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam? Cùm ergo idipsum corpus iam incorruptibile recipietur, plena erit liberatio à corpore mortis huius, à quo non liberantur qui sunt ad pœnam resurrecturi. Ad corpus ergo mortis huius intelligitur pertinere, vt alia lex in membris repugnet quidem legi mentis, dum caro concupiscit aduersus spiritum, etsi mentem non subiuget, quia & spiritus concupiscit aduersus carnem. Atque ita, quãuis lex ipsa peccati captiuum teneat aliquid carnis, vnde resistat legi mentis; non tamen regnat in nostro licet mortali corpore, si non obeditur desideriis eius.* Hæc ille, qui alio in loco idem latiùs & prolixiùs prosequitur. Illa verò alia verba Apostoli, *Mente seruio legi Dei, carne autem*

De nupt. & concupisc. lib. 1. cap. 31.

Serm. 5. de verb. Apostoli in fine.

Ibidem. *tem legi peccati, sic* (ait Augustinus) *intelligenda sunt: Mente seruio legi Dei, non consentiendo legi peccati: carne autem seruio legi peccati, habendo desideria peccati; quibus etsi non consentio, nondum tamen penitus careo.* Hæc ille. Nullæ hic sordes, nulla inquinamenta, nihil humi repti in Apostolo apparet. Desideria praua quibus Apostolus non caruit, quia illis non consensit, non fuerunt illę sordes, quibus iustitia mentis, qua Deo seruiuit, macularetur; sed erant virtutis materia, qua *gloriosa certamina exercebat*, vt alibi loquitur Augustinus. Sic stimulus carnis ab Apostolo sublatus non fuit, non vt illo sordidaretur, sed *vt virtus eius in infirmitate perficeretur*, ad quod sufficiebat illi gratia Christi. Voluit in hoc capite Caluinus omnium bonorum operũ immunditiem ponere, actionem tollere, effectum destruere: sed dum hoc facit, disputationem Apostolicam fœdissimè contaminare, deprauare, inuertere coactus est.

Con. Iul. libro 2.

1. Cor. 12.

Argumentum Cap. VIII.

PROSEQVITVR Apostolus effectus gratiæ, veramque per Christum à seruitute peccati liberationem; eiusque liberationis dignitatem, amplitudinem, ac felicitatem multis verbis describit. Docet primùm, omnes Christo insertos es-

tm

re damnationis periculum esse, non (vt Caluinus in huius capitis argumento blasphemat) *vtrunq; onerati sunt adhuc peccatis*, sed contrà qui peccati onus deposuerunt, ambulantes secundùm Spiritum, non secundùm carnem. Quem in renatis nobilissimum effectum probat in sequentibus, tam à Spiritu Christi, quàm à beneficio mortis Christi. Et huius rei demonstrationi totus incumbens, de Spiritu Dei in filijs Dei disputat; non ad fiduciæ nostræ certitudinem, vt falsò narrat Caluinus, confirmandam, sed ad mortificationem carnis & tolerantiã malorum perficiendam. Hanc enim conditionẽ adoptioni nostræ appositam attingens, eam ex magnitudine hæreditatis fortiter perferendam docet. Cui veluti remedium oportunum confidentiam filiorum Dei subtexit, seipsum in exemplum proponens.

1. *Nihil nunc damnationis ijs qui sunt in Christo Iesu, qui non secundùm carnem ambulant, sed secundùm Spiritum.*

SVstinent hodie pertinaciter hæretici, ipsam concupiscentiam seu sensualitatem, eiusque primos motus, esse in renatis verè peccata damnatione digna, sed non imputari illis, quia in Christo sunt, hoc est, quia baptizati sunt. Atqui Apostolus damnationem hoc loco remouet non simpliciter ab ijs qui in Christo sunt, sed qui sic in Christo sunt,

sunt, vt non secundùm carnẽ ambulent, id est, qui sensualitatem aut legẽ peccati in carne consentiendo nõ sequuntur. *Non damnantur* (ait Augustinus) *nisi qui concupiscentiis suis consentiunt ad malum.* Et hanc quidem conditionem agnoscit Caluinus, sed ita, vt suo figmento illam corrumpat, ne iustitiæ & sanctitatis necessitatẽ in iustificatis per Christum agnoscere cogatur. Primùm enim, ait hic tria ab Apostolo poni, quum non nisi vnum ponatur. *Tria* (inquit) *simul coniungit Apostolus, imperfectionem qua semper laborant fideles, Dei indulgentiam in ea condonanda, regenerationem Spiritus, & hoc postremũ ne quis carni suæ indulgeat: vt ergo frustra sibi blandiatur homo carnalis, si de emendãda vita nihil sollicitus huius gratiæ praetextu impunitatem sibi promittat; ita habent trepida piorum cõscientiæ inuictum propugnaculum, quòd, dum in Christo manent, sciunt se esse extra omne damnationis periculum.* Moxque exponens illa verba, *secundùm Spiritum ambulare*, ait eos hoc praestare, *qui in domanda & mortificanda carne sedulo laborant, vt appareat studiũ pietatis in ipsis regnare.* Multis modis lectorẽ fallit, & Apostoli sensum corrumpit. Primùm, quia Apostolus hoc loco nec *de aliqua Dei indulgentia imperfectiones fidelium condonante* vnum verbum loquitur, nec *de imperfectione qua fideles laborant*, sed de corruptione qua laborant, de concupiscentiæ motibus in carne relictis hactenus loquutus est Apostolus, vt illos motus pra-

Contra 2. epist. Pel. libro 1. cap. 11. Regenerati in Christo ex qua causa non damnantur.

Paulo duo affingit Caluinus quæ nõ dixit.

pos

tus seu illam legem membrorum doceat nihil damnationis afferre regeneratis in Christo, non quia & quatenus regenerati sunt, sed quia & quatenus regenerati illis non consentiunt, & secundùm Spiritum ambulant, id est, ea faciũt & ea operantur (ambulare enim operationem connotat) quæ Spiritus Dei suggerit, aut quę Spiritus regeneratis dictat & amat; *non secundùm carnem*, non obsequuntur desiderijs carnis. Ideo non obest, non damnat cõcupiscentia aut lex membrorum, quia non regnat in corpore mortali, non dominatur, non secundùm eius motus viuitur. Cur autem aut ex qua radice hoc proueniat, in sequenti versiculo docebit. Rursum in eo Apostolũ nequiter deprauat Caluinus, quòd regenerationem Spiritus, & ambulare secundùm Spiritum, ponit in solo studio pietatis, non autem in ipsis bonis operibus. Astutè enim loquitur Caluinus, & eum secundùm Spiritum ambulare sentit, non secundùm carnem, qui tametsi faciat opera carnis, *& reluctantem Spiritum caro vincat*, (vt Beza clarè loquitur) vel (vt Caluinus antea loquutus est) *non inueniat boni desiderij effectum, quia impar ad hoc facultas adest, studeat tamen membra sua ad obsequiũ Dei præstandum exhibere, & in omnibus suis lapsibus Dei timorẽ aut studium rectè agendi nondum excutit*: de quo superiori capite multa diximus. Tale *studium pietatis* ponit hoc loco Caluinus, non autem execu-

Pauli sensum corrũpit Caluinus.

Ad Rõ. 6. vers. 12.

Ad Rõ 7. vers. 19. & 20.

executionem bonorum operum, & veram peccati fugam. Quare iterum tertiò fallitur dicens huiusmodi piorum conscientias inuictum hoc loco propugnaculum habere, *quòd, dum in Christo manent, sciunt se esse extra omne damnationis periculum.* Non enim hoc loco de tali propugnaculo aliquid dicitur, sed ab illis solis omne damnationis periculum remouetur, *qui secundùm Spiritum ambulant, non secundùm carnem.* Nec qui in Christo manent in sensu Caluini, id est, qui per solam fidem Christo adhærent, cum aliquo studio & desiderio pietatis, quod non consequatur effectum, sed qui sic in Christo manent, vt *non secundùm carnem ambulent, sed secundùm Spiritum*, qui faciunt legē, & seruant mandata Dei, illi demum inuictum habent propugnaculum, & extra omne damnationis periculum sunt. *Qui dicit se in Christo manere, debet, sicut Christus ambulauit, & ipse ambulare. Qui manet in me* (ait Christus) *& ego in eo, hic fert fructum multum.* Multum fructum fert non solùm studium pietatis habet. Imò nisi desiderio pietatis respondeat effectus (quem ipsi Paulo Caluinus negauit) nisi fructum bonorum operum adferat, vide quid dicat Christus: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum Pater meus.* Vbi ergo vmbraculum Caluinianum cum sola fide, & aliquo pietatis studio penitus inefficaci? Adiecit verò Apostolus, *Iis, qui sunt in Christo Iesu, qui hoc*

Conscientiarū propugnaculū à Caluino confictum.

1. Ioan. 2.

Ioan. 15.

Ibidem.

hoc ipsum ambulare secundùm Spiritum nemo potest, qui non sit in Christo Iesu; quod & ipse Christus eodem loco docuit, quo de necessarijs faciendis fructibus suos admonuit. Quum enim dixisset, *Qui manet in me, hic fert fructum multum*; adiecit, *Sine me nihil potestis facere*. Et hunc genuinum, germanum, ac fluentem Apostoli sensum reliqua adhuc apud eum proximè sequentia luculentiùs demonstrabunt. Ibidem.

2. *Lex enim Spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati & mortis.*

Hæc liberatio à lege peccati dupliciter intelligi potest, vel ab ipso concupiscentiæ reatu, eiusque prauis motibus, vt nec imputentur regeneratis, & præterea minuatur in proficientibus; vel à cõsensu & obedientia mentis in huiusmodi concupiscentiam eiusque motus. Vtrumque sensum tradit Augustinus; priorem his verbis: *Liberauit: quomodo? nisi quia concupiscentiæ reatum, peccatorum omnium facta remissione, lex Spiritus vitæ in Christo dissoluit; vt quamuis adhuc maneat, & de die in diem magis magisq; minuatur, in peccatum tamen non imputetur?* Posteriorem sensum alio in loco sequitur his verbis: *Lex Spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit te à lege peccati & mortis, ne scilicet consensionem tuam concupiscentia sibi vindicet tamis.* Vterque sensus verus est, & cum præcedentibus cohæret. Nam ratio duplex redditur:

Lex peccati dupliciter dissoluitur.

De nupt. & concupisc lib. 1. cap. 32.

Contra 2. epist. Pel. libro 1. cap. 10.

redditur : vna, respectu illorum verborum, *Nihil nunc damnationis*, &c. quia lex Spiritus vitæ motus illos secundùm carnem fecit amplius non damnabiles ; altera, respectu eius quod dixerat, *Qui non ambulant secundùm carnem*, eáque magis propria ; quia *lex Spiritus vitæ*, id est, diuini Spiritus efficacia & regenerationis gratia à dominio legis peccati, à consensionibus in eius motus prauos, nos liberos atque immunes reddidit.

Torsit hic locus tam Caluinum quàm Bezam, quia inhærentem iustitiam peccati victoriam luculenter probat, & imputatiuam subuertit. Quare miris artibus ac technis veritatem perspicuam eludere conantur. Primùm vterque per *legem spiritus vitæ* intelligunt Dei Spiritum nos viuificantem, seu regenerationis gratiam. *Legem Spiritus vitæ, id est, viuificam* (ait Caluinus) *impropriè vocat Dei Spiritum, qui animũ nostrum Christi sanguine aspergit, non tantùm vt à peccati labe emundet, sed in veram puritatem sanctificet.* *Legem Spiritus vitæ* (ait Beza) *intelligo Spiritus S. efficaciam (vt in superiori versiculo ambulare secundùm Spiritum) qua peccatum ipsáq; adeò mors mortificatur ; denique regenerationis gratiam intelligo, cui opponitur carnis corruptio.* Vterque quoque per legem peccati, carnis corruptionem intelligit : & Beza quidem in oppositione quam agnoscit ; Caluinus his verbis : *Legem peccati & mortis appellat carnis imperium, & qua*

Lex Spiritus vitæ quid.

ò, quæ inde sequitur, mortis tyrannidem. Ex his ergo quis nisi sensum orthodoxum colligi posse existimaret? Et sanè Caluinus eum ingenuè tradere videri voluit his verbis: *Sententia igitur est: Quòd lex Dei homines condemnat, id fit, quia quamdiu per sub legis obligatione* (adde, seruili) *manent, peccati seruitute premuntur: atque ita rei sunt mortis. Spiritus autem Christi, dum inordinatas carnis cupiditates corrigendo legem peccati in nobis abolet, simul à reatu mortis nos vindicat.* In his verbis Caluinum orthodoxè & Augustinianę expositioni cõformiter dicere quis tandem dubitauerit? Sed audiantur reliqua, & impostoris technæ ac fraudes apparebunt. Caluini impostura. *Si quis* (inquit) *excipiat, veniam ergo, qua sepelimur nostra delicta, à regeneratione pendere, facilis solutio est, non assignari causam à Paulo, sed modum tradi duntaxat quo soluimur à reatu. Negat autem Paulus legis doctrinâ id nos consequi; sed dum Spiritu Dei renouamur, simul etiam iustificari gratuita venia, ne peccati maledictio in nos amplius recumbat. Perinde ergo valet hæc sententia, ac si dixisset Paulus, regenerationis gratiam ab imputatione iustitiæ non disiungi.* Aperuit nonnihil ludum quem hactenus lusit. Dixit antea sensum verborum Pauli esse, *quòd Dei Spiritus vitalis ac vigilicus in veram puritatem nos sanctificando, à carnis imperio nos liberaret; & inordinatas carnis cupiditates corrigendo, legem peccati in nobis aboleret.* Prima impostura. Nunc dicit hoc totum *non esse causam* cur nihil damnationis in regeneratis sit secundùm

Spiritum ambulantibus, sed esse *modum dumtaxat* quo à damnationis reatu fideles liberantur. Atqui Apostolus hanc liberationem à lege peccati per Spiritũ Dei ponit vt causam eius quod priùs dixerat : sic enim subiecit : *Lex enim* (vide particulam causalem) *Spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati*. Si ergo illorum propriè verborum respectu (*Nihil nunc damnationis, &c.*) hunc alterum versiculum subiecit Apostolus, vt Caluinus hîc supponit, non modum dumtaxat sed veram causam ac rationem subiecit, cur nihil nunc damnationis sit in ijs qui sunt in Christo Iesu. Verius tamẽ & certius est quòd hoc versiculo rationem reddere Apostolus voluerit, non illorum verborum, sed cur hic quasi conditionem illis verbis adiecerit, *iis qui non secundùm carnem ambulant, sed secundùm Spiritum*. Ne enim hoc cuiquam aut non posse fieri aut graue esse videretur (qui hæreticorum hodie proprius morbus est) ostendit donum gratiæ vnde hoc fiat : quia videlicet Spiritus Dei viuificans à lege peccati (quæ facit ambulare secundùm carnem) nos liberauit, *inordinatas carnis cupiditates corrigendo*, vt Caluinus loquitur, *& in veram puritatem sanctificando*. Sic hæc Caluini solutio nulla est.

Secunda impostura.

Sed grauiùs fallit in ijs quæ sequuntur, vbi dixit, *Pauli hoc loco sententiam esse, regenerationis gratiam ab imputatione iustitiæ non disiungi*. In his verbis totum coquitur Caluini venenum,

nem, quod in Bezæ verbis magis ebulijt, vt mox videbimus. Sensus enim Caluini est, reatum peccati in regeneratis aboleri, siue nihil damnationis esse in renatis, non quia aut quatenus Spiritum regenerationis habent, quo carnis cupiditates corriguntur, ambulantque secundùm Spiritum, (vt prima facie legenti eius verba videtur) sed quia & quatenus Christi iustitia illis imputatur, a qua imputatione nõ seiũgitur regenerationis gratia hoc est iuxta Caluinũ, studiũ quoddã pietatis, sed inefficax: vt propterea non regenerationis gratia, non lex Spiritus vitæ, sit causa sublatæ damnationis, aut ambulandi secundùm Spiritum; sed imputata Christi iustitia. Talem ergo ludum lusit, vt, postquam visus esset Apostoli sensum optimè tradere, tunc Apostolico sensui prorsus contrarium concludat, id est, non eos extra damnationis periculum esse, *qui secundùm Spiritum ambulãt, & quos lex Spiritus vitæ liberauit à lege peccati*, (quæ sunt Apostoli verba) id est, ab imperio carnis; sed quibus Christi iustitia imputatur, de qua imputatione nullum hîc Apostoli verbum, nullum vestigium apparet. Ita quod in textu non est, concludit Caluinus, vt quod in textu est, penitus eludat atque euacuet.

Regenerationis gratia, iuxta Caluinum, studium pietatis inefficax.

Caluini resolutio Pauli verbis prorsus contraria.

Sed magis hoc perspicuè ac rotundè facit Beza. Quum enim dixisset, *per legem Spiritus vitæ, hoc loco, gratiam regenerationis intelligi, & spiritus S. efficaciam, qua peccatum in nobis mortificatur*

ficatur (quibus nihil aut verius aut clariùs dici potuit) monet lectorem, *in huius regenerationis consideratione quiddam peculiare spectandum esse*; quod paulò pòst his verbis explicat: *Explico* (inquit) *ista de reliquæ iustificationis nostræ parte, quæ consistit in sanctificatione ipsa Iesu Christi nobis imputata, vt opponat Apostolus legem Spiritus vitæ quæ in Christi carne est perfecta & absoluta, nostræ illi, quæ quum in nobis sit inchoata, non potest salutis nostræ causa sed testimonium potiùs dici. Itaque non dubito quin supplendus sit articulus, perinde ac si scriptum sit: τὸ πνεῦμα τῆς ζωῆς τῆς ἐν χριστῷ Ιησοῦ.* Hæc ille. Primùm homo profanus audet textui Apostolico addicere, eumque supplere, vt sensum ab Apostoli verbis prorsus alienum stabiliat. Addit enim articulum τῆς, vt vita spiritualis, de qua hîc Apostolus loquitur, ipsius Christi propria, non autem nostra, (quos perpetuò carnales esse vult) censeatur. Sic latens Caluini venenum è latebris extraxit, apertè docens, legem Spiritus vitæ, de qua hîc Apostolus loquitur, nihil in nobis efficaciter operari, neque nos in *veram puritatem sanctificare, aut à carnis imperio nos verè liberare, inordinatas carnis cupiditates in nobis corrigendo,* (quod totũ Caluinus dixit, ipseque Beza confirmauit) dicens per legem Spiritus vitæ, *ipsam Spiritus Sancti efficaciam, qua peccatum in nobis mortificatur, intelligi,* sed tantummodo nobis per Christum imputari, quatenus quę in illo erat ve-

Beza textui infarcit quod textum inuertat.

nsanctificatio & iustitia, illa nobis imputatur. Hoc etiam alibi Caluinus perspicuè docet, vt bene intellexit Beza, nimirũ *totam Spiritus Sancti operationem & efficaciam, qua reformat nos Deus in vitæ sanctitatem*, non per se & immediatè sed *per manum filij sui Deum nobis ingerire, quatenus filij sui (in quo totam Spiritus plenitudinem deposuit) iustitiam & sanctitatem nobis imputat.* Tenemus iam quem ludum hîc luserit Caluinus, simulque Beza, nisi quòd iste ludi mysteria paulò crassiùs aperuit, & totam turbauit fabulam. Spiritus Sancti efficaciam & regenerationis gratiam non in nobis, *qui regeneramur & renouamur per Spiritum Sanctum, quem effudit in nos abunde Deus* (hęc enim, ait Beza, *salutis causa esse non potest*) sed in vno Christo ponunt, vt illa, quæ in solo Christo fuit, nobis imputetur. Sic iterum Apostoli verba ita egregiè torturæ atque eculeis subiecerunt, vt confessionem ab eo ipsis verbis penitus contrariã extorserint atque expresserint, nõ iã adulteratores sed carnifices verbi Dei. Sed quid? vt vno verbo cũ Beza agamus. Si per legẽ Spiritus vitæ *regenerationis gratia, cui opponitur carnis corruptio, intelligitur*, (sic enim dixit) qua mente, qua fronte illã in Christo ponit, vt nobis imputetur? An aliqua fuit in Christo carnis corruptio, aut praua cogitatio, quæ per regenerationis gratiam corrigenda ac delenda fuerat? Si nulla fuit carnis corruptio, quæ tandem in illo re-

Instituț. lib. 3. c. 11. num. 12.

Caluini ac Bezæ ludus.

Tit. 3. v. 5. & 6.

generationis gratia, aut ad carnis cupiditates abolendas Spiritus Sancti efficacia esse potuit? Non enim hîc Apostolus de pura illa & pacata iustitia loquitur, qualis in solo Christo fuit, sed de militari (vt sic dicam) & pugnante iustitia loquitur, quam Spiritus S. sic operatur, vt à lege peccati liberando, & carnis concupiscentias edomando, eam perficiat. Quòd si nulla talis gratia in Christo fuit; quomodo, quod in illo non erat, nobis imputari potest? Sed doctrinæ nefariæ absurditas seipsâ satis prodit, nec vlla amplius refutatione eget.

3. *Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in*
similitudinem carnis peccati, & de peccato
4. *damnauit peccatum in carne; vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm Spiritum.*

EST expolitio siue illustratio & luculenta confirmatio eius quod priùs dixerat, *legem Spiritus vitæ in Christo liberasse nos à lege peccati & mortis.* Quum autem in illis verbis docere Paulus voluerit *diuini Spiritus efficaciam, ad inordinatas carnis cupiditates in nobis corrigendas; & ipsam regenerationis nostræ gratiam, vt in veram puritatem sanctificaremur*; quemadmodum Caluinus ipse & Beza exposuerunt: luce meridiana clarius est, regenerationis nostræ gratiam, qua fit vt secundùm Spiri-

tum

tum ambulemus, non secundùm carnem, in his verbis ab Apostolo confirmari. Ex eo autem capite confirmatur, quòd hanc gratiam, quia lex eam præstare non poterat, Christus beneficio suæ passionis nobis procurauit. Hunc sensum ipsa verba luculentissimè tradunt. *Nam* (inquit Apostolus) id est, vt intelligatis, firmiterque credatis, *legem Spiritus vitæ in Christo Iesu liberasse nos à lege peccati*, id est, abimperio & corruptione carnis; *quod impossibile erat legi*, id est, quam vim ac facultatem carnisimperio resistendi, legisque præcepta, quibus caro repugnabat, seruandi, ipsa lex præstare & donare non poterat; *in quo infirmabatur per carnem*, id est, quatenus, vel eò quòd, quia, (hoc enim valet ἐν ᾧ, & sic Caluinus ipse vertit) ratione carnalitatis & & sensualitatis humanæ lex facta est infirma & inualida ad implendum ea quæ iussit, iuxta id quod paulò antè dixi; *Cùm eramus in carne*, seu carnaliter affecti *(qui enim secundùm carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt) passiones peccatorum, quæ per legem erant*, id est, occasione legis iubentis acriùs feruebant, *operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti*: quod ergo lex facere non potuit, quia incidit in homines carnales, & data carnalibus est vt medium quærerent, hoc vt fieret, vt huic malo succurreretur (tale quid enim necessariò intelligendum est) *Deus* humani generis miserius, *mittens*, vel postquam misisset, πεμψας,

Legis impletio per Christi gratiam luculèter probatur.

Rom. 7. 5.

Rom. 8. 5.

filium suum in similitudinem carnis peccati, id est, verum quidem hominem, sed absque peccato, *& de peccato*, περὶ ἁμαρτίας, id est, idque
Ioã.1.29. pro peccato, & ad peccati remedium, *vt tol-*
1.Ioã. 3.8. *lat peccata mundi, & dissoluat opera diaboli* (sicut contra Caluinum probabilius exponit Beza) sic, inquam, Deus, & in hunc finem, suum fi-
Rõ.6. 12. lium mittens, *damnauit peccatum in carne*, id est, aboleuit & dominio suo mulctauit peccatum in carne nostra, *vt non regnaret in mortali corpore nostro* (de eo enim damnati peccati genere, & non de expiatione eius, aut satisfactione pro peccato, Paulum loqui, probabilius est) *vt iustificatio legis impleretur in nobis*, id est, in eum finem sustulit peccati dominium, vel, si alia interpretatio magis placet (vtraque enim Apostoli intentum probat) in eum finem *de peccato*, id est, per hostiam & victimam expiatricem, *damnauit peccatum*, id est, deleuit, condonari fecit, *in carne*, sua videlicet in sacrificium oblata; vt beneficio sacrificij huius ac redemptionis factæ, *iustificatio legis*, id est, iustitia quam lex præscribit & exigit, (sic enim tam Beza ipse quàm Caluinus intelligunt) *impleretur in nobis*, id est, à nobis perficeretur & seruaretur; à nobis, inquam, non simpliciter peccatorum remissionem consequutis, & credentibus tantum, (nihil enim adhuc istud ad legis iustitiam implendam) *sed ambulantibus* (τοῖς περιπατοῦσι) *non secundùm carnem*, non secundùm veterem hominem,

hominem, non secundùm pristinos carnales affectus, & iuxta ea quæ lex carnis nobis suggerit, *sed secundùm Spiritum*, id est, iuxta Spiritum gratiæ *corda nostra inhabitantem*, vt in sequentibus versiculis Apostolus iterum atque iterum docet. *Vos* (inquit) *non estis in carne*, (*qui enim in carne sunt, quæ carnis sunt sapiunt*) *sed in Spiritu: si tamen Spiritus Dei habitat in vobis.* Quod omnino oportet fieri, si verè in Christo regenerati estis. *Qui enim Spiritum Christi non habet, hic non est eius*; hic in Christo regeneratus non est. *Quòd si Spiritus eius qui suscitauit Iesum à mortuis*, (id est, ipse Dei Spiritus) *habitat in vobis*, per dona videlicet gratiarum, & maximè *per charitatem diffusam in cordibus vestris per Spiritum S. qui datus est vobis*, tunc ille ipse Dei Spiritus, *qui suscitauit Iesum à mortuis* (in figuram, typum, ac signum, & etiam vt causa resuscitationis nostræ à statu peccati & mortis quam iustificationem vestram voco,) *viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis*, id est, *liberabit vos à corpore mortis huius*, vt sine vllo carnali motu (quo non carebunt qui ad damnationem resurgunt) resurgatis; vt sic donis spiritualibus hîc acceptis, dona corporis sibi respondeant; cesseteque tandem hæc lex peccati. *Ergo debitores sumus* (interim dum hic viuimus) *non carni, vt secundùm carnem viuamus*; sed planè Spiritui, vt secundùm illum ambulemus. *Debitores*, inquam, *sumus*,

Infrà v. 11

Ver. 9.

Ver. 11.

Rom. 5. 5.

Rō. 4. 25.

Rō. 7. 24.

Ver. 12.

& necessariò hoc nobis incumbit, non vt aliquid conueniens tantùm aut congruens, Deoque filijs dignum, sed vt ad salutem acceptam conseruandam, & ad electionem certam ac firmam reddendam necessarium. Ver. 13. *Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini; si autem Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Sed modus adhibendus est. Toto quippe hoc capite id agit Apostolus, vt doceat Christi gratiam id præstitisse, quod lex præstare non potuit: vt doceat ambulando secundùm Spiritum, iustificationem legis à nobis Spiritu gratiæ donatis impleri, quam à Christi hostibus alieni implere nunquam potuerunt, possunt, aut poterunt. Denique vt doceat, legis obedientiam, & ambulationem secundùm Spiritum, nō solùm nobis esse possibilem factam, sed & ad faciendum necessariam; non solùm præstari à nobis posse, sed & præstari debere. Hoc enim vltima ex Apostolo citata verba luculenter affirmant. Quod ne cui durum videatur, præstandi possibilitatem & facultatem subiungit. Ver. 15. *Non enim accepistis iterum Spiritum seruitutis in timore*, id est, non iuxta statum veteris legis solum terrorem, solum imperium, solam maledictionem & commina-tionem legis, quam seruiliter timeretis, audiuistis; *sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.* Hic Spiritus dilectionis facit impleri legem, quia *plenitudo legis dilectio. Hæc est promissio ex fide Iesu Christi*

Gratia Christi præstat quod lex præstare nō potuit

Rō. 13. 10. Gal. 5. 22.

dat

dans credentibus: id est, hoc est donum Spiritus & beneficium gratiæ credentibus promissum, *donec induamini virtute ex alto.* *Ex hac promissione,* ait Augustinus, *hoc est, ex Dei beneplacito ipsa lex impletur, sine quâ promissione prævaricatores fecit.* Et paulò pòst: *Lex ergo data est, vt gratia quæreretur: gratia data est, vt lex impleretur. Neque enim suo vitio non implebatur lex, sed vitio prudentiæ carnis. Quod vitium per legem demonstrandum, per gratiam sanandum fuit. Quod enim impossibile erat legi,* &c. Vbi Augustinus ex hoc textu nostro probat, quia lex cum prudentia carnis coniuncta impleri non potuit, gratiam datam esse, quæ iustificationem legis impleret: quia gratiæ Christi participes, & Spiritum eius inhabitantem habentes, ambulant secundùm Spiritum, non secundùm carnem. Eodem modo contra Pelagianos hunc locum tractat D. Hieronymus in epist. ad Ctesiphontem, vt Dei mandata per Christi gratiam esse possibilia probet. Hic est huius loci perspicuus, germanus, fluens ac genuinus sensus, ex toto literæ Apostolicæ contextu subsequente confirmatus, & doctissimorum Patrum iudicio probatus.

Luc. 24. 49.

De Spirit. & lit. cap. 19.

Alia prorsus via ambulat Caluinus, alium ac diuersissimum sensum Apostoli verbis affingit. Suas quoque partes agit Beza, ne penitus à tergo relinquatur. *Sequitur expolitio* (ait Caluinus) *seu probationis illustratio, quòd scilicet Dominus gratuita sua misericordia nos in Christo*

Christo iustificauit, id quod legi erat impossibile. A
imputatiuam iustitiam confirmandam, qua
hoc maximè loco (vt præcedentia conuin-
cunt) iugulatur, hunc ipsum locum obtor-
collo pertrahere totis ingenij viribus con-
tur. *De gratuita* (inquit) *iustificatione, vel*
venia qua Deus sibi nos reconciliat, hic tractan,
postrema clausula licet colligere, vbi adiungit:
secundùm Spiritum, non secundùm carnem, ambu-
lamus. An aliquid potuit impudentius dici?
Ambulare secundùm Spiritum & Spiritu fa-
cta carnis mortificare, an aliquid commune
habet cum venia qua Deus sibi nos reconci-
liauit, id est, cũ remissione peccatorum nobis
per Christum acquisita? An fortè quia con-
iuncta hæc semper sunt, & nexu indiuidu
copulata, vt cuicũque Deus gratuitò remi-
tit peccata, tum eundem noua gratia exor-
net, qua possit ambulare secũdùm Spiritum,
tum illa accepta gratia sic ambulare tenea-
tur, ideo Caluinus, quod de hoc posterio
dictum est, ad illud quoque prius valere
vult? Est quidem ita, gratuitam remissio-
nem peccatorum & nouam regenerantem
gratiam ad hominis iustificationem necessa-
riò concurrere, nec vnam sine altera perfici
quod contra Caluinum valet plurimum, qui
in sola hac gratuita venia, cum Christi iusti-
tia nobis imputata, totam iustificationem
nostram perpetuò ponit, secluſa regenera-
tionis gratia vt aliqua iustificationis parte

Caluini impuden-tia proie-cta.

ne causa: non tamen propterea quicquid de uno dicitur, ad alterum pertinet, quum res inter se distinctæ admodum sint, sicut depulsio tenebrarum ab ipsa noua luce inducta toto genere differt; quum hæc noua forma sit, dans nouum quoddam esse rei, illa priuatio tantùm veteris formæ sit, nihil ponens in re. Ex illa ergo clausula adiuncta, quæ regenerantis gratiæ effectum luce meridiana clariùs denotat, quo tandem modo colligere licet de gratuita peccatorum venia in his verbis tractari?

Probare paradoxum suum Caluinus vult. *Nam* (inquit) *si docere vellet Paulus Spiritu regenerationis nos instrui ad vincendum peccatum, quorsum ista additio?* An compos hîc mentis suæ Caluinus erat? Quid enim magis efficaciter docet, Spiritu regenerationis nos instrui ad vincendum peccatum, quàm hæc ipsa additio, *iis qui non secundùm carnem ambulant, sed secundùm Spiritum*? Quid enim tandem aliud est, quid aliud significat, quid aliud humano conceptui diuinis literis imbuto repræsentat oratio illa, *Spiritu regenerationis instrui ad vincendum peccatum*, quàm beneficio eiusdem Spiritus *non ambulare secundùm carnem*, in quo propriè vincitur peccatum; *sed ambulare secundùm Spiritum*, qui regenerantis gratiæ proprius effectus est. *Peccatum vobis non dominabitur* (ait Apostolus) *non enim estis sub lege, sed sub gratia.* Quis autem sub gratia est, nisi qui

Ambulare secundùm Spiritum, est vincere peccatũ.

Rõ. 6. 14.

qui regenerantis gratiæ Spiritum accepit? *enim Spiritu ducimini, non estis sub lege.* Hoc sum ergo, *Spiritu duci, & ambulare secundùm Spiritum, non secundùm carnem*; proprius effectus, proprium argumentum est regeneratis gratiæ, ad vincendum peccatum dare.

Apostoli clausula incredibiliter à Caluino detorta.

Qua igitur mente, quo sensu, quo iudicio, nisi planè aut insano, suique parum compote, aut prorsus immodesto & effronti, dixit Caluinus: *Si docere vellet Paulus Spiritu regenerationis nos instrui, ad vincendum peccatum; quorsum ista additio, Iis qui non secundùm carnem ambulant, sed secundùm Spiritum?* Planè enim propterea hæc additio facta est, propterea illa clausula adiũcta est, vt doceret Paulus, Spiritu regenerationis nos instrui ac donari, ad vincendum peccatum. Ille enim demũ peccatum feliciter vincit, qui non secundùm carnem ambulat, quæ nil nisi peccata suggerit; sed secundùm Spiritum, qui semper peccato resistit. Imò verò si docere hoc loco voluisset Paulus, quòd Dominus gratuita sua misericordia nos iustificauit; aut si de gratuita iustificatione, vel de venia qua Deus nos sibi recõciliat, Paulus hîc tractaret (quod vtrumque Caluinus affirmat) profectò potuit illa verba, *Vt iustificatio legis impleretur in nobis*, non hanc clausulam adiecisset, *Qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm Spiritum*, quæ nihil ad gratuitam veniam pertinet; sed hanc adiecisset ex mente Caluini, qui gratuitam

tiam per Christum remissionē peccatorum deapprehendimus. Imò *optimè conuenit* (ait Caluinus) *postquam gratuitā remissionem pollicitus est fidelibus, doctrinam hanc ad eos restringi, qui pœnitentiā fidei adiungūt, nec abutūtur Dei misericordia ad carnis licentiam.* Planè hoc optimè conueniret, si tateretur Caluinus talē doctrinam de gratuita remissione verè & necessariò ad eos restringi, *qui secundùm Spiritū ambulant, non secundum carnem*, id est, non alios hac gratuita remissione frui atque gaudere, nisi qui ea accepta *ambulant secundùm Spiritum, Spiritu facta carnis mortificant, Deoq; seruiunt in iustitia & sanctitate*: quæ sunt Pauli & Euāgelij verba. Nūc autem hoc totū Caluinus necessariū esse ad salutē negat, & sic doctrinā de gratuita remissione peccatorū ad hāc clausulā nō astringit.

Pauli verbis prætextus sua vafre supponit Caluinus.

Deinde, cur Caluinus Apostoli verba non seruat? Cur non dicit ad eos restringi hanc doctrinā de gratuita remissione, *qui secundùm Spiritum ambulant*? Cur eorum verborum loco substituit, *pœnitentiam fidei adiunctam*? Hæc enim pœnitentia, fidei adiuncta, reconciliationis gratuitæ præparatio & principium est: *secundùm Spiritum ambulare*, fructus eius est, & acceptæ gratiæ conseruandæ necessaria conditio. Præterea, *non abuti Dei misericordia ad carnis licentiam*, nihil aliud dicit quàm incongruum aliquid & inconueniens. Non dicit aliquid gratuitæ remissioni retinēdæ & conseruandæ necessariò coniunctum, quale id quod

quod Apostolus dicit, *secundùm Spiritum ambulare*. Quare si Apostolus de gratuita remissione loqueretur illa clausula, *Iis qui ambulant secundùm Spiritum*, non obstante hac leuicula Caluini tergiuersatione, prorsus esset ea eam impertinens.

Addit adhuc Caluinus: *Deinde notanda est causæ redditio. Docet enim Apostolus quomodo gratia Christi nos à reatu absoluat.* Si hunc modum illa clausula docet, & causam reddit gratuitæ remissionis; planè & inuictè contra totam reliquam Caluini doctrinam sequitur, quòd *ambulare secundùm Spiritum* sit causa remissionis peccatorum, & modus ille quo Christus à reatu absoluat: id est, vt non alios absoluat, quàm qui ambulant secundùm Spiritum. Cæterùm nec nos Catholici ita sentire debemus, nec ipse Caluinus ita sentit, qui ne ad conseruationem quidem aut augmentum iustitiæ hanc conditionem ambulandi secundùm Spiritum admittit, sed solam fidem ad gratuitam remissionem peccatorum obtinendam requirit. Qua igitur mente, quo iudicio dicit verba illa, *Iis qui ambulant secundùm Spiritum*, modum esse quo gratia Christi à reatu nos absoluit, & causæ redditionem cur absoluat? Sed vsus est impostor hac audacia & confidentia, vt turbato rei nouitate & absurditate lectoris animo caliginem offunderet, ne perspicuam ante oculos veritatem aduerteret. Est enim lux meridia-

Caluiniani impostura causa.

meridiana clarius, illam clausulam, *Iis qui non secundùm carnem ambulant, sed secundùm Spiritum*, causæ redditionem esse & modum quo *iustificatio legis impleatur*, quæ verba Apostoli sunt; & ad quam legis obseruationem illa clausula proprijssimè pertinet: quũ de gratuita remissione peccatorum nullum hîc ab Apostolo verbum fiat: quod etiam ipse Beza contra Caluinum annotare voluit. *Non* (inquit) *mihi facilè persuaserim de peccatorum expiatione hîc agi. Est enim pars illa iam pridem ab Apostolo explicata, adeò vt à versu 12. cap. 5. aliud argumentum sit exorsus.* Quamquam tamẽ etsi in illis verbis, *Damnauit peccatum in carne*, expiatio peccati in carne Christi facta intelligatur, nullo modo propterea sequitur, postremam illam clausulam ad gratuitam peccatorum remissionem referri debere. Tam enim illa clausula, quàm quod eam proximè antecedit, *Vt iustificatio legis impleatur in nobis*, effectus est expiationis peccatorum in corpore Christi factæ, vt hæc sola eiusdem Pauli verba luculenter demonstrant: *Nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso.* Hic effectus ac fructus fuit expiationis peccatorũ in cruce factæ, quam & hic Apostolus luculenter tradere voluit, dicens: *Vt iustificatio legis impleretur in nobis.* Sed quomodo, aut quibus? *Iis qui non secundùm carnem sed secundùm Spiritum ambulant.*

Beza Caluinum corrigit.

Coloss. 1. 22.

Non contentus in exordio tractationis huius loci hanc caliginem lectoris oculis offundere Caluinus, ipsamet verba postea exponens, maiores tenebras inducere molitur. *Qui* (inquit) *intelligunt Spiritu Christi renouatos legem implere, commentū à sensu Pauli penitus alienum afferunt*, Quî sic? *Neque enim eousque proficiunt fideles quamdiu peregrinantur in mundo, vt iustificatio in illis plena sit & integra.* Atqui, ô bone, si eousque proficiunt fideles vt ambulent secundùm Spiritum, non secundùm carnem; iustificatio legis, id est, vt ipsemet tum exponit Beza, *id ipsum quod requirit lex*, in illis impletur. Quòd si nullos etiam tales esse adserueris, fateri necessariò debes nullos posse saluari qui operandi tẽpus habent: aitenim in eodẽ hoc capite idem Apostolus de vtroque huius clausulæ membro: *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini: si Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Aut per te nullus hoc potest, & nemo viuet, sed omnes morietur in peccatis suis; aut si aliquis potest, quisquis ille est, legem impleuit. In illis enim iustificatio legis impletur, id est, illi faciunt idipsum quod lex requirit, *qui non secundùm carnẽ ambulant, sed secundùm Spiritũ.* Ergo falsũ, absurdum, & impium est quod sub rationis specie adfert Caluinus, vt probet cõmentum esse à Pauli sensu alienum, qui ex hoc loco intelligunt Spiritu Christi renouatos legem implere.

Legis iustificationem impleri ostẽditur.

Rom. 8. 13.

Vnde

Vnde & totum quod copiosè infert, penitus concidit. *Ergo* (inquit) *hoc ad veniam referre necesse est: quia dum nobis accepta fertur Christi obedientia, legi satisfactum est, vt pro iustis censeamur. Perfectio enim quam lex exigit, ideo in carne Christi fuit exhibita, ne amplius ad nos damnandos vigeat eius rigor.* Hæc est antiqua Caluini cantilena, seu blasphemia potius, suprà refutata: quam hîc repetere voluit, quum nec vnum hîc verbum sit quod eam significet, vt ab alterasaluberrima & perspicua Apostoli doctrina lectoris animum abduceret. Cauteriata conscientia sciens & volens Scripturam deprauat Caluinus, suosque lectores sciens & volès in errorem abducit. Quo ego flagitio ac sacrilegio vix vllum execrabilius esse existimo.

Cõclusio Caluiniana ex falsis medijs nulla.

Caluini conscientia cauteriata.

Sed cur ergo Apostolus de regenerantis ac renouantis gratiæ effectu subiecit, *in illis impleri iustificationem legis, qui secundùm Spiritum ambulant?* &c. Quid hoc ad obedientiæ Christi conflictam imputationem? vult & huic quæstioni satisfacere. *Quia* (inquit) *suam iustitiam nullis communicat Christus, nisi quos Spiritus sui vinculo sibi coniungit, additur iterum regeneratio, neputetur Christus peccati esse minister.* Scilicet hoc est hæreticorum ingenium: modò aliquid adferre queant quod vel minimam probabilitatis speciẽ habeat, apertissimum Scripturarum sensum nullo Dei timore, nulla conscientia tacti, deprauant. Christus proculdubio

Hæreticorum ingenium.

culdubio nullis peccata remittit, nisi quos Spiritus sui vinculo sibi coniungit: quod iterum valet contra Caluinum plurimum, qui in sola remissione peccatorum, absque vlla necessaria cum Christi Spiritu coniunctione (quæ non fit nisi per illius Spiritus, gratiæ & donorum eius participationem) hominis iustificationem ac salutē ponit. Christi autem iustitia, obedientia, legis adimpletio, si nobis communicari, id est, imputari debeat, (nullum enim aliud communicationis genus Caluinus agnoscit) vt hac communicatione imputatiua iustificemur & saluemur, prorsus ad salutem & iustificationem impertinens est, aliam cum Christo coniunctionem habere quàm per fidem, qua hanc Christi iustitiam apprehendimus. Et hæc est perpetua, constans, & firma tā Caluini quàm omnium hodie hæreticorum sententia. Quòd si reuera Christi iustitia nemini imputetur, *nisi ipse secundùm Spiritum ambulet, & Spiritu facta carnis mortificet* (hæc enim sunt verba Pauli quæ semper fugit Caluinus, & alia generalia substituit) planè & inuictè sequitur, non ex sola imputata Christi iustitia nos saluari, aut coram Deo iustificari, sed adesse oportere præterea bona pietatis opera, quæ illi faciunt *qui secundùm Spiritum ambulant, idq; ne putetur Christus peccati esse minister*, vt Caluinus hîc loquitur. Sic non tantùm bonorum operum necessitas,

Caluinus ex suis refutatur.

Imputatiua iustitia euertitur.

sed &

sed & iustificatio ex illis coram Deo ex ipsa Caluini confessione concluditur. Cæterùm de aliqua Christi iustitia, aut obedientia, qua legi satisfactum est, posteaq; nobis accepta fertur, nihil hîc prorsus Apostolus loquitur. Caluinianum fermentum est, quo verbum Dei (docens doctrinas & mandata hominum, quæ à Luthero, Bucero, Melanchthone, & alijs didicerat,) nefariè contaminat. Apostoli sententia hæc est: *Quia impossibile erat* vt lex homines saluaret, eò quòd in homines carnales incidens, infirma & inualida ad salutẽ facta est, Dei misericordia & Christi beneficio factum est, vt iustitia, quam lex requirit ad vitam ac salutem, impleretur in hominibus, non iam carnalibus, sed spiritualibus, *qui non secundùm carnem ambulant, sed secundùm Spiritum.*

Bezæ corruptelæ examinãtur.

Sed nunc vt ad huius tam insignis loci deprauationem Beza cooperatus fuerit, suaq; partes post Caluinum egerit, videamus. *Condemnauit* (inquit) *peccatum in carne, id est, nullum in nos ius habere declarauit.* Probè hoc quidem, & contra Caluini sensum, vt suprà accepimus. Sed nunc quid his verbis intelligat, audi: *Nam imputatâ Christi iustitiâ, peccatum pro nihilo habetur, quamuis superstint eius reliquiæ in nobis.* Rotundè Beza id, quod sui sentiunt, effutiuit. Caluini hypocrisim (*non alijs iustitiam Christi communicari, nisi qui Spiritus vinculo Christo cõiuncti, secundùm Spiritum ambulant, non*

Beza Caluini hypocrisin propalauit.

secundùm carnem) execratus Beza, apertè & rotundè dicit, *imputatâ semel nobis Christi iustitiâ, peccatum pro nihilo haberi, quamuis supersint eius reliquiæ in nobis*: id est, nulla iam amplius peccata aut peccatorũ reliquias nobis obesse posse, vt hoc sensu *nullum in nos ius habeat peccatum*, quia non potest amplius nos condemnare, aut nobis ad mortem imputari. Etsic illa verba, *Peccatum vobis nõ dominabitur*, scholia Vatabli, è schola Geneuensi non à Vatablo profecta, hunc in modum exponunt: *Non damnabimini propter peccatum: quia non estis sub lege. Esse enim sub lege, est, damnari sententia legis in conscientia: Sub gratia esse, est, conscientiam certissimam esse, omne peccatum nobis remissum esse Dei benignitate.* Hæc illa scholia. Sanè tum Beza, tum Caluinus, ad illa verba, *Peccatum vobis non dominabitur*, nihil prorsus annotant, nihil dicunt. Satius iudicarunt sua venena silentio occultare, quàm aut illa propalare, aut verum sensum aliquid dicendo adserere. Nunc tamen Beza non amplius dissimulandum ratus, exponit sic Christum *damnasse peccatum in carne nostra*, vt illud iam *nullum ius in nos habeat*, id est, nos damnare non possit; quia Christi iustitiâ nobis imputatâ, *peccatum tam pro nihilo habetur*. Ita nunc iuxta huius bestiæ sanctimoniam, renatus in Christo, & credens in eum, Christique iustitiam sibi imputatam fide forti apprehendens, fornicetur, inebrietur, omni spurcitia contamine-

tur:

Vatabli scholia è schola Geneuẽsi prognata.

Caluinus textum sibi aduersantem dissimulat.

tur: *peccatum pro nihilo habetur; vtcumque super-sint reliquiæ eius in nobis*; id est, vtcunque semper mortaliter peccemus. Nulla enim apud Bezam, iuxta magistri sui Caluini doctrinam, venialium & mortalium peccatorum distinctio; sed omnia in sua natura mortalia sunt.

Cæterùm, iuxta hanc tam apertam Bezanam impietatem, manet ingens quæstio, cur Apostolus adiecerit, *Iis qui non secundùm carnem ambulant, sed secundùm Spiritum*. Hunc nodum soluere cupiens Beza ait, *appositè hoc Apostolum subiecisse, vt intelligamus quod verissimũ est, frustrà de fide ac Christo apprehenso gloriari, qui reipsa non ostendunt se Christi Spiritus esse participes. Hac igitur iustitia per Christum in nobis inchoata, testis est nos in Christo esse*. Sed hîc Beza improbum illum ariolum agit de quo *nuper diximus, qui vt fidem suã apud domesticos tueatur, alteri pluuiam, alteri serenitatem prædixit, vt ab alterutro de mendacio ac fraude conuictus, alterius testimonio se defendat, quasi ab altero malè intellectus; quum contrarium sibi à bono ariolo prædictum esse, alter iuramento firmabit. Sic bonus Beza lectores hîc suos pugnantibus assertionibus ludificat, vt qui alterutra eum premere velit, siue orthodox⁹ in prima, siue sodalis quispiam suus in secunda, habeat vnde se tueatur, alteri dicens quòd malè eum intellexerit, quum apertè contrarium affirmauerit.

*Supra ad Rom. 4. in fine c.

Beza pugnãtibus assertionibus lectores ludificat.

Hîc enim si premit Bezá orthodoxus, quòd necessitatem bene operandi tollat, & liberam peccandi licentiam ponat, dicens *peccatum in renatis per Christum pro nihilo haberi*, respondebit se à nobis malè intellectum, quia postea fatetur, *frustra de fide ac Christo apprehenso gloriari, qui reipsa non ostendat se Christi Spiritus esse participem, id sue per iustitiam in seipso inchoatam, ambulans secundùm Spiritum*, &c. Quòd si ab altera parte à sodali aliquo suo prematur, cur hanc iustitiæ inchoatæ & ambulandi secundùm Spiritum necessitatem talem posuerit, vt absque ea frustra de fide & Christo apprehenso glorietur; respondebit mobiliter, salua adhuc esse omnia, & soli fidei nihil esse præiudicatum; quia antea præmiss. *imputatâ semel nobis Christi iustitiâ, peccatum pro nihilo haberi*: aliquid tamen hîc fuisse dicendum propter tam aperta Apostoli verba in contrarium, & ad aliquê fucum Papistis faciendû Hunc ille ludû ludit. Quis enim nô videt quàm apertè pugnãtia vno ferè & eodem spiritu, in vna & eadem Apostoli sententia loquatur? Si enim *iustitia in nobis inchoata* veri nominis iustitia coram Deo non est, sed *testis tantùm* quòd in Christo sumus, non (vt suprà ad illa verba, *In Christo Iesu*, dixit) *salutis nostræ causa, sed testimonium*; falsum est illud alterum, *frustra de fide & Christo apprehenso gloriari qui reipsa non ostendit*, id est, qui per iustitiam inchoatam, & ambulando secundùm

Vers. 1. cap. 8.

dum Spiritum, non ostendit, *se Christi Spiritus participem esse.* Planè enim non frustra sed meritò & solidè de inuenta salute gloriatur, qui nulla salutis causa indiget; habetque omnia ad salutem suam necessaria. *Si peccatum pro nihilo habetur*, peccati fuga, quæ est *non ambulare secundum carnem*, non est illi necessaria. Si non est necessaria, etiam si illa careat, modò Christi iustitia imputata per fidem gaudeat, saluus est, iustus est, de fide & Christo apprehenso gloriari potest. Sed & impiam hanc doctrinam suam priori loco positam magis adhuc manifestat Beza. *Non* (inquit) *idcirco nulla in nobis est condemnatio, quia iustitia est in nobis inchoata* (hoc est, quia secundùm Spiritum ambulamus, & reipsa ostendimus quòd Christi Spiritus participes sumus) *sed quia in Christo sumus, in quo plenè sumus sanctificati*: eius videlicet iustitiâ nobis imputatâ. Vide ergo apertam impietatem. Si iustitia inchoata à damnatione nõ liberat quũ in nobis est, profectò nec damnationem adferet si à nobis abest. Quòd si, quum abest, nullam damnationem adfert, profectò, qui ea caret, de sua sola fide & Christo apprehenso meritò gloriari potest: nec ad dãnationem deuitandam necesse est vt Christi Spiritus participem se esse reipsa ostendat. Absque hac participatione reali saluus est. Ita planè Epicuream doctrinam docet Beza, docet Caluinus: sed illud docere videri nolunt: ad quã

Bezanæ doctrinæ aperta impietas.

hoc loco dissimulationem, hæc Apostoli verba longè clarissima eos compulerunt.

9. *Vos in carne non estis, sed in Spiritu: si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Qui enim Spiritum Christi non habet, hic non est eius.*

SVbiungit hoc Apostolus (ait Caluinus) *vt ostendat quàm necessaria sit in Christianis carnis abnegatio. Regnum Spiritus, est carnis abolitio. In quibus nõ regnat Spiritus, illi ad Christũ non pertinent. Ergo Christiani non sunt qui carni seruiunt. Christum enim à Spiritu suo qui diuellunt, eum faciunt mortuo simulachro vel cadaueri similem. In semper tenendum est illud Apostoli consilium, gratuitam peccatorum remissionem à Spiritu regenerationis non posse seiungi: quia hoc esset quasi Christum discerpere.* Placet omnino hic Caluini commentarius, quia & bonorum operum necessitatem ad salutem docet, sicut Pauli hoc loco sententia habet; & præterea non separari à gratuita peccatorum remissione totius vitæ innocentiam ac puritatem affirmat; quorum vtrunque solam fidem iustificantem ac saluantem, quæ solam gratuitam peccatorum remissionem cum iustitia Christi imputata apprehendit, penitus subuertit. Nam & priùs ad illa verba, *Si tamen Spiritus Dei habitat in vobis*, commentatur Caluinus hoc modo: *Correctio est appositè subiecta, qua excitantur vt seipsos propiùs examinent, ne Christi nomen frustrà prætendant. Hæc autem est certissima*

Imputatiua iustitia à Caluino reprobata.

magnis discernuntur filij Dei à filijs mundi, si Dei quoque ad innocentiam ac sanctitatem regenerati sint. Optimè hæc omnia, & vt ad germanum Apostoli sensum, sic ad alia hæreticorum placita, de sola fide & imputatiua iustitia, & legis seruandæ impossibilitate, & omnium operum nostrorum perpetua immunditie, aliisque similibus, penitus subuertenda plurimum valent.

Hæc quum ita sint, vide tamen quid Caluinus inferat vt lectoris animum aliò longissimè abducat, & saluberrimæ huic Apostolicæ doctrinæ aliquid veneni immiscat. *Id* (inquit) *si verum est, mirum est ab Euangelij aduersarijs nos arrogantiæ insimulari, quòd Christi Spiritum in nobis habitantem agnoscere audemus.* Planè nō arrogantiæ tantùm, sed & summæ dementiæ atque impietatis vos omnes insimulamus, qui certitudinem salutis de fide vobis pollicemini propter Spiritum Christi in vobis, vti asseritis, inhabitantem. Quare autem id vobis ita mirum videtur? *Nam* (inquit) *aut Christum abnegare conuenit, aut fatert per eius Spiritum esse Christianos.* De ea re quis dubitat? Sed quid hoc ad rhombum? Per Spiritū Dei homines fiunt Christiani: Ergo negare nō debemus quin Caluinistæ habeāt Spiritū Dei; neque eos insimulare debemus, quòd audeant agnoscere Spiritum Christi illis inhabitantem. Talem consequentiam quis puer non irrideret? quis, qui vel primis

Caluini puerilis argumentatio.

mis labris differendi artem attigisset, è schola non exsibilaret? Inter antecedens & consequens quàm multa hîc media desiderantur. Antecedens hoc est: Per Spiritum Dei homines fiunt Christiani. Consequens est: Ergo Caluinistæ habent Spiritum Dei. Quæ

1. non videt hîc desiderari primum hoc medium? Sed Caluinistæ sunt Christiani. De

2. inde huius medij probationem, quòd ita tales sunt. *Nam excitantur hîc ab Apostolo homani* (vt ipsemet scribit Caluinus) *vt propiùs examinent, ne Christiani nomen frustra*

3. *tendant.* Tum, si tales modò sunt, an tales perpetuò futuri sint. Sic enim Spiritum Dei sibi venditant Caluinistæ, tantaque certitudine fidei, vt eo nunquam carere sese præ-

4. mant. Postremò, etiam si tales perpetuò futuri sint, an hoc omnibus nobis certò constet, idque de fide. His demum positis, videbit hoc consequens, vera erit hæc conclusio: *Ergo negare non debemus quin Caluinistæ habeant Spiritum Dei.* Nũc autem illis quatuor mediis prætermissis, quæ etiam nunquam probari poterunt, concludit se habere Spiritum Dei, neque hoc à nobis negari oportere. Et videte quanta fiducia eos qui hoc negant, quasi atrocissimi sceleris conuictos traducat. *Horribile* (inquit) *auditu, homines sic à diuino verbo defecisse, vt non modò Christianos se esse iactent absque Dei Spiritu, sed fidem quoque aliorum reprehendant. Atqui hæc Papistarum est philosophia. Mo-*

Caluini tonitrua putida ac ridicula.

gum

gum hic tonitru, magnus verborum ſtrepitus: ſed nec grando nec pluuia ſequitur. Hominis impudentia maior eſt quàm quæ meis verbis exprimi queat. Supponit duo: vnum, *nos per Spiritum Dei fieri Chriſtianos*. Atqui hoc tuum antecedens, Caluine, nemo Chriſtianus negat. Sed turpiſſimum tuum conſequens cur meritò explodimus, iam lector intelligit. Alterum, quòd horum hominum fidem, qui audent ſibi Spiritum Chriſti inhabitantem venditare, irridemus. Atqui non fidem, ſed præſumptionem impiam, temerariam, falſam, putidiſſima hîc cauillatione fundatam, non irridemus modò, vt ſtultitiæ ac dementiæ plenam; ſed execramur quoque, vt multarum animarum peſtem certiſſimam. Et hæc eſt non philoſophia modò, ſed & Theologia noſtra, qua turpiſsimos Caluini paralogiſmos, & diuinæ Scripturæ deprauationes fœdiſsimas, Dei beneficio deprehendimus, aperimus, iugulamus.

13. *Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini.*
13. *Si Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.*

Bonorum operum ad ſalutẽ neceſſitas.

ESt hic locus valde perſpicuus, illuſtris, & efficax, tum ad bonorum operum neceſſitatem & efficaciam demonſtrandam, tum ad ſolius fidei iuſtificationem profligandam. Nam & diſertè ait, *qui ſecundùm carnem viuunt, morientur*, quos propterea ſola fides à morte eripere

eripere non potest; & non minùs differe-
dit, eos *qui Spiritu facta carnis mortificant*, id est
qui secundùm Spiritum ambulant, & opera
spiritualia proferunt, *victuros*, seu vitam æ-
nam adepturos; vt propterea ad vitam æ-
nam consequendam bonorum operum ex-
curio tum necessaria sit, tum efficax. Calu-
nus ipse veritatem hanc orthodoxam alio-
ex parte & specie tenus profiteri ex loci-
dentia cōpulsus est. Sed in fauorem suæ hæ-
resis totam Apostoli doctrinā mira cuidam
arte & astutia penit⁹ subuertit. *Addit (inquit)*
Apostolus comminationem, quo atrius torpentia
omnem excutiat. Qua etiam probè refellitur
iustificationem fidei iactant sine Christi spiritu.
Quanquam sua ipsorum conscientia plus satisfa-
guuntur: quia nulla est in Deum fiducia, vera
& amor iustitiæ. Verum est quidem, nos sola
misericordia iustificari in Christo; sed aque
verum ac certum, omnes qui iustificantur, vera
Domino vt dignè sua vocatione viuant. Dissen-
go fideles, nō in iustitiā modò, sed in sanctificatione
quoque Christum amplecti, sicuti in vtrumque per
nobis datus est, ne mutilā suā fide eum lacere
Hæc ille ad priorem versiculum. Quid
posteriorem dicat, mox videbimus. Vali-
quippe artificiosè vtrumque tractat; quali-
que lupum auribus tenens, nec nullam ve-
tatem dicere audet, nec totam veritatem
profiteri vult: Apostolo apertè contradicere
formidat, suæ tamen hæresis causam defen-

Pauli clarissima verba qua arte eludit Caluinus.

inuoluit. Vt Apostolo ipsique veritati malitiæ quadamtenus sermonem suum accommodaret, concionatur *torpore hîc omnem pœnè exuti, probè eos refelli qui iustificationem sine sanctificatione sine Christi Spiritu*, vbi suos propiùs pupugisse visus est; denique *à suis ipsorum consentaneis redargui, qui sine amore iustitiæ fiduciam concipiunt*. Hæc contra eos, *qui secundùm carnem viuunt*, quasi ex Apostoli sententia concionatur. Vt tamen illis parcat, totam in eos Apostoli sententiam non pronunciat. Apostolus ait huiusmodi *morituros*, id est, nullam apud Deum salutem consequuturos. Hoc Caluinus sibi tacendum putauit, ne *vitam secundùm carnem*, id est, vitam peccato deditam, & bonis operibus vacuam, nimiùm contra suos, in sola fide salutem sibi pollicentes, prægrauaret. Satis habuit eos verbis duriusculis excipere, & quasi homines *pigros, absurdos, & parùm consideratos* redarguere: *mortem* illis certò imminentem proponere supersedit. Sic vbi aliquid pro veritate dicere videtur, nec illam totam dicit, &, quod in ea præcipuum erat, alto silentio inuoluit. Et hoc totum est quod pro vera Apostoli sententia dicere voluit. Quod tamen exiguum, ne suam ac suorum causam læderet, quàm hoc in loco plurimum laborare & fatiscere videbat, eius patrocinium studiosè aggreditur. *Verum* (inquit) *est nos sola Dei misericordia iustificari in Christo*. Quod ad primam illam iustificationem

Pauli verba primũ mitigat & extenuat.

Techna Caluiniana.

Pauli verba conatur eludere.

nem seu iustificationis exordium attinet, verum est, & quoad illius iustificationis causam propriam & efficientem. Nam causa ad iam necessariò disponens in adultis, multa alia requirit, fidem, pœnitentiam, charitatem, spem veniæ, odium peccati, propositum nouæ vitæ, & his similia. Ita illa Caluini propositio multa modificatione indiget. Deinde, de hac iustificatione Apostolus hic non loquitur, quia ipsis iam iustificatis loquitur, eosque docet quid illis necessariò faciendum incumbat, vt iustificationem, vitam, adeptam conseruent, & ne semel iustificati nihilominus moriantur. Ait enim: *secundùm carnem vixeritis, moriemini.* Hactenus adhuc Caluini propositio ad Apostoli hoc loco sensum prorsus impertinens est. Reliquamus reliqua: *Sed æquè & istud verum autem, omnes qui iustificantur, vocati à Deo digne sua vocatione viuant.* Non solùm adhuc *vocantur*, & inuitantur, quasi ad rem honestam laudabilem, & *vocatione Christiana dignam*; (non enim tendit Caluini oratio ab Apostolicis verbis valde diuersa) sed sub periculo damnationis æternæ illis iniungitur, *vt secundùm carnem non viuant, sed secundùm Spiritum*; vt desideria carnis non sequantur, sed legis mandata, quæ tota spiritualis est, obedienter sequuent: vtpote certò *morituri* si illud perpetrant, & certò *victuri* si istud præstêt. Vtrumque enim hoc hic locus dicit. Tenemus

Pauli verba iterum extenuat.

hunc quantum Caluinus ab Apostoli sententia recedat, & quantopere illam extenuauerit, vt solius fidei iustificationi ac saluti hoc in loco grauissimè periclitanti succurreret.

Videamus reliqua: *Discant ergo fideles, non in iustitiam modò sed in sanctificationem quoque Christum amplecti, sicuti in vtrumque finem nobis datus est, ne mutila sua fide eum lacerent.* Qui in Caluini dogmatibus ac technis versatus non est, prorsus iudicaret, Caluinum hoc loco dicere, non solùm iustitiam Christi ad remissionem peccatorum nobis imputatâ fide amplectendam esse, sed eius quoque sanctificationem retinendam esse, quam Spiritus eius gratia in regeneratis operatur, vt sic *non secundum carnem viuamus*, quia in vtrumque finem nobis datus est, tum vt eius iustitia ad remissionem peccatorum nobis imputaretur, tum vt per regenerantem gratiam Spiritus eius participes facti, innocentiam & sanctitatem vitæ retineremus. Sed Caluini sensus longè alius est: & ita loquitur, vt à suis quidem intelligatur, alios verò lectores verbis ambiguis prorsus ludificet, & naso suspendat adunco. Caluini enim vera sententia est, Christum nos in sanctificatione amplecti debere, non solùm in iustitiâ, quia non solùm Christi iustitia qua pro peccatis nostris Deo satisfecit, sed etiâ tota eius sanctificatio, tota eius obedientia, puritas, integritas, nobis per

Caluini tectum & mellitum venenum expanditur.

Technæ Caluinianæ.

fidem illam apprehendentibus imputare. Propterea adiecit (quod sui bene intelligio) *ne mutila sua fide Christum lacerent*: id est, ne iustitiam quidem Christi quoad peccatorum remissionem fide apprehendant, sanctificationem autem & totam Christi puritatem, ex qua illis imputata iusti coram Deo habeantur, eadem fide nō apprehendant. Hic suos fideles monet Caluinus vt discant & attendant, & sic hæc Apostoli verba minimè meant, quibus dicit, *Si secundùm carnem viximus, moriemini.* Christi quippe sanctificationi, qui secundùm carnem non vixit, & (vt paulò antè dixit) *cuius obedientia nobis accepta fertur, vt sic legi satisfiat, nosq; pro iustis censeamur*, si fide apprehenderint, futurum esse vt non moriantur, sed viuant. Illam autem, quam dixi, Caluini sententiam, *nos Christum in sanctificationem amplecti*, sicuti hîc loquitur, adeoque per Christum sanctificari, quia eius sanctitas & puritas nobis imputatur, ipsius Caluini veram & genuinam esse, hæc eius alibi verba docebunt. *Quare* (inquit) *fide iustificamur? Quia fide apprehendimus Christi iustitiam, qua vna Deo reconciliamur. Hanc verò apprehendere non potes, quin & sanctificationem simul apprehendas. Datus est enim nobis in iustitiam, sapientiam, sanctificationem, redemptionem. Nullum ergo Christus iustificat, quem non simul sanctificat. Vis ergo iustitiam in Christo adipisci? Christum antè possideas oportet. Possidere autem non potes, quin*

Ad huius cap. ver. 4.

Institut. lib. 3. cap. 16. num. 1

tis sanctificationis eius particeps : quia in frusta discerpi non potest. Quum ergo hæc beneficia, non nisi seipsum erogando, fruenda nobis concedat, vtrumq; simul largitur ; alterum nunquam sine altero. Hæc Caluinus. Tenemus nunc quid sit iuxta Caluinum, *Christum in sanctificationem amplecti, ne mutila sit fides nostra* : nimirum, vt eius sanctificationem fide apprehendamus, sicuti iustitiam apprehendimus. Vtrumque autem dat, non per aliqua dona nobis inhærentia, sed *seipsum nobis erogando* : quem fide totum apprehendendo totum nostrum facimus, totumposſidemus, vt sic iusti ac sancti coram Deo habeamur. Quod ergo Apostolus hic dixit, *Si secundùm carnem vixeritis, morièmini*, secundùm Caluinum sic intelligi debet : Si Christi sanctificationem & puritatem, qui secundùm carnem non vixit, fide non amplectimini, vt fides vestra integra sit, nõ mutila, morièmini. Proh Deum immortalem! Quid est diuinam Scripturam sacrilega audacia, scientem ac volentem, ludibrio exponere, si hoc non est? Quid est impostorem nefarium agere, si hoc non est? Quid est *in nequitia & astutia circumuenire*, si hoc non est? Declamandi hîc locus non est. Relegantur quæ priùs tam sanctè concionari videbatur, & attendatur in qualem & quam fœtidum fumum totum resoluitur, ac postremò ab Apostoli sententia quàm longè latéque discesſit.

Pauli verba in sensu Caluini.

Verbi Dei corruptela sacrilega.

Ephes. 4.

Nunc vt ad alterum huius textus versiculum, *Si autem Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis*, lectorē ludat, & diuinæ Scripturæ verba corrumpat, videamus. *Ita* (inquit) *temperat Apostolus sententiam, vt non deijciat animum pys, qui sibi multæ adhuc infirmitatis conscij sunt.* Nempe visus Caluino Apostolus ēt priori versiculo nimis rigidus ac severus dicens: *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini.* Caluino adhuc carnali, & sub lege posito vox illa legē, mandatū, & comminationem sonans, dura, rigida, & aspera visa est. Vult ergo nunc Apostolum in his verbis hanc sententiam *suam temperare*: idque ne forte piis Caluinistis, sola fide vitam sibi pollicentibus, secundùm carnem viuere assuetis, *animum* illis *verba deijcerent*. Quomodo ergo sententiam hîc suam temperat Apostolus? *Nam* (inquit) *vtcumq; peccatis sumus adhuc obnoxij, nihilo tamen minùs vitam nobis promittit, modò carnis mortificandæ studium prosequamur. Neque enim exactè requirit carnis interitum, sed tantùm enitimur nos ad domandas eius libidines.* Nónne præclara hæc Caluini oratio est? præclarus commentator?

Paulus Caluino nimis rigidus ac seuerus.

Cal. cauteriata conscientia Apostolum deprauat.

Nónne iterum sciens ac volens cauteriata conscientia Scripturam Apostolicam deprauat? Nónne sensum verbis Apostolicis prorsus contrarium adfert? Apostolus dixerat: *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini.* Minitatur, ait Caluinus; & serpentis antiqui vocem mentitus, Gen. 3. *Nequaquam*, inquit, *morte moriemini.*

Vtcumq;

Quamquæ peccatis estis obnoxij, nihilo tamen minùs viuetis: & vitam hîc in præsentibus verbis *promittit Apostolus, modò carnis mortificandæ studium prosequamini.* Sed quid si hoc studium non succedat? Quid si *boni desiderij effectus non sequatur, quia impar facultas est, nec reperimus in nobis quod optandum erat*, sicuti nuper de ipso Paulo dixerat? Saluus es, ait Caluinus, modò *studium* adhibeas. *Non enim exacte requirit carnis interitum, sed tantùm eniti nos iubet ad domandas carnis libidines.* Nimirum (quod Beza apertis verbis dixit) vt *reluctetur quidem spiritus, sed non vincat.* Itaque quantiscunque sceleribus ac flagitijs de facto contaminemini, modò *studium virtutis* non deponatis, id est, malletis illa scelera ac flagitia non perpetrare, *& cum aliquo Dei timore & peccati odio illa perpetratis*, (sic enim & nuper dixerat) id est, si non ad extremam impietatem prolabamini, de qua scriptum est, *Impius, quum in profundũ venerit, contemnet*, adhuc vita viuetis: quia hunc tantùm pium conatum, *eniti ad domandam carnem*, non autem ipsam peccati victoriam, *non interitum carnis exactè requirit.* Patitur Apostolus adhuc vinere & vigere in vobis peccatum, modò ex parte vestra aliqua semper maneat pugna, aliquod studium pietatis. Sic paulò antè dixerat, *Nulla est in Deum fiducia, vbi non est amor iustitiæ.* Amorẽ iustitiæ, studium virtutis dicit, non ipsam iustitiam, aut virtutis opus. Hæc est tota Caluini aperta

Suprà ad Rom. 7. vers. 18.

Suprà ad Rom. 6. vers. 10.

Suprà ad Rom. 7. vers. 19. Prou. 18.

Suprà ad Rom. 8. vers. 12.

Techna Caluiniana.

& nuda ſententia, quam ille (more ſuo) homo fallendi peritiſsimus, paucis & conciſè proferre voluit, vt eius turpitudo minùs aduerteretur, totaque oratio magis honeſta videretur. Nunc autem tota eius ſententia penitus introſpecta, & in lucem extracta, manifeſtat eius impietatem (quam etiã alio in loco patefecimus) & prælentis loci execrabilem corruptionem quis non videt? Apoſtolus quippe non de ſtudio aut conatu aut amore tantùm iuſtitiæ loquitur, eoque imm & impoſsibili, qualem Caluinus fingit; ſed de effectu & interitu atque victoria pecca loquitur. *Non quidem carnis interitum exactè requirit*, (vt Caluinus vafre loquitur) id eſt, potius concupiſcentiæ extinctionem (ad hanc quippe penitus extinguendam, ſopiendam, perimendam, perpetua eſt iuſtorum in hac vita pugna & luctа, quæ nonniſi in altera vita ſuum effectum & plenam victoriam aſſequetur) ſed *operum carnis interitum* Apoſtolus exactè exigit. Non dicit, Si carnem mortificaueritis (in quo fallit lectorem Caluinus) ſed dicit, *Si facta carnis*, τας πραξεις τȣ σωματος (quę *actiones corporis* Beza vertit) *mortificauerit-is, viuetis*. Eadẽ autẽ ſunt facta carnis, & opera carnis, ſeu actiones corporis, in Scriptura Euãgelica: pro eodem, inquam, vſurpantur,

Caluinus pro operibus carnis carnẽ ſubſtituit.

Mat. 16. ἐργα της σαρκος και πραξεις τȣ σωματος. Reddet vnicuique ſecundũ opera eius; κατα την πραξ-

Coloſſ. 3. ξιν αυτȣ. Exuentes veterem hominem cũ actibus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tus suis; σὺν ταῖς πράξεσιν αὐτῶν. *Confitentes & annunciantes actus suos*; τὰς πράξεις αὐτῶν. Quæ igitur facta carnis, seu opera carnis, seu quos actus corporis mortificandos Apostolus intelligat, ipse nos docebit. *Manifesta* (inquit) *sunt opera carnis, fornicatio, immunditia, luxuria, idolorũ seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia; quæ qui agũt, regnum Dei non consequentur.* Hæc sunt *facta carnis, quæ si mortificauerimus, viuemus.* Hæc facta carnis penitus in nobis occidenda sunt, & horum interitum exactè Paulus requirit, vt coram Deo viuamus. Non satis est *eniti ad ista edomanda*, aut *studium* ad illa mortificanda adferre, sed cum effectu illa mortificanda sunt, penitusque perimenda, vt coram Deo viuamus. Non debemus huiusmodi *peccatis esse obnoxij*, vt Caluinus permittit, quia qui *talia agunt, regnum Dei non possidebunt*, non viuent, morte morientur: quicquid serpens Caluinus blandè in contrarium suggerat; vt sicut serpens seduxit Euam blando illo sermone, *Nequaquam morte moriemini*, sic ille suos lectores seducat blandis illis verbis: *Vtcunque peccatis sumus obnoxij, nihilo tamen minùs vitam nobis promittit, modò carnis mortificandæ studium prosequamur.* Hi sunt seductoris Caluini *dulces sermones & benedictiones, quibus seducit corda innocentium.* Apostolus vitam promittit, ipsa facta carnis, ipsa peccata quæ ex carne oriuntur,

Act. 19.

Gal. 5. 19.

Caluinus serpenti diabolo simillimus.

Rom. 16.

Pauli doctrina & Caluini corruptela obseruanda.

tur, penitus occidentibus & *mortificantibus* non autem desideria huiusmodi peccatorum occidere tota vita conantibus, ipsaque interim peccata perpetrãtibus, & qui illis perpetuò obnoxij sunt. Mortificandi verbum hoc loco, θανατοῦτε, propriè occidere & morti tradere significat, in quo sensu tum in Euangelio semper (Matth. 26. ver. 58. & 27. ver. 1. Marc. 14. ver. 1. Luc. 21. ver. 16.) tum apud Paulum alibi accipitur: *Vt castigati, sed nõ mortificati: ὡς παιδευόμενοι καὶ μὴ θανατούμενοι.* De vera igitur morte veroq; interitu operũ carnis loquitur hîc Apostol⁹, in quo cõsistit nouitas & sanctificatio nostra inchoata. Audiamus Augustinum hæc Pauli verba sapienter explicantem. Citato toto hoc loco quem nunc tractamus: *Hoc* (inquit) *est opus vestrũ in hac vita, actiones carnis Spiritu mortificare, quantũlas affligere, minuere, frenare, interimere. Quàm multos enim proficientes non iã delectant quæ antea delectabant! Quando ergo delectabat & nõ consentiebatur, mortificabatur: quia iã non delectat, mortificatũ est. Calca mortuũ, transi ad viuũ. Calca iacentem, conflige cũ resistente. Mortua enim est vna delectatio, sed viuit altera; & illã, dum nõ consentis, mortificasti. Cum cœperit omnino nõ delectare, mortificasti. Hæc est actio nostra, hæc est militia nostra.* Hic est huius loci sensus germanus, hæc doctrina saluberrima: quam verò sipelli sua blanditie hostis pietatis Caluinus penitus eludere & inanem reddere voluit. Facta carnis, à quibus omnes iusti abstinent,

2. Cor. 6 9.

Serm. 13. de verb. Apost.

Caluini artes.

abstinét, vertit in desideria, quibus nemo iustus caret; & ipsam mortificationé actu præstandam, in mortificandi studium ac conatum inefficacem. Hæ eius artes sunt.

14. *Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt.*

PRobatio eius est quod proximè præcessit. Ne enim quis, audito quòd Spiritu facta carnis mortificare oportet, vel id sibi difficile existimaret ex ignauia, vel id se suis viribꝰ præstare posse putaret ex præsumptione; vtique malo occurrit Apostolus, docés nec humanis viribus id fieri, sed Spiritu Dei; nec Dei Spiritu carere posse, qui filij Dei sunt. Certa enim filiorum Dei nota, certa felicitas, & Dei erga eos dignatio est, vt Spiritum Dei habeãt, atque ab eo in carnis mortificatione perpetuò agantur, id est, adiuuentur; atque ita adiuuentur, vt ipsi agant quoque, & agenti eos gratiæ libera electione vel cooperentur, (vt in sermone præallegato prolixè & copiosè hunc locum pertractans docet S. Augustinus) vel etiam ab agente gratia deficiant ad seipsos, vt idem docet Augustinus alibi.

Carnis facta mortificandi facultas.

Serm. 13. de verb. Apostoli. In enchirid. c. 64.

Caluinus hunc etiam locum nefariè corrumpit, & scopum ac sensum Apostoli esse ait, *vt his verbis fideles animentur ad indubiã salutis suæ fiduciam.* Atqui de hac fiducia nihil hactenus toto hoc capite disputauit Apostolus.

Caluini corruptela ex ipso probatur Caluino.

Et fatetur Caluinus, hæc verba *probationem continere eius quod proximè præcessit.* Vnde ita contra Caluinũ ratiocinamur: Hæc sententia *probatio eius est quod proximè præcessit*: Sed in eo quod proximè præcesit, *de salutis nudam fiducia* nihil prorsus actum aut dictum est, verùm de factis carnis Spiritu mortificandis: Ergo hic locus non ad animandos fideles ad aliqua salutis fiducia, sed ad animandos fideles ad strenuã carnis suæ mortificationem propriè & vnicè valet. Obseruet autem lector, quòd ex hac simplici ac nuda assertione nulla ratione, nullo argumento firmata, inò quam euidens ratio falsam conuicit, perinde ac si fortissima demonstratione probata esset, aut in verbis Apostolicis euidenter cõspiceretur, à tota disputatione Apostolica lectoris animum abducit, & tam hanc quàm subsequentes sententias ad sensum ab apostoli verbis totoque hîc scopo & intento alienissimis violẽter contorquet. Mox quippe in hac sententia vide quàm citò concludat, & cornutum struat syllogismum. Summa (inquit) *huc redit: Filij Dei sunt, quicunque Spiritu Dei aguntur: Omnes filij Dei sunt heredes vitæ æternæ: Ergo certi de vita æterna esse debent, quicunque aguntur Spiritu Dei.* Ponit in conclusione quod nec propositione nec assumptio cõtinebat: vt propterea talis conclusio nonnisi medijs assumptis, sed ex cerebro disputantis capta fuerit. De certitudine, inquam, vitæ æternæ

Conclusiones Caluini impudẽtissimæ.

Caluini cornutus paralogismus.

æternæ nec maior nec minor propositio loquitur, sed sola conclusio. Quod tale in disputando vitium est, quo vix turpius accidere possit. Cæterùm seruatis Caluini medijs hæc est recta & legitima argumentatio: Non sunt hæredes vitæ æternę nisi filij Dei: Omnes filij Dei Spiritu Dei aguntur: Ergo omnes hæredes vitæ æternæ Spiritu Dei aguntur. Hæc conclusio & ex illis medijs rectè consequitur, & vera est, quia media assumpta vera sunt. Debét omnes hæredes vitæ æternæ, vt, quod sperant, certò assequantur (neque enim in hac vita nisi *secũdùm spem hæredes* sunt) Spiritu Dei agi, non spiritu carnis suæ, vt secundùm Dei Spiritum viuant, facta carnis mortificantes; non secundùm carnem, opera carnis perpetrantes. Vnde iterum certitudo gratiæ, quam ex hoc loco quasi ex pumice aquã haurire voluit Caluinus, ex huius loci circunstantia manifestè refellitur. *Nam si ex operibus æstimandum qualiter affectus sit erga nos Dominus* (ait ipse Caluinus) *id ne tenui quidem coniectura assequi nos posse fateor.* Atqui hîc opera secundùm Spiritum necessariò requiruntur, vt in superiori sentétia, quam ista confirmat, ostensum est. Sed huiusmodi paralogismis, & diuinæ Scripturæ manifestis corruptelis, nititur Caluiniana hodie & Lutherana certitudo gratiæ,

Tit. 3.

Certitudo gratiæ euertitur.

Institut. lib. 3 c. 2. num. 36.

15. Non

15. *Non enim accepistis Spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba Pater.*

Carnis opera mortificandi facultatis datę radix & ratio.

CONfirmat hîc Apostolus datam à Deo facultatem veris fidelibus, & per Christum regeneratis, ambulādi secundùm Spiritum, & Spiritu facta carnis mortificandi: quia legem Dei, quæ iubet facta carnis mortificare, & ambulare secundùm Spiritum, non secundùm carnem, non iam, vt in statu veteris populi, cum seruili timore, sed cum delectatione & amore filiali audimus: Spiritum quippe dilectionis accepimus, non seruilis timoris, & ex hoc dilectionis Spiritu Deum vt Patrem compellamus, colimus, amamus. Sed audiatur potiùs S. Augustinus germanum horum verborum sensum explicans: *Videte quid hinc subiunxerit Apostolus cum diceret, Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt; quia qui Spiritu Dei aguntur, charitate aguntur, statim adiunxit. Non accepistis Spiritum seruitutis iterum in timore. Quid est, Iterum? Sicut in monte Sina accepistis Spiritum seruitutis in timore. Dicit aliquis: Alius est Spiritus seruitutis, alius Spiritus libertatis. Si alius esset, non diceret Apostolus, Iterum. Idem ergo Spiritus, sed in tabulis lapideis in timore, in tabulis cordis in dilectione, vt non serui sed filij simus. Qui enim adhuc ideo bene agit quia pœnam timet, Deum non amat, non est inter*

Serm. 13. de verb. Apost.

ter filios. Timor seruus est, charitas libera est: &, vt sic dicamus, timor est seruus charitatis. Hæc ille, & alio loco breuiùs : *Non accepimus Spiritum seruitutis*, &c. *id est, vt fides in nobis sit quæ per dilectionem operatur, non tam timendo pœnam, quàm amando iustitiam.* Docet igitur Apostolus, non secundùm carnem viuendum esse, sed Spiritu facta carnis mortificanda; quia si filij Dei sumus, Spiritu Dei agimur, mouemur, excitamur, adiuuamur, vt hoc totum præstemus. Esse autem nos filios Dei inde patet, *quia Spiritum adoptionis filiorum Dei accepimus, in quo* Spiritu, & per quem Spiritum, *clamamus, Abba Pater*: Deum vt Patrem colimus, amamus, inuocamus. Quid autē Apostolus intelligi voluit per Spiritum adoptionis, per oppositum docuit, *non Spiritum seruitutis in timore.* Ergo vt timor designat Spiritū seruitutis, facitque hominem ex timore pœnæ aliquo modo legem seruare, ideóque maxima cum difficultate seruare, *quia inuitus facit, ideóque animo & verè non facit nec verè seruat legem*, vt alibi docet Augustinus: sic ab altera parte amor seu charitas designat Spiritum adoptionis; *diffusa videlicet in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis*, facitque hominem amando legem, & (vt Apostolus loquitur) *condelectando legi*, tota mente alacriter & cordialiter seruire legi Dei, facta carnis mortificare, secundùm Spiritum non secundùm carnem viuere & ambulare, vt sic coram Deo

Epist 120. cap 21.

Rom. 5.

Deo viuant, nõ moriantur. Ad hunc sensum totum disputationis Apostolicæ filum non rectè & perspicuè ducit.

Quid nunc ad hæc verba Caluinus? *Confirmat* (inquit) *nunc Apostolus illam fiduciæ certitudinem, in qua fideles acquiescere nuper iussit.* Fallit, mentitur, aberrat. De hac fiduciæ certitudine nihil hactenus Apostolus loquutus est, vt contra Caluinum demonstrauimus. Eam igitur his verbis confirmare nõ potuit. Videamus tamen quomodo præsentem saltem textum eò contorquet. *Huius* (inquit) *fiduciæ certam fidem nobis fieri docet à Spiritu adoptionis, qui nobis fiduciam precandi non dictaret, nisi gratuitam veniam obsignando.* Spectra hæc sunt cerebri Caluiniani, & idola quæ sibi ipse fabricauit. Spiritus adoptionis facit nos clamare, Abba Pater, & Deum Patrem inuocare: Ergo, quatenus sic oramus, cũ illa fiducia precamur quæ gratuitam veniam nobis obsignet. Hæc est Caluini hoc loco consequentia, quæ innumera habet vitia. Primùm, quòd dicitur, *In quo clamamus, Abba Pater*, oratio aut inuocatio Dei necessariò non intelligitur, sed hoc tantùm, quòd Deũ amamus vt Patrem, vt charitatis affectum, non precandi fiduciam, illa verba designent, sicuti ex Augustino explicatum audiuimus, ipsáque antithesis Apostolica manifestè docuit. Deinde, etsi fiduciam orandi hæc verba complectantur, non tamen huiusmodi fiduciam *quæ gratuitam*

Certitudo fiduciæ ab Apostolo non docetur.

1.

2.

tiã veniã obſignet, in ſenſu Caluini: id eſt, qua certò credamus nos eſſe de numero electorũ, nec à venia peccatorum ſemel data excidere poſſe. Talem fiduciam, talem veniæ obſignationẽ Scriptura non docet, nec in iſto contextu aliquid eſt quod eã nobis quoquo modo inſinuet. Præterea, multi inuocant Deum ex præſumptione, nõ ex pia fiducia, vt propterea ſimplex inuocatio piam precandi fiduciam non cõcludat. Iudæi quippe Chriſto dicebant: *Nos vnum Patrem habemus Deum.* Sed Chriſtus illis reſpondit: *Vos ex patre Diabolo eſtis.* Rurſus, hæc fiducia precandi Deum ex charitatis radice oritur, qui propriè eſt Spiritus adoptionis, ſeu donum illud diuini Spiritus quo adoptamur, iuxta illud D. Ioannis: *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur & ſimus.* Niſi ergo charitatis opera & huius radicis fructus appareant, non pia fiducia ſed temeraria præſumptione Deum inuocamus. Poſtremò (non enim omnia hoc loco dicenda ſunt) hoc ipſum quòd *clamamus, Abba Pater*, timorem filialem & & reuerentiam ſtudiumque colendi Deum in nobis generat, non autem certam ſalutis fiduciam: niſi nos inaniter terret diuina Scriptura, quæ ſic habet: *Si Patrem inuocatis Deum, qui ſine acceptione perſonarum iudicat ſecundum vniuſcuiuſque opus, in timore incolatus veſtri tempore conuerſamini.* Quæ verba quantum valeant, ſuo loco explicauimus. Hæc ſunt

Precandi fiducia certitudinẽ gratiæ nõ probat

3.

Ioan 8.41

Ibidẽ 44.

4.

1.Ioã.3.1.

5.

1. Petr. 1. 17.

sunt consequentiæ Caluinianæ vitia.

Videamus quæ adhuc garrit, vt hunc locum in hæresis suę fauorem detorqueat. *Quod hanc rem* (inquit) id est, hanc indubiam salutis fiduciã, *magis illustret Apostolus, duplicẽ Spiritum statuit; alterũ seruitutis appellat, quẽ ex lege cõcipere possimus; alterum adoptionis, qui ex Euangelio. Illum dicit fuisse olim datum in timorem, hunc in securitatem hodie dari.* Sic Caluinus. At vbi *securitatis* verbum in tota Scriptura, nedum apud Paulũ, nedum in hac epistola, nedum hoc in loco, legit Caluinus? Spiritum adoptionis, esse *Spiritum securitatis*, quæ vnquam Scriptura dixit? quis tandẽ ex Ecclesiæ Patribus docuit? Sed hæc est Caluini ars, hæc astutia, hæc audacia. Quod ipse dici vellet, hoc Paulum, hoc Scripturam dicere affirmat. Nos verò, qui Spiritũ adoptionis filiorum Dei, Spiritum dilectionis interpretamur, iuxta Scripturas hoc dicimus, iuxta nobilissimum Ecclesiæ lumen Augustinum exposuimus, iuxta textus Apostolici necessariam consequentiam asserimus, vt ex præcedentibus liquet. Sic Apostolus duplicem Spiritum statuens, Caluinianam fiduciam non illustrauit, sed subuertit. Dilectio enim, quæ operibus bonis carere non potest, Caluini fiduciã, quæ operibus bonis carere vult, non secus ac lux tenebras, aut ardor frigus, aut ignis aquam, penitus fugat, expellit, extinguit.

Securitatis verbũ affingit Paulo Caluinus.

Caluini artes.

16. Ipse

16. *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quòd sumus filij Dei.*

TImidiùs hoc loco & frigidiùs hæc verba tractauit Caluinus, quàm vel alij horum temporũ hæretici, vel ipsemet alibi. Fortasse quia certitudinem gratiæ, quam ex hoc loco certissimè colligi posse opinantur, satis in præcedentibus confirmatã existimabat. Quare hic corollaria ponit, rem ipsam non insequitur. Attendamus ergo quæ vel alij, vel ipse alibi, ex his verbis colligũt. Testimoniũ Spiritus (aiunt illi) infallibile est, & de fide: At verò hîc à Paulo Spiritus testimonium habere dicimur, quòd sumus filij Dei: Illud ergo tanquam ex fide certum ac firmum habere debemus. Sed magis rem vrget Caluinus, idque ea vehementia, vt nusquam ferè acriùs contra nos insurgat. *Exclamãt* (inquit) *Papistæ, non vacare magna temeritate, quòd de Spiritu Dei sic audeamus gloriari. Quis* (inquit) *credat tantum esse istorum stuporem, qui orbis magistri haberi volunt, vt in primis religionis elementis adeò turpiter impingant? Mihi certè credibile non esset, nisi testarentur quæ extant eorum scripta.* Hæc ille quasi præfatus. Sed nos flammis istis ita crepitantibus facilè frigidam suffundemus. Nusquam enim insulsiùs ratiocinatur Caluinus, aut putidiùs disputat, quàm vbi audacissimè aduersarium increpat. *Paulus* (inquit) *eos demum filios Dei pronunciat, qui eius Spi-*

Chẽnitij collectio.

Instit. lib. 3. cap. 2. num. 39.

Caluini artes.

ritu aguntur: hi agi proprio ſpiritu, diuino autem vacuos eſſe volunt, qui ſunt filij Dei. Reſpondeo mentiri Caluinum. Proprio ſpiritu agitur qui aut ſecundùm carnem ambulat, aut proprijs viribus legem implere præſumit. Hoc Catholici non docent, ſed damnant. Diuino Spiritu agitur, qui Spiritu Chriſti particeps, eius gratię ductu facta carnis mortificat. Hoc Spiritu vacuos eſſe Dei filios nō volunt Catholici, ſed vult Caluinus, qui aliū Dei Spiritū ſubſtituit quo filij Dei agātur; de quo Paulus nihil docuit, vt antea oſtenſum eſt. Pergit Caluinus: *Paulus Deum à nobis Patrē appellandum docet, Spiritu talē vocē dictante, qui ſolus teſtimonium reddere poteſt ſpiritui noſtro quòd filij Dei ſumus: &, tametſi à Dei inuocatione non arcent, Spiritū tamen abſtrahunt, cuius ductu rite inuocandus erat.* Reſpondeo: Catholici Spiritū Dei non abſtrahunt, de quo Paulus loquitur, Spiritū videlicet dilectionis, vt antea firmatum eſt, cuius ductu rite inuocatur & colitur Deus: ſed ſpiritū illū abſtrahunt quē ſibi Caluinus finxit, videlicet, qui omnibus & ſingulis filijs Dei certitudine fidei atteſtetur, eſſe illos filios Dei. Non enim vel ſolus Spiritus S. teſtimoniū hoc reddit, vt hîc Caluinus affirmat; vel teſtimoniū quod reddit, fidei teſtimoniū eſt. Nō prius, quia verbū teſtificādi hoc loco (vt ipſe etiā Caluinus in cōmentario annotauit) vox compoſita eſt, συμμαρτυρεῖ, quod Beza vertit, *teſtatur vnà cum ſpiritu noſtro*, vt non ſo-

Caluini putidum mendacium.

Aliud.

Teſtimonium adoptionis non eſt à ſolo Spiritu S.

lis Dei Spiritus, sed & charitas Dei diffusa per Spiritum in cordibus nostris, ipsaque nostra Dei dilectio, affectus noster pius ac sanctus, quem Dei Spiritus in nobis operatus est, spiritui seu animo nostro testificetur quòd sumus filij Dei. Qui sentit se purè diligere Deum, habet in se quoddã testimonium quòd sit filius Dei. *Qui enim manet in charitate, manet in Deo, & Deus in illo.* Qui autẽ se purè diligere Deũ sentit, ex operibus charitatis illud sentire debet, nõ aliter. *Probatio quippe dilectionis, est exhibitio operis.* Sicut nõ est ignis, nisi vbi omnia quæ attingit calefiunt; sic non est charitas, nisi vbi ad omnia quæ diligi debent, aliquod dilectionis opus profertur.

1 Ioan. 4. 16.

Gregor. homil. 26. in Euang.

Hinc etiam patet posterius, quòd testimonium Spiritus hoc loco non est testimonium fidei, aut de fide certum. Non enim est aliquod verbum expressum, aut reuelatio aliqua, sed est experimentum charitatis operumque eius in nobis, quod nobis testatur, tum Spiritum Dei esse in nobis illius charitatis largitorem & operum cooperatorem, tum propter Spiritum inhabitantem esse nos filios Dei. Tale ergo diuini Spiritus testimoniũ, quia cũ nostro quodã testimonio coniunctum est; nec in futurum aliquam certitudinẽ afferre potest, quia mutabilis est hominum voluntas, & deficere à Spiritu Dei possunt qui Spiritu Dei aguntur, vt iuxta Scripturas diserte docuit Augustin. in Enchiridio

Adoptionis testimonium nõ est de fide certũ.

Cap. 64. (loco nuper citato) nec præsentis gratiæ testimoniũ de fide afferre potest, quũ nihil de fide credendũ sit quod verbo Dei non reueletur, fideique ac verbi Dei perpetua sit relatio.

Pergit Caluinus: *Paulus Christi seruus eos negat, qui non aguntur Spiritu Christi: Hi Christianissimum confingunt Spiritu Christi non indigentem.* Idem repetit quod priùs dixerat, rhetoricando, non disputando. Quare & eadem responsio his verbis aptanda. Obserua autem quòd omnes istæ antitheses Caluinianæ quibus probare voluit in primis religionis elementis Catholicos omnes turpiter impingere, vno falso principio nituntur, quod ille assumit, non probat: videlicet *Spiritu Dei agi* hunc sensum habere, *indubiam salutis fiduciam ac certitudinem à Spiritu Dei intus loquente comparere.* Quod antea refutatum dedimus. Ex eodem falso principio, omnia quæ postea accumulat, petuntur: *Ioannem dicere, Ex Spiritu quẽ dedit nobis, scimus quòd manet in nobis Dei filius: Christi promissiones in dubium reuocari, dum serui Dei sine ipsius Spiritu haberi volumus, quem super suos omnes effusurum se denunciauit: Spiritu sancto iniurios nos esse, qui fidem, opus eius peculiare, ab eo separamus.* Nam in his omnibus Spiritum Dei certitudinis gratiæ testimonium esse, stultissimè præsumit; quum certum sit, in his locis omnibus non fiduciam Caluinianam, sed ipsam inprimis dilectionem Dei in cordibus nostris diffusam designari.

Caluinus ex vno falso principio multa colligit absurda.

1. Ioan. 3. 24.

1.

2.

Esai. 44. 3.

3.

ueri. Ioannes ita loquitur: *Qui seruat mandata eius, in illo manet, & ipse in eo: & in hoc scimus quoniam manet in nobis, de Spiritu quem dedit nobis.* Si ex obseruatione mandatorum scimus Spiritum Dei nobis esse datum, & manere in nobis; quis non videt quàm hic Dei Spiritus à Caluiniana fiducia longissimè abest? Hæc enim fiducia ipso Caluinoteste, vt suprà accepimus, penitus concidit, si vlla operum ratio habenda est. Esaiæ verba hæc sunt: *Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam Spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam.* Quis hîc non videt de donis gratiarum Prophetam loqui, quæ per Christum nobis collata sunt? de quibus in Euangelio dixit, *Qui bibit ex aqua quam ego dabo ei, fiet ei fons aquæ salientis in vitam æternam.* Hic fons est scaturigo bonorum quæ assequuntur vitam æternam, ipsa charitas diffusa in cordibus nostris, per quam bene operamur. Postremò, fides quæ peculiare opus est Spiritus S. non est fiducia Caluiniana, sed est *fides per dilectionem operans*, quæ sola in Christo valet. Ita, vt dixi, nusquam putidiùs aut insulsiùs disputauit Caluinus, quàm hoc loco, vbi audacissimè & procacissimè Catholicos accusat. Sic improbi causidici, vbi in causæ defensione maximè deficiunt, ibi magis frontem exporrigũt, acriori clamore Iudices obtũdunt, & lateribus suis maius negotium faciunt.

Ad 1.

Mandatorum obseruatio testimoniũ adoptionis.

Ad 2.

Ioan. 4.

Ad 3.

Gal. 5.

17 *Si filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, & hæredes autem Christi: si tamen compatimur, vt & conglorificemur.*

VIsum est nostri temporis hæreticis propter hęc Apostoli verba vitam æternam sic esse hæreditatē sola Dei benignitate filijs collatam, vt per modum mercedis aut iustæ retributionis secundùm operum merita à iusto Iudice non rependatur. *Filijs destinata est hæreditas* (ait hîc Caluinus:) *quando igitur sibi in filios Deus adoptauit, simul hæreditatem quoque destinauit nobis.* Similiter & alij arguunt. Cæterùm ratio hæreditatis nihil officit veritati mercedis. Iustificari peccatorem à Deo, & filium adoptionis fieri, includit ius ad vitam æternam, quæ paterna hæreditas est: quod hîc Apostolus insinuat dicens, *Si filij & hæredes.* Sed quis dubitat, filium, seu naturalem seu adoptiuum, ad hæreditatem paternam non aliter ius habere, quàm sub illis adoptionis conditionibus, quas pater ac leges præscribunt? vbi ergo tales conditiones apponuntur, quod filius à patre consequitur, duplici titulo possidebit; hæreditatis, quatenus filius; iustæ mercedis, quatenus sub tali conditione adoptatus. An verò Deus sic nos in filios adoptauit, & hæredes vitæ æternæ constituit, vt nulla conditio apponeretur huius hæreditatis adeundæ? Non longè abeundum est. Apostolus, nequis hoc vel leui-

Hæreditatis ratio mercedis veritati nō officit.

Adoptioni nostræ in filios conditio apponitur.

tas

ne existimaret, in proximis verbis conditionem apponit: *Si tamen cõpatimur, vt & cõglorificemur.* Quid ad hanc conditionem Caluinus? *Variæ* (inquit) *sunt huius loci interpretationes.* Opinor sanè varias eum legisse sodalium suorum, Melanchthonis, Bullingeri, Buceri (quorum se commentarios vidisse in præfatione commemorat) in hunc locum cauillationes; ne hæc conditio vel soli fidei (quæ illorum est Helena) præiudicare, vel bonorum operum necessitatem commendare videretur. Sed quid post tam varias cauillationes ipse Caluinus? *Mihi* (inquit) *iste sensus præ aliis omnibus arridet, nos Christi cohæredes esse, modo ad cernendam hæreditatem eadem qua ipse via progressus est, ipsum sequamur.* Conditionem ergo hæreditatis titulo appositam ingenuè agnoscit Caluinus, eamque vt necessariam. Ait enim: *Christus per crucem gloriæ possessionem adijt, ergo & nobis eo modo adeunda est.* Laudo hominis ingenuitatẽ. Sed quomodo sodalium suorum timori occurret, qui hanc interpretationem velis remisque fugiunt? Non vult illis deesse. *Non est timẽdum* (inquit) *quod verentur quidam, ne sic gloriæ æternæ causam laboribus nostris transscribat Paulus.* Confidenter sanè & audacter dictum; & in magnam spem suorum animos erigit. Sed quare, Caluine, timendum hoc non est? *Siquidem* (inquit) *hæc loquendi formula Scripturæ insolita non est.* Atqui hoc maiorem timorem incutit. Si

Conditionem Caluinus agnoscit.

enim hæc loquendi formula insolita Scripturæ non est, imò frequens admodum est; quo id frequentiùs Scriptura dicit, eo certius magisq; indubitatum haberi debet. Sed profer tãdem illud quo tuos à metu liberas, nec ampliùs suspensos tene. *Ordinem* (inquit) *potiùs quem in salute nobis dispensanda sequatur Dominus, quàm causam, denotat.* Aliquid, Caluine, dicis; sed nescio an quod omnem sodalibus tuis metũ excutiat, & difficultatem eximat. Siue enim ordinem siue causam haec loquendi formula denotat, quum hic ordo necessarius sit, (vti fassus es) tui autem sodales non secus necessitatem bonorum operum fugiant quàm meritum, illorum profectò formidinem ac metum non sustulisti, sed auxisti potiùs. Ita tu cæteris quidem confidentior, sed nihilo aut melior, aut sanior, aut felicior.

Cõditionem eludere conatur.

Attamen quomodo id, quod de ordine & causa distinguis, probas Caluine? Neq; enim tua nuda assertio aut sodalibus tuis aliter interpretantibus, aut nobis satisfacere debet. Probo, ais. *Nam* (inquis) *antehac satis asserui gratuitam Dei misericordiam cõtra operum meritum: nunc, dum ad patientiam nos hortatur, non disputat vnde nobis proueniat salus, sed quomodo sanctus Deus gubernet.* Ista fortasse, Caluine, tuis aliquo modo satisfecerint, qui, quod verum esse volunt, cuiuslibet argumenti specie persuaderi sibi sinunt, sicuti quamlibet excusationem

sitionem admittit, qui placari cupit. Sed nulli profectò aut æquo aut prudenti lectori satisfacere ista possunt. Quod de gratuita Dei misericordia narras contra operum merita ab Apostolo antehac asserta, merum delirium & nugamentum esse accuratè contra tuas perfidas corruptelas antehac ostendimus. Nec contra operum merita vel vnum verbũ disputauit hactenus Paulus, sed contra opera legis scriptæ & naturæ absque fide & gratia Christi multa diuinissimè disserunt; ipsa verò iustorum opera varijs in locis (vt nos commonstrauimus) stabiliuit: Nec gratuita Dei misericordia bonorum operum meritis quicquam aduersatur; tum quia illa gratuita misericordia à Paulo asserta circa peccatorum remissionem & primam iustificationem versata est, non circa præmium gloriæ, de quo hîc loquitur; tum quia ipsa gloriæ corona, tametsi iusta merces, in misericordia tamen & miserationibus redditur, vt alibi ostensum est. Quod postea subiungis, Paulum hîc *non disputare vnde proueniat salus, sed quomodo suos Deus gubernet*, nulla est tuæ assertionis probatio, sed est eiusdem sub alijs verbis repetitio. *Non disputare vnde proueniat salus*, quid aliud est quàm *non docere causam salutis*, quod priùs dixisti? *Disputare quomodo Deus suos gubernat*, quid aliud est quàm *ordinem denotare quẽ Dominus in salute suorum disponenda sequitur*, quod itidem priùs dixeras?

Caluini delirium.

Misericordia Dei gratuita operum meritis non aduersatur.

Caluinus lectores ludificat.

Ita planè lectores suos impostor ludificat, & naso suspendit adunco. Causam paradoxiæ allaturus, non nisi idem ipsum alijs verbis reperit; veluti si improbus hospes reiectum semel à mensa cibum, eundem nouo condimento & fuco apparatum, pro alio cibi genere hospitibus apponeret. Sic seducuntur qui Caluino aures præbent, seductori pessimo.

Nunc verò, relictis Caluini corruptelis, sanam & germanam huius loci doctrinam explicemus. Planè Apostolus non ordinem tantùm, sed & causam salutis necessariam his verbis docet, hæreditatem videlicet & gloriam nobis repromissam non nisi conditionatam esse. *Si Christo compatimur, si crucem nostram post Christū quotidie baiulamus* (vt Christus ipse à suis exigit) *si Spiritu facta carnis mortificauerimus, si non secundùm carnē sed secundùm Spiritum ambulauerimus, denique si mandata seruamus* Sed conditionē agnoscit Caluinus, agnoscit & Beza hoc loco: causam autē salutis aliquā in hac conditione poni, negat vterque. Atqui vt ius hæreditatis non excludit operum merita; & pro necessitate bonorum operum, sufficit necessariæ conditionis ratio, quam hîc agnoscit Caluinus. Necessariam dico ex hypothesi posita hac Dei ordinatione. Nec obstat, aliquos absque hac conditione saluari, seu paruulos baptizatos seu alios recēter conuersos ex hac vita sublatos. Sicuti enim restitutio obligat debitorem, &c.

Operis boni patientia non ordo sed causa salutis est. Luc. 19. Rom. 8. Matt. 19. Ioan. 15.

dest necessaria generaliter loquendo tamet-
si casu necessaria non sit, nec obliget debi-
torem vbi debitor non habet vnde restituat;
& omnino compati Christo, & per patien-
tiam boni operis hæreditatem cælestem adi-
re, conditio necessaria est; & obligat om-
nes filios Dei generaliter loquendo, tametsi
in casu non obliget, quum nec operandi nec
patiendi cum Christo tempus aliquod datur,
ideoque facultas adimitur. Et istis quidem
vita æterna est mera gratia & pura hæreditas;
sed alijs ita est gratia & hæreditas, vt etiam
sit merces & corona: quod vtrumque in pa-
rabola de operarijs in vinea Christus docuit,
solens nouissimis eundem denarium quem
primis, *qui pondus & æstum diei sustinuerunt*, vt
erudite exponit Gregorius Nazanzenus. Ita
sola conditionis necessitas argumento est,
non excludi à vita æterna rationem meriti,
quia hæreditas est

Conditio bonorum operum generaliter necessaria.

Matt. 22.

Orat. in S. lauacrum.

Nunc autem & hanc conditionem vim
causæ habere ostendemus; & patientiam bo-
ni operis adeũdæ hæreditatis cælestis causam
esse, non ordinem tantùm. Ac primùm,
quum ipso capite illæ phrases Paulinæ con-
similes, *Si tamen Spiritus Dei habitat in vobis*;
& secundùm carnem vixeritis, morieminí; ac de-
mum in præsenti sententia, *Si filij, & hæredes*;
causam denotant, vt Spiritus Dei inhabitans
vera causa sit cur credentes in carne non vi-
uant; vita secundùm carnem, vera causa sit
mortis;

Bonorum operum conditio vim causæ habet.

mortis; esse Dei filium, vera causa sit quòd talis sit hæres Dei: cur tandem, obsecro, hæc quoque particula, *Si compatimur, & conglorificabimur*, veræ etiam causæ, non ordinis tantùm, ratione nō habebit? Nihil planè obstat, nihil impedit, nisi quòd hæretici Scripturæ sanctas secundùm sua placita loqui volunt: vt eadem loquendi forma, quum ipsis videtur, causæ vim habeat; quum non videtur, non habeat. Qua hominum audacia & impietate nihil magis impium.

Deinde, cùm Apostolus hanc conditionem inferat ex eo quòd *Christo coheredes* sumus, videamus an Christi passiones gloriæ & exaltationis ipsius causa nō fuerint. Sanè ipse Christus dixit: *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* Atqui hîc cōditionem quidem necessariam & ordinē poni, causam autem non poni, cauillabitur fortè Caluinus. Audiamus igitur quid Paulus de eadem Christi passione scribat: *Humiliauit semetipsum, factus obediens Patri vsque ad mortē, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen*, &c. Quid apertius, quid luculentius dici potuit? *Propter quod*, ait Paulus, id est, propter tantam humilitatem, & tam acerbam passionē, Deus exaltauit illum. Causa igitur exaltationis erat passio. Aut si hæc verba causam non explicant, quę tandem verba illam explicare poterint? *Christo* igitur *coheredes, & compa-*

Luc. 24.

Philip. 2.

mur, conglorificabimur: vt quemadmodum glorificationis in Christo nō ordo tantum aut modus, sed veri nominis causa (quā etiam disertè explicat Esaias Propheta) fuit tua amara passio, sic, vt nos cum Christo glorificemur, passiones nostrę & cruces in hac vita, totáque boni operis patientia, qua videlicet, accepto *verbi semine, fructum facimus in patientia*, non ordinis tantùm, sed & veræ causæ rationem habent. Hanc causam in die retributionis Iudex ac Dominus noster exponet, etiam hæreditatis titulo adiuncto, quando dicturus est, *Venite benedicti Patris mei, possidete*, seu iure hæreditatis accipite, κληρονομήσατε, *paratum vobis regnum*, &c. *Esurii enim, & dedistis mihi manducare*: & quæ sequuntur. Quæ misericordiæ opera veram causam aditæ hæreditatis esse, illo in loco contra Caluinii cauillationes ostendimus. Hæc pauca pro multis huic demonstrationi satis esse possunt.

Cap. 53. 12.

Luc. 8.

Matt. 25.

In Antidotis Euāgelicis.

18. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.*

Solet hic locus à vulgo Protestantū contra merita patientiæ boni operis respectu vitæ æternæ proferri: quia causa aut meritum esse nequit, quod nullam habet dignitatem seu valorem ei respōdentem, cuius causa aut meritū esse dicitur: quū nec vllus effectus

fectus causam suã excedat, nec meritum esse possit quod ad mercedem proportioné non habeat. Sed hãc leuiculam obiectioné neglexit Caluinus, nec attigit Beza; aliam non minùs leuiculam ac ridiculam accusationem eius loco ponentes; *Scholasticos ex his verbis male intellectis distinctionem friuolam congrui & condigni hausisse.* Nec enim illa distinctio friuola est, sed necessaria; nec ex hoc loco illa hauritur, sed in hoc loco satis insinuata. Cæterùm quum Apostolus nõ de condignitate aut ratione meriti, sed de condignitate ac ratione æqualitatis inter passiones præsentes & gloriam futuram in his verbis loquatur, & hoc solùm doceat, id quod dixerat, *Si compatimur, & conglorificabimur*, duram nobis ac arduam conditionem videri non debere; eò quòd si cum magnitudine gloriæ, nostræ passiones conferantur, leuissimi momenti habere debeant, nullâque sit inter futuram gloriam & illas comparatio, (quem sensum Caluinus amplectitur, & olim Patres docuerunt, Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius in hunc locum, S. quoque Augustinus, & post eum D. Thomas) non erat cur hæc verba contra merita bonorum operum reliqui Protestantes ventilarent. Semen non æquiualet arbori magnitudine; caute tamen & principium aliquod arboris est. Paucorum annorum militia non æquiualet multorum annorum paci & opulentiæ quæ inter-

Condigni & cõgrui distinctio.

August. de ciuit. Dei lib 5. cap. 18. Tho. 2.2. q. 100. art. 1. Merita bonorum operum.

terdum fruuntur milites: imò omnem pe-
ne laborem, qui nisi momentaneus est, honor
& gloria etiam huius seculi longè superat,
iuxta illud, πονος απει, δοξα μένει, & tamen
tam militiæ diuturna cum pace prosperitas,
quàm brevis laboris honor diuturnus, vera
merces est. Sic bona opera *saliunt in vitam* Ioan. 4. 14.
æternam; & id quod leue ac momentaneum est tri- 2. Cor. 17.
bulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur
nobis: id est, efficaciter acquirit, vt eleganter exponit S. Augustinus super illa verba, Enarr. in Psal. 93.
Qui fingit laborem in præcepto.

24. *Spe salui facti sumus.*

Salutis causæ aliæ præter fidem.

OBseruandum hîc venit, salutẽ nostram attribui spei, sicut alijs in locis fidei, charitati, mortificationi carnis, bonis operibus. Nempe quum sicut virtus ex tota causa est, sic & ad vnum effectum producendum multa concurrunt, tum parti integrali tota virtus, tum causæ partiali totus effectus sæpe admodum in Scripturis tribuitur: non quia cætera negantur, sed quia non omnia vno & eodem loco dici necesse est. De hac Synecdoche Scripturis sanctis visitatissima sæpe admonet S. Augustinus. Dicit vna Scriptura; *Omnis qui credit, natus est ex Deo*: dicit alia; *Omnis qui diligit, natus est ex Deo*. Rursum dicit vna Scriptura; *Iustus ex fide viuit*: dicit hîc alia Scriptura; *Spe salui facti sumus*: dicit rursum alia; *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*

De fide & operibus cap. 13. 23 25. De nat. & grat. c. 68. 1. Ioan. 5. 1. Ioan 4. Rom. 2. Matt. 19.

data. Hæc vna res non obseruata, vel neglecta, frequentem hæreticis errandi & inorem mittendi occasionem dedit. Sanè horum verborum tractationem tum Caluinus tum Beza penitus intactam reliquerunt. Nullas quippe Scripturas libenter pertractant, quæ alteri salutem tribuunt quàm fidei.

38. *Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat? Quis est qui condemnet? Christus Iesus, qui mortuus est, imò & qui resurrexit, qui & est ad dexteram Dei, & interpellat pro nobis?*

SEnsus horum verborum satis perspicuus & clarus est, siue totum per interrogationem legatur, vt noster textus habet, & legendum esse iudicat Augustinus; vt interrogationes percontationi subiectæ negationis vim habeant; siue quod percontationi subiungitur, affirmatiuè legatur, subaudito verbo *est* (vt Nouatores volunt, Caluinus, Beza, & alij) quę tamē lectio in idem recidit, videlicet electos & ab accusatione & à condemnatione liberos esse; quia, ne iustè accusentur, Deus illos iustificauit; &, ne omnino condemnentur, Christi mors, resurrectio, gloria & perpetua apud Patrem interpellatio potentissimè effecerunt. Per mortem enim Christi, remissa sunt illis peccata; per resurrectionem, vitæ nouitas ac iustitia illis

De doctr. Christian. lib. 3. c. 2.

Electorum certa salus.

collata

tollata; per gloriam cæleſtem, via illis ad cælum eſt parata; per interpellationem perpetuam, leuiora illis peccata condonantur, vt Ioannes diſertè docuit dicens, *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Christum Iesum.* Senſus igitur ſatis clarus ac manifeſtus eſt, in firma ac fida Dei cuſtodia eſſe electos, *vt omnia illis cooperentur in bonum* (quod priùs dixerat) & vt à charitate Dei nihil illos abſtrahere poſsit, vt mox in ſequentibus dicet. 1. Ioan. 2. Rō. 8. 28.

Hic tamen aliquid ſui fermenti inſpergere veneficus Caluinus voluit. *Animaduertendum* (inquit) *hic eſt, quod ſæpe antehac monuimus, Paulo nihil eſſe aliud iuſtificari, quàm Dei ſententia abſolutos pro iuſtis haberi.* Hoc quidem ſæpe Caluinus monuit, ſed falſò & fruſtra id ab eo factum eſſe nos eum admonuimus. Putat tamen hoc demū loco ſe illud euincere poſſe, vt maiori admonitione non ſit opus. *Neque verò* (inquit) *difficile eſt in præſenti loco id euincere, vbi argumentatur à poſitione vnius contrarij ad alterius deſtructionem; ſiquidem abſoluere, & in reos recipere, contraria ſunt. Itaque nullam aduerſus nos accuſationem admittet Deus, quia omni culpa nos abſoluit.* Hæc ille. Paulum hìc argumentari à poſitione vnius contrarij ad alterius deſtructionem, verum eſt, ideóque nequiter Caluinus antitheſes hoc loco Apoſtolicas penitus tranſponit, vt quod priori interrogationi ſubijcitur, ſeruiat ſecundæ, & viciſsim, quod ſecundæ ſubijcitur, reſpondeat primæ: *quia* Iuſtificari aliud quā abſolui. Apoſtolicas antitheſes corrigit Caluinus.

Ii (inquit

(inquit Caluinus) *Dei absolutio condemnationi, & Christi patrocinium accusationi respondet; vt propterea debuerit Paulus haec duo membra sic ponere inter se opponere: Quis accusabit? Christus est qui intercedit. Quis condemnabit? Deus est qui iustificat. Non enim satis exactè in suas partes digesta antitheses videntur.* Hæc Caluinus, & hanc transpositionem laudat Beza, sub nomine *doctißimi interpretis*, qui hoc semper vocabulo in suis Annotationibus Caluinum intelligit, sicuti nos, quum Apostolum absolutè dimus, Paulum notamus. Ita se isti mutuò scabunt. Sed quæ est hæc vtriusque arrogantia, antitheses Apostolicas corrigere, trãsponere, & *non satis exactè digestas* asserere, deniq; Apostolum docere quomodo potuerit *debuerit antitheſum membra inter se opponere?* Sed quare hæc transpositio inuenta est? vt probabiliùs doceret per iustificationem hoc loco nihil nisi absolutionem significari. Vere enim condemnationi opponitur absolutio. Non vult ergo Caluinus Paulũ dicere quod dicit, *Quis accusabit? Deus qui iustificat?* sed hoc dicere, *Quis condemnabit? Deus est qui iustificat*, id est, absoluit. Sed quis volet magis Caluini iudicio credere quàm Pauli? Textum ergo tur Caluini legant & sequantur Caluinistæ, vt ille eorum Apostolus fiat. Nos, Ecclesiæ Apostolicæ filij, Apostoli textum & antitheses ab eo sapienter digestas tenebimus.

Caluini & Bezæ non ferenda arrogantia.

Texta

Textu ergo & lectione Apostolica retenta, videamus an Dei iustificatio, accusationi opposita, Dei absolutionem significare debeat. Omnino, ait Caluinus. *Siquidem absolure, & in reos recipere, contraria sunt.* Verum quidem hoc est: sed nunquid Paulus hæc inter se hoc loco opponit? An ille hæc verba habet: *Quis in reos recipiet? Deus est qui iustificat*, id est (vt ille vult) absoluit? Si iuxta transpositionē à seipso factam, pro eo quod Paulus dixit? *Quis condemnabit?* reponit hęc verba, *Quis in reos recipiet?* quod quidē aliquo modo æquipollet; illam reijcimus, vt Caluini textum, non Apostoli. Si iuxta ordinem à Paulo seruatum, pro eo quod ille dixit, *Quis accusabit aduersus electos?* hæc verba reponit, *Quis electos in reos recipiet?* dicimus ista nullo modo æquiualere, sed penitus esse diuersa. Nō enim qui accusat, in reos recipit, sed reos peragit seu constituit; & vt à Iudice in reos recipiantur, atque pro reis condemnentur, satagit. Hoc tamen in illis verbis Caluinum dicere voluisse, sequentia apud eum verba insinuant: *Itaque nullam aduersus nos accusationem admittet Deus, quia omni culpa nos absoluit.* Cæterùm quis non videt, *accusare, & accusationem admittere*, adeò eandem rem non significare, vt ad diuersas planè personas illa pertineant? Qui enim accusat, actor est: qui accusationem admittit, Iudex est; siue eo nomine intelligas simplicem causæ cognitionē

Accusare non est condemnare.

& examen, siue accusationis factæ & criminis intentati approbationem. Vtroque enim modo admittitur accusatio, siue vt audiatur, siue vt approbetur, & pro actore iudicetur. Libenter autem Caluinus in ambiguis ludit, vt imperitum lectorem ludificet, & ectum fatiget, & aliquam elabendi rimam inueniat, nisi vndique conclusus & contusus herbam porrigere cogatur. Dico igitur, absoluere, & in reos recipere, siue accusationem sic admittere, vt ea approbetur, & reus ab actore constituitur, pro huiusmodi Iudice habeatur (quod verè est condemnare, verè esse contraria; sed hanc oppositionem Apostolum non facere, qui in primo iugo non condemnationem & iustificationem, sed accusationem & iustificationem opponit. Dico rursum, absoluere, & in reos recipere, siue accusationem sic admittere, vt illa simpliciter audiatur, non esse contraria (quippe modo admittitur accusatio, siue absolutio sequatur, siue condemnatio) ideoque ex primo oppositionis iugo probari non posse, verbo iustificandi, absolutionem significari, sed antithesim seu oppositionem Apostolicã in proprijs terminis accipi debere sicuti sonat; hoc modo: *Quis accusabit aduersus electos Dei?* Id est, quis iustam & legitimam accusandi materiam habebit? Nam de facto electos Dei à diabolo perpetuò accusari, certum est, nisi mentiatur ille qui de diabolo

Caluini ludus.

diabolo dixit: *Hic est accusator fratrum nostrorum, qui accusat illos ante Deum die ac nocte.* Apoc. 12. 10.

Sed iustè, legitimè, & meritò electos Dei accusare nec ille nec totus mundus potest, quia *Deus est qui iustificat*, id est, qui illos iustitia & sanctitate donauit; vt nulla totius mundi aut diaboli accusatio aliquod illis crimen accusatione dignum impingere queat.

De condemnatione & absolutione in altero iugo agitur. *Quis est qui condemnet?* Sanè nemo. Quare? Quia Christus sua morte illorum peccata expiauit, & pro quotidianis delictis quotidie interpellat, ac demum futuram eorum felicitatem & gloriam sua resurrectione & præsenti apud Patrem gloria luculenter demonstrauit. Iustificandi igitur verbum hoc loco eam significationem necessariò habebit, quam hactenus apud Paulum habuit, id est, iustitia à Deo donari, siue ex fide, siue ex legis obseruatione, ambulando secundùm Spiritum, non secundùm carnem. Vtrumque enim Apostolus in præcedentibus docuit, & vtroque modo iustificamur gratis per gratiam Christi Contra electos à Deo iustificatos, fide bonisque operibus ornatos, nulla accusatio vim habebit: vt verbo iustificãdi non ipsa absolutio, sed causa absoluendi, siue irritæ & falsæ accusationis ratio notetur; quasi diceret, Frustra à diabolo & mundo accusantur, qui à Deo *per Christum in Spiritu Sancto iustificati sunt, abluti sunt,*

Iustificatio causam absolutionis notat, nõ est ipsa. 1. Cor. 6. 11.

sunt, sanctificati sunt, vt alibi Apostolus loquitur. Sed vide nunc qualem Dei iustificationem Caluinus hîc ponit, vt absoluendi verbum in textum intrudat. *Diabolus* (inquit) *accusator est piorum omnium: lex ipsa Dei, & propria etiam conscientia, eos redarguit: sed apud eum Iudicem qui eos iustificat, absoluit, & pro iustis habet, nihil hæc omnia proficiunt.* Sic iuxta Caluinum diabolus piorum omnium accusator, non erit amplius diabolus, id est, calumniator & mendax (quod diaboli nomen sonat) sed erit accusator iustus & verax. Si enim quos ille pios accusat, *eos ipsa lex Dei & propria conscientia redarguit*, profectò verus eorum accusator erit. Non enim nisi ob legis transgressionem accusabit, nec alia obijciet crimina quàm quorum propria conscientia reos redarguit. Videte qualem facit Apostoli sententiam. *Quis accusabit aduersus electos Dei, quos lex Dei & propria eorum conscientia redarguit? Deus est qui tales iustificat, absoluit, & pro iustis habet.* An aliquid magis impium dici aut doceri potuit? Si enim diuina Scriptura *abominabile vtrumque dicit, qui condemnat iustum, & qui iustificat impium*; quanta Caluini blasphemia est, quòd ipse Deus *iustificat impios*, id est, absoluit impios, & habet pro iustis! Scimus à Deo iustificari impium, vt ex impio iustus fiat, ex reprobo electus, ex legis transgressore factor legis, ex immundo mundus, & ex impuro sanctus; *ereptus de potestate tenebrarum, &*

tran-

Caluinus diabolum iustificat.

Apostoli sententiã abominabilem reddit Caluinus.

Prouer. 17. 15.

Impius quo sensu à Deo iustificatur. Col. 1. 13. 1. Ioan. 3. 14.

transferatur in regnum dilectionis Filij Dei: sed vt Deus iustificet impiũ, id est, absoluat impiũ reluti iustum, & habeat impium pro iusto, hoquum Scriptura in homine quouis pro abominabili habeat, de Deo iustissimo Iudice sine blasphemia cogitari non potest. Sed tales blasphemias Caluiniana coquit Theologia.

Caluini mendaciũm audax

Istis blasphemijs addit nobile mendaciũ, tũ magna fatuitate & temeritate cõiunctum. Electus (inquit) *sic nominat Paulus, vt nihil addubitet se in ipsorũ esse numero. Neque id ex speciali reuelatione (quemadmodum sophistæ quidam mentiuntur) sed ex communi piorum omnium sensu.* Quomodo hoc probat Caluinus, aut vnde id nobis facit probabile? Ne vno quidem verbo confirmat. Dixit, & abijt. Quare qua hoc ab illo facilitate dictũ est, eadẽ à nobis facilitate contemnitur. Nec mandata & doctrinas hominum attendimus, sed quid Dei verbum nos doceat.

Certitudinis gratiæ fundamẽtum.

Nunc huic audaci mẽdacio aliud subnectit magis pernicioſum. *Quod ergo hîc de electis dicitur, vnusquisque piorum exemplo Pauli ad se trahat.* Hæc est certitudo gratiæ Caluiniana, ex propij cerebri commentis enata; nec aliud fundamentum habens, quàm quod illi temere & falsò præsupponunt. Supponunt de Paulo, quòd nihil addubitet se ponere in electorum numero, absque vlla speciali reuelatione. Deinde supponunt, vnumquemque exem-

plo Pauli idem ad se trahere oportere. Illa supponunt, non probant. Ex istis suppositis penitus incertis, inanibus, falsis, suam sibi fabricant gratiæ certitudinē. Atqui nos non incertum aliquid supponendo, sed ex certo Dei verbo disputando, atque adeò ex ipsis Pauli verbis, hoc eorum commentum re-

1.Cor.9. 27. sellimus. Ait enim Paulus: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte, cùm aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar.*

Audiamus quid adhuc Caluinus disputet. *Alioqui non modò frigida esset doctrina, sed penitus mortua iaceret, si electionem sepeliret in arcano Dei consilio. Sed quum sciamus datâ operâ hic proponi quod piorum vnusquisque ad se accommodare debeat, non dubium est, nos omnes ad vocationis nostræ examen adduci, vt statuamus nos esse Dei filios.*

Electio in Dei solius arcano iudicio manet.

Hæc ille. Caluino frigida adeóque mortua doctrina videtur, si electio in arcano Dei consilio cōclusa maneat, vel, vt odiosè loquitur, *sepeliatur*. Paulus ergo frigidam & mortuam doctrinam tradidit, quum acriter multisque verbis doceret, non esse ante tempus iudicandum, non solùm de alijs, sed neque de nobis ipsis. *Sed neque* (inquit) *meipsum iudico.*

1.Cor.4. 4.& 5. *Qui autem iudicat me, Dominus est. Itaque, fratres, nolite ante tempus iudicare,* scilicet vel alios, vel vos ipsos: nisi fortè, quod Paulo non licuit, illis licuisse arbitremur. Docet ergo, neminem posse de seipso iudicare, an coram Deo

1.Cor.4.4 iustificatus sit. De eo enim loquitur: Nihil mihi

nihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Si ergo Paulus seipsum iudicare non potuit, nec debuit, esset ne iustificatus an non, sed solius Dei hoc esse iudicium affirmat; neque 1. Cor. 4. 5
in hac vita, sed tunc demum, *quando illuminabit abscondita tenebrarum, vt tunc laus sit vnicuique à Deo*: quantus impostor, quàm mendax & nequam Caluinus est, qui hanc *frigidam & mortuam doctrinam* vocat! Quis enim se de numero electorum esse statuere potest, qui de numero iustificatorum se esse statuere non potest? An aliqui fortè electi sunt, qui non sint iustificati? Atqui *quos prædestinauit,* Rō 8. 30.
hos & vocauit; quos autem vocauit, hos & iustificauit. Si ergo Paulus seipsum iudicare non potuit an esset iustificatus, sed solus Dominus hoc iudicare debuit, (*Qui autem iudicat me,* 1. Cor. 4. 4
Dominus est) inuictè contra Caluinum concluditur, Paulum seipsum iudicare non potuisse, an esset electus. Sed audax & cæcus hæreticus quid effutiat, quid garriat, non videt. Hanc autem doctrinam, de electione cuiusque in arcano Dei consilio reposita, & nemini mortalium in hac vita (absque speciali priuilegio) cognita vel explorata, non mortuam & frigidam sed saluberrimam & necessariam doctrinam esse, docuit sapienter contra Caluinum S. Augustinus. Cuius verba in Antidotis nostris Euangelicis nuper protulimus, & vitandæ prolixitatis causa (prolixiora enim sunt) hîc prætermitti- De corrept. & grat. c. 13. Ad Ioan. cap. 10. ver. 28.

mus. Quibus ita explicatis, conclusio-
Caluinianæ absurditas palpandam se pra-
bet, qua ait, *nos omnes hoc loco ad vocationis nostræ examen adduci, vt statuamus nos esse Dei filios.* Vocamur hîc certè ad hoc examen, vt illud discutiamus, nos quoque ipsos diligenter
2. Cor. 13. 5. 1. Ioan. 3. 21. & 22 inspiciamus, & *probemus num simus in fide, num cor nostrum nos non reprehendat, vt fiduciam habeamus apud Deum*, num opera nostra *placita sint coram Deo*: non quidem vt propterea *statuamus nos esse filios Dei* in sensu Caluini, id est,
1. Cor. 4. 4 certitudine fidei credamus nos esse de numero electorum, (quod est *iudicare nos ipsos ante tempus*) sed vt de electione nostra bonâ spem
Tit. 3. 7. concipiamus. Sumus enim adhuc *heredes secundùm spem, & hac spe salui facti sumus*, id est,
Rō. 8. 24. hæc spes ad salutem nobis necessaria est, fortis, & firma; non autem certitudo aliqua fidei cui subesse falsum non potest. Certitudo autem fidei à certitudine spei quantum differat, alio in loco explicatum dedimus.

In opere de Iustificat. lib. 9. cap. 11.

38. *Certus sum quòd neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, &c. neque vlla creatura poterit nos separare à charitate Dei quæ est in Christo Iesu.*

Certitudo gratiæ à Paulo non docetur.

HVnc etiam locũ Caluinus magna confidentia pro sua quam finxit, & tantopere adamauit, gratiæ ac beneuolentiæ diuinæ fixa atq; immota certitudine, plurimum

valere

riere iudicauit. *Sensus* (inquit) *est, non esse necesse iam ne adoptionis fidem deleat quantumuis* [illegible] *malorum continuatio. Itaque istud Scholasticum non obscurè repugnat: qui neminem de finali perseverantia certum esse nugantur, nisi speciali revelationis beneficio, quod rarissimum ipsi faciunt. Quo dogmate destruitur tota fides: quæ certè nulla est, nisi ad vsque mortem & post mortem quoque extendatur. Nos autem contrà oportet considere, quòd qui cœpit in nobis opus bonum, perficiet vsque in diem Domini Iesu.* Hæc ille; qui & alibi in hęc verba scribit: *Fidelis non est, qui non posit suæ salutis securitatis nixus cum Paulo dicere, Certus sum quòd neque mors, neque vita, &c. & diuinæ erga se benevolentiæ promissi ne fretus indubitatam salutis expectationem præsumere.* Hæc iterum ille. Idem cæteri hodie hæretici omnes. Nec alius locus est in quo magis pro suo hoc dogmate planè vanissimo & pestifero exultant. Sed facilis & in promptu solutio est. Verbum Pauli, *Certus sum*, πέπεισμαι, quod Caluinus vertit, *Persuasus sum*, Beza, *Persuasum mihi est*, à quo vno verbo tota vis argumenti pendet, non habet illam vim & energiam quam illi sibi ineptè persuadent. Non dicit aliquam fidei certitudinem cui subesse falsum nequeat, sed moralem tantùm confidentiam, spem, atque fiduciam bonam. Hoc autem non ex coniectura dici, sed ex certa & liquida veritate, frequens huius verbi apud Paulum vsus demonstrauit. Infrà hac eadem epistola, ad

Instit. lib. 3. cap. 2.

quos

Rō.15.14. quos scribit, ita loquitur: *Certus sum & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia*, &c. vtitur verbo, πέπεισμαι, & vertit Beza, *Persuasum habeo*. Sed quid? An dicent hæretici Paulum certitudine fidei non infallibili istud cognouisse? Atqui de infallibili certitudine ait Paulus: *Nemo nouit quæ sint in homine, nisi Spiritus hominis qui in ipso est*. Rursum quum Timotheo scribit Paulus, *Reminiscationem accipiens eius fidei quæ est in te non ficta, quæ & habitauit primùm in auia tua Loide & matre tua Eunice, certus sum autem quòd & in te*, πέπεισμαι δ' ὅτι καὶ ἐν σοί. An Paulus certitudine fidei persuasus erat in Timotheo eandem fidem non fictam habitasse, quæ in parentibus eius habitauerat? Ergo Pauli exemplo (vt hîc colligit Caluinus) certi esse debemus omnes non solùm de salute nostra propria, sed & de aliorum omnium quos ad fidem vocatos videmus. Adhuc semel quum ad Hebræos post terribilem comminationem contra eos qui accepto baptismo prolapsi sunt, subiungit, *Confidimus autem de vobis meliora, & viciniora saluti, tametsi ita loquimur*, vtitur verbo πεπείσμεθα, quod noster interpres optimè vertit *Confidimus*, Beza & Caluinus, *Persuasimus nobis*. An enim dubitari potest, de bona spe & confidentia Apostolum ista loquutum esse? Si persuasionem illam & fidei certitudinem intellexisset, quam hoc loco intelligi vult Caluinus; post illam terribilem comminā-

1.Cor.2. 11.

2 Tim. 1. 5.

Hebr.6 9.

nationem, si eos consolari voluit, debuit? Apostolus dicere huiusmodi comminationes ad illos non pertinere, imò potiùs huiusmodi comminationes, dum ad electos simberet (si eos hîc pro electis habere voluit) penitus prætermittere oportebat. Huius ergo verbi apud Paulum vsus non aliquam persuasionem ex fide, sed bonam confidentiam ex spe & charitate ortam manifestè significat. Sanè sicut in locis citatis respectu Romanorum, Timothei, & Hebræorum, ad quos scripsit, vtitur verbo πεπεισμαι, quod certam persuasionem significare Caluinus & Beza volunt, ita ad Philippenses de eadem prorsus perseuerantiæ & salutis confidentia scribens, vtitur verbo πέποιθα in media voce, quod ipsemet semper Beza, sicut noster interpres perpetuò vertit, *Confido*, præterquam hoc vno ad Philippenses loco, vbi Paulus ait: **Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi.* Vbi Beza vertit, *Persuasum habens hoc ipsum*, & Caluinus, *Hoc ipsũ persuasus*. Atqui in alijs locis omnibus, 2. Cor. 1. 9. & 2. Cor. 2. 3. & 2. Cor. 10. 7. & ad Rom. 2. 19. & ad Philip. 3. 4. & 3. 4. & 2. Thess. 3. 4. vertunt semper, *Confido & Confidimus*, quod Paulus habet πέποιθα & πεποιθότες. Imò vt iniqua & parcalis Bezæ versio magis appareat, vbi Paulus habet, οἶδα καὶ πέπεισμαι ἐν κυρίῳ, noster interpres, *Scio & confido in Domino*, Beza vertens,

Phil. 1 6. *πεποιθως.

Caluinus & Beza perfidi Scripturarum versores.

Rō. 15. 14.

tens, *Scio & persuasus sum in Domino*, nostrum interpretem reprehendit, quòd verbum πεποιθα πεισμαι pro verbo πεποιθα verterit, & cõsulo, posuerit, pro, certus aut persuasus sum. Hic ergo Beza fatetur verbi πεποιθα propriam significationem esse, *Confido*. Cur ergo Beza deserta verbi (vt existimat) proprietate, quam (vti diximus) in tam multis alijs locis retinuit, hoc vno in loco ad Philipp. 1. vertit, *Persuasum habens*. Sanè in fauorem suæ hæresis, qua volunt vnumquemque vocatum sibi certò persuadere, *quòd qui cœpit in eis bonum opus, perficiet*; vt in huius loci commentario, quem nunc tractamus, admonuit Caluinus. Sic illi ergo in diuinis Scripturis non secus ac in Homero aut Sophocle vertendo ludunt, & ludificant lectores suos. Interea, ad rem præsentem quod attinet, certum est ex frequenti vsu huius verbi, πεποιθα πεισμαι, non aliquam fidei certitudinẽ aut persuasionem ex fide, sed bonam tantummodo spem & confidentiam denotari. In loco ad Rom. 15. fidei quidem certitudinem notat, quia de dogmate fidei agit Paulus; sed additur alia dictio, οἶδα, quod certam scientiam notat. Quo verbo vsus est D. Petrus, quum diceret

2. Petr. 1. 14. *Certus sum*, εἰδως, *quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundùm quod & Dominus Iesus Christus significauit mihi*. Hîc quia certa & infallibilis erat reuelatio, ponitur verbum οἶδα, non πεποιθα πεισμαι. Sanè pro eo quod noster interpres

spes habet, *Certus sum*, &c. commentarij Ambrosij hoc loco & Diuus Hieronymus in epist. ad Algasiam legunt, *Confido autem*, &c. Quæst. 9.

Deinde obseruandum est, cur Paulus hãc tantam confidentiam perseuerantiæ ac salutis sue conceperit? An, vt hæretici hodie, ex sola fide Christi iustitiam apprehendente; cum ipsi in suis sordibus & peccatis manent, cum aliquo bono desiderio, sed absque desiderij effectu; & Spiritu quidem contra carnem reluctante, sed qui non vincat; qualis Caluinus & Beza suos electos describunt? Minimè gentium. Diuinus Apostolus iuxta præcedentem suam doctrinam hac eadem epistola traditam, qua dixerat, *Gloriamur in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit*, quasi idem hoc loco repetens, vbi commemorauerat nullo tribulationis genere se à Christo hactenus separari potuisse, *non angustia, non fame, non periculo, non persecutione, non gladio, quia tota die mortificatus fuerat pro Christo velut ouis occisionis*, id est, perpetuis afflictionibus exercitatus, *sed in his omnibus superauerat propter Christum*, id est, propter vehementem in eo Christi dilectionem, qui priùs eum dilexerat; ex istis omnibus tanquam optimis beatæ perseuerantiæ indicijs & argumentis, & quia *spes non confundit*, concludit, *Certus sum*, &c. id est, certa mihi in Domino spes est,

Salutis cõfidentiam cur Paulus cõceperit.

Supra Rõ. 6. & 7.

Rom. 5. 3.

Psal. 118. 116. Philip. 1. 6 est, quæ *non confundet me ab expectatione mea, quòd qui cœpit in me tam bonum opus*, tam variam patientiam & probationem, *perficiet quoque vsque in diem Christi*. Hæc est germana Apostoli sententia, ex alijs eius in eundem pene sensum verbis collecta. Hæc spes, certitudo, confidentia Paulina in illis laudabilis erat, qui imitatores Pauli facti, similia passi & simili constantia vsi fuerint: denique qui ad *altissimum illum charitatis gradum* peruenerint, quo Apostolum, quum hæc diceret, peruenisse annotarunt ad hæc verba SS. Patres, D.* Augustinus, † Chrysostomus, ‡ Bernardus, & alij. Quem tamen gradum defectibilem adhuc fuisse, tum ipse Paulus ad Corinthios scribens satis ostendit, "*Castigans corpus suum, ne fortè reprobus efficeretur*; & iterum ad Philippenses, affirmans se *necdum comprehendisse*, sed adhuc *destinatum bravium persequi, & ea quæ sunt retrò oblitum, ad ea quæ antè erant, quæ* adhuc illi de erat, *se extendere, si quo modo occurram ad resurrectionē quæ est ex mortuis*; tum eleganter loco citato annotauit D. Bernard. his verbis: *Multa* (inquit) *hic posuit Apostolus quæ illum a charitate Dei separare non poterant, non tamen ad ijciens, Nec nos ipsi. Nulla quippe creatura nos a Deo auellere potest: soli id deserere possumus propria voluntate.* Non ergo certitudinem & persuasionem Caluinianam, quæ mera præsumptio est, sola inani fide nixa (*inanis* quippe adeoque *mortua est omnis fides sine bonis operibus*) sed

* De grat. & lib arb. cap. 17.
† In comment. in hūc locū.
‡ In serm. de duplici baptis.
" 1 Cor. 9. Philip. 3.
Iacob. 2.

piorum

iorum & iustorum, qui multa pro Christo passi, in multa patientia & pietate, in longa iustitia & sanctitate Deo suo seruierunt, sanctam fiduciam & confidentiam, spem bonam ac firmam, docuit hoc loco diuinus Apostolus. Vnde orthodoxæ doctrinæ, neminem de sua salute certitudine fidei certum esse posse absque speciali Dei reuelatione, hæc Apostoli verba (vt garrit Caluinus) non repugnant. Nec talis doctrina fidem destruit, quæ aliud obiectum non habet, quàm quod Deus loquitur & reuelat, sed Caluiniana præsumptam fidem quàm bonos mores pernicio-sissimè euertit. Mirum autem est, fidem Caluinianam *etiam post mortem extendi* (vt hîc Caluinus affirmat) quum Apostolus dicat, *Cùm venerit quod perfectum est*, id est, aperta Dei visio, *euacuabitur quod ex parte est*, id est, ipsa fides, *quæ nisi per speculum & in ænigmate videt, tunc autem facie ad faciem.* Solius charitatis hæc laus & perfectio est, quòd etiam post mortem extendatur. *Charitas nunquam excidit*, ait ibidem Apostolus. Et confidere quidem oportet, quòd *qui cæpit in nobis opus bonum, perficiet vsq; in diem Domini Iesu*, sicuti hîc concludit Caluinus; sed illud nobis certitudine fidei polliceri atque præsumere Apostolus non docuit. Aliud est bona spes & confidentia piorum, quam patientia boni operis & varia probatio in illis operatur; aliud certitudo Caluiniana, quæ sola fide & præsumpta electione

1. Cor. 13.

Philip 1.6

Rō. 5. 8.

nititur, vt ante tempus iudicet vnusquisque, Deique sibi munus arroget. *Nouit enim Dominus qui sunt eius*, nõ nouit homo. Ratio subiicitur: *Habens signaculũ hoc, Recedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini*. Hoc signaculum an penes nos sit, nos certò scire non possumus: quia *etsi nihil nobis conscij sumus, non tamen in hoc iustificati sumus*. Ita omnia Caluini erroris & mendacij plena sunt.

2. Tim. 2. 19.

1. Cor. 4. 4

Argumentum Cap. IX.

APOSTOLVS hoc capite & duobus sequentibus de occultis Dei iudicijs circa decursum Ecclesiæ ab Abraham vsque ad consummationem seculi differit; & tria docet. Primùm, quòd Ecclesiam populumque sibi dilectum in posteris Abrahã per lineam Isaac & Iacob, non per lineam Ismaelis & Esau elegerit. Secundò, quòd in aduentu Christi maxima pars filiorum Israel, ad quos peculiariter erat missus, ex propria incredulitate corruent, eorumque loco Gentes subintrauerint in Ecclesiam: quibus etiam ruinam minatur, nisi in fide permanserint. Tertiò, quòd circa consummationem seculi, post vocationem & ingressum Gentium in Ecclesiam, Iudæi etiam vocandi & ad fidem conuertendi sunt. Circa primum autem quod huic capiti pro-

prium

prium est, de ordine vocationis ad fidem inquirit: an scilicet ex electione gratiæ detur, an ex præcedentium operum meritis, vt tam Iudæi quàm Gentiles, sed Iudæi magis opinabantur. Quam sanè quæstionem altissimam ita tractat, vt tametsi doceat in genere gratuitam Dei misericordiam in electos, & non iniustam reproborum reiectionem, tamen quoad Iudæos ipsos versetur magis hoc in capite quàm soluat: Iudæorum hac in parte improbam & pertinacem curiositatem magis redarguens, quàm eorum dubitationi respondens. In fine tamē capitis incipit soluere, & duobus sequentibus magis soluit; docens, Iudæos ideo à Deo reiectos, quia non ex fide & gratia Mediatoris, sed ex operibus legis quærebant iustitiam; ideoque eorum reiectionem iustam fuisse & lapsum inexcusabilem.

11. *Quum nondum nati essent, nec quicquam boni aut mali egissent, (vt secundùm electionem*
12. *propositum Dei maneret,) non ex operibus*
sed ex vocante dictum est: Maior seruiet mi-
13. *nori. sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.*

PRopositum Apostolo fuit, Iudæorum fidelium querimonijs de totius penè populi miseranda reiectione (quorum ita pauci in Christum credebant, quum numerosissima esset Gentiliū fideliū multitudo) occurrere.

Dei promissiones Abrahæ factas nō excidisse.

rere. Suspicabantur illi Dei verbū excidisse, & promissiones Dei semini Abrahæ factas irritas iā atque inanes factas fuisse. Hanc temerariā opinionē, quæ & in Dei iniuriā vergebat, eorū animis eximere hoc loco Apostolus vult. Præfatus igitur de ardētissima sua in illos charitate, adeò vt pro eorū salute optarit *anathema à Christo esse*, simulque nobilissimas quasdā illius populi prærogatiuas recensens, ad id, quod eos maximè pungebat, hoc ordine veniens ait: *Non autē quòd exciderit verbū Dei*: id est, Non sic optaui esse anathema pro Iudæis, nec sic eorū casum deploro, quasi promissiones Dei illi populo factas in vniuersum excidisse arbitrer. *Non enim omnes qui ex Israel, ij sunt Israelitæ; neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij*. id est, In hoc se decipiunt sibique falsò blandiuntur fratres mei, quòd promissiones Dei de venturo Messia, & de futura per illum benedictione & hæreditate, ipsi Abrahæ & semini eius factas, soli carnali Abrahæ semini factas arbitrantur. *Non enim qui secundùm carnem* ex Israel propagati, *ij sunt veri Israelitæ*, in spiritu & in fide; qualis Nathanael ille erat à Christo laudatus; neque quicumque ex carnali semine Abrahæ generati sunt, illi sunt filij Abrahæ. Nam & Ismael ex semine Abrahæ erat, non tamen filius promissionis, quia nec Abrahæ fidem sequebatur, nec Abrahæ opera faciebat. *Sed in Isaac vocabitur tibi semen*, dixit Abrahæ Deus. id est:

Ioan. 2.

Rom. 8.

Ioan. 8.

Non

non qui filij carnis, hi filij Dei; sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine. Hoc est dicere: Non sola carnalis generatio ex Abraha facit filium Dei per fidē & opera, qualis Abraham erat: sed qui filij Abrahæ sunt secundùm spiritum & ex fide, illi æstimantur in semine Abrahæ. *Qui enim ex fide sunt, ij sunt filij Abrahæ & qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraha*, ait alibi Apostolus: vt filius promissionis nihil sit aliud apud Paulum quàm filius gratiæ, filius per fidē, vtique quæ per dilectionē operatur. Si ergo carnaliter ex Abraham generati, sed fidem & opera Abrahæ non imitati, promissum Abrahæ semen, in quo omnes benedicerentur, id est, Messiam ipsum & Christum non sunt complexi; si à salute per illum & benedictione exciderūt, nō ideo hoc factum est, quia Dei promissio excidit, sed quia illi tales non sunt, quibus ipsa promissio data est.

Gal. 3. v. 7 & 9.

Filius promissionis quis.

Quam suam expositionem verisimam, sed Iudæis inexpectatam, volens adhuc magis ac magis confirmare Apostolus, ita prosequitur: *Promissionis enim verbum hoc est, Secundum hoc tempus veniam, & erit Saræ filius.* id est, Ex promissione natus est Abrahæ Isaac, ideòque ex beneficio gratiæ, non ex virtute naturali. Sed quare hoc? An quia ipsa carnalis generatio futurorum credentium ex huiusmodi promissione semper postea proueniret? Nihil minus. Sed ideo hic primus

Isaac cur ex promissione natus.

Abrahæ filius, verus ac fidelis futurus, ex promissione & beneficio gratię nascitur, vt intelligeremus electos Dei, & populum credentem, & veros filios Abrahæ, futuros filios gratiæ, non naturæ; futuros ex imitatione fidei & bonorum operum Abrahæ, non ex solo carnali semine eius. Quod mox Apostolus alio exemplo magis illustri probat. Ne enim fortè putarent Iudæi, quia Sara erat libera & Agar ancilla, propterea inter Isaac & Ismaelem ex ea parte discrimen natum esse, vt ille filius ac liber, hic quasi seruus haberetur, addit Apostolus: *Non solùm autem illa,* (Sara) *sed & Rebecca ex vno cõcubitu habens Isaac patris nostri,* supple, simile exemplum nobis præbet, quòd non carnalis generatio filium Dei facit, sed promissio, & gratiæ Dei beneficium. *Cùm enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali,* id est, ab æterno Dei consilio, antequam nati essent reipsa, aut aliquid reipsa fecissent (hoc enim dixerat Deus Rebeccæ antequam duo illi fratres nascerentur, quumque adhuc in vtero eos gestaret) *vt secundùm electionem propositum Dei maneret,* id est, vt iuxta factam à Deo electionem promissio eius fixa maneret; *non ex operibus,* supple ipsius Iacob aut posterorum eius vel antea ctis vel præuisis, ita vt ipsa præuisio causa aut origo fuerit electionis; *sed ex vocante,* id est, ex solo Dei beneplacito, & libera eius vocatione; *dictum est ei,* scil. Rebeccæ ma-

Iacob & Esau comparatio historica.

Gen. 25.

vtrius-

rioſque; *Quia maior ſeruiet minori*, id eſt, populus & poſteri maioris filij ſeruient populo & poſteris minoris filij, Idumæi Iſraelitis. Nam ipſe Eſau numquam ſeruiuit Iacobo, ſed contrà, Iacob ipſius Eſau potentiam veritus, eius gratiam expetiuit, & cum ſuis liberis ab Eſau remotiſsimus ſemper vixit. Gen. 32. & 33.

Sicut ſcriptum eſt, id eſt, de qua prælatione minoris populi ſcripſit Propheta Malachias; Mal. 1. 2. *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Quia poſui montes Eſau in ſolitudinem, & hæreditatem eius in dracones deſerti.* Idumæos Deus deſpexit, Iſraelitas in populum ac peculium ſuum delegit. Fecit vt Idumæorum vrbes, quę in montibus conditæ fuerant, à Chaldæis vaſtarentur, & draconibus deſerti habitandæ traderentur: de quo multa Abdias Propheta. Sed poſteros Iacob non ita Deus penitus abiecit, ideóque ad tempus in captiuitatem abductos, in terram ſuam & veri Dei cultũ reduxit: de cuius reductionis beneficio Deus hîc per Malachiam poſteros Iacob, ingratum populum, admonuit. Oſtendit igitur Apoſtolus etiam hoc exemplo, *quòd Dei promiſsio non exciderit*, quia poſteris Iacob vero ſemini Abrahæ, quî fidem & cultum veri Dei retinuerunt, illa promiſsio gratiæ ſeruata eſt, vt eſſet populus & peculium Dei. Hoc ſenſu, quoad hiſtoriæ literam, *maior ſeruijt minori, & Iacob Deus dilexit, Eſau odio habuit.*

Sed quia hæc litera allegoricum haud dubiè ſen-

Iacob dilectio spiritualis.

biè sensum habuit de spirituali dilectione ipsius Iacob & posterorum eius, item de spirituali reiectione ipsius Esau; ad illum sensum assurgens hoc loco Apostolus, altius hanc distinctionem considerat; & ostendit, Deum ex suo beneplacito alios diligere, alios odio habere, alijs misereri, alios indurare. Vnde statim mota difficultate super huiusmodi distinctionem, quasi quædã esset apud Deum iniquitas, *si secundùm propositum* & beneplacitum suum, *vt ex electione Dei firmum maneret*, alios diligeret, alios odio haberet, idque non ex operibus, aut aliqua eorum consideratione. *sed ex vocante*, id est, ex libera Dei electione; hanc difficultatem apertis verbis non statim soluit, sed ad tempus augere videtur. Affert enim consimilem Dei ex Mosi sententiã, *Miserebor cuius misereor, & misericordiã præstabo cuius miserebor*, id est: Mea misericordia ex meo beneplacito pendet; siue eam cõsideres in multitudine æqualiter peccantiũ, quorum alijs Deus parcit, alijs non parcit; in quo sensu apud Moysen hæc verba dicta sunt, siue per accõmodationẽ Apostoli eam spectes in distributione auxiliorũ gratiæ; quibus quum omnes indigeant, nõ tamẽ æqualiter omnes ea accipiunt, sed alij plura, alij pauciora, ex mero Dei beneplacito. Moxq; cõcludit: *Igitur non est volẽtis, neque currentis, sed Dei miserentis*, id est: Principium salutis, electio & vocatio ad fidem (nam de ea nunc Apostolus agit cõtra

Exod. 33. 19.

Misericordia Dei ex solo beneplacito duplex.

ra Iudæos de vocatione Gentium suaque rectione obloquentes) ipsaque auxiliorum gratiæ præordinatio cum quibus peccator conuertendus præuidetur, non ex aliqua hominis præuia voluntate aut conatu, sed ex sola Dei misericordia promanat. Mox interposito Pharaonis exemplo, quem inter cæteros fines ad suæ iustitiæ demonstrationem Deus in regnum euexit, & populi sui persecutorem esse permisit (quod exemplū ideo afferre Apostolus videtur, vt in re simili liberas Dei actiones ostenderet) idem rursum concludit dicens: *Ergo cuius vult, miseretur; & quem vult, indurat*, id est: Cui vult, dat congrua gratiæ suæ auxilia; & quem vult, ad sui nominis fidem efficaciter vocat: quibus vult, illa congrua gratiæ auxilia negat, sed nemini sufficientia, quibus ipse Pharao non caruit. *Nam contra misericordissimam Dei voluntatem libero suo arbitrio Pharao pugnauit*, ait Augustinus & verba Scripturæ idem docent: *Adhuc non vis dimittere populum meum?* & iterum: *Ingrauauit Pharao cor suum*. Indurare igitur hoc loco, & odio habere, nihil aliud significant quàm Deum minùs diligere, & maiorem gratiam negare. Diligere quoque & misereri nihil aliud significant, quàm Deum ex suo beneplacito corda hominum gratia sua speciali præuenire, maioribus gratiæ auxilijs donare. Quæ distinctio carnalibus hominibus iniquitas quędam apud Deum videbatur.

Exod. 9. 16.

Pharaonis exemplū quò spectat.

De prædest. & grat. c. 15.

Exod. 9 16

Exod. 9 17

Exod. 10. 3

Exod. 8. 15

Indurare & misereri quid hoc loco significet.

batur. Vnde eorum nomine iterum obijcit Paulus: *Dicis itaque mihi: Quid adhuc queritur? voluntati enim eius quis resistit?* id est: Si Deus ei, quem obdurat, non vult ea auxilia gratiæ conferre cum quibus præuidet conuertendum, sed alia minùs congrua (etsi sufficientia) cum quibus re ipsa non conuertetur, eritq; obduratus; quid adhuc contra impios obduratos conqueritur Deus? Quare eos hoc nomine in Scripturis redarguit, castigat, reprobat? Hanc & audacem & iniustam quæstionem retundit Paulus dicens: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* & sequentia, quæ postea seorsim explicabimus.

Hac nunc explicatione facta (quæ posita confirmabitur magis) videamus quid in hoc difficillimo loco veneni asperserint Caluinus ac Beza. Hic enim nunc instituti nostri scopus est. Primùm, in tota hac Apostoli disputatione Apostolum de ipsa electione ad gloriam seorsim accepta, & de reprobatione ad pœnam æternam tractare arbitrantur. *Quemadmodum* (inquit Caluinus) *gentē Israeliticam à reliquis omnibus populis separat fœderis benedictione, ita quoque eius gentis homines Dei electio discernit, dum alios ad salutem prædestinat, alios ad æternam damnationem.* Hoc primum in Caluino non admodum reprehendimus. Habet enim & orthodoxos quosdam interpretes idem secum sentientes. Sed vtrosque falli, totus Apostoli hoc loco scopus facilè demonstrat, qui

de prima vocatione tam Iudæorum quã gentium ad fidem Christi disputat, quia illa nunc versabatur inter vtrosque quæstio. Illa quoque Apostoli verba, *Cuius vult, miseretur; quem vult, indurat*; ad primos prædestinationis ac reprobationis effectus pertinere perspicuum est: maximè verbum, *indurat*, non ad damnationem ipsam æternam, sed præsentem gratiæ Dei negationem & peccandi permissionem, vel (vt Caluinus vult) peccandi necessariam impulsionem, manifestè pertinet. Neque D. Augustinus hæc verba contra Pelagianam impietatem sæpissime tractans, electionem ac prædestinationem hoc loco pro electione ad gloriam, sicuti nec odium aut reprobationem pro æterna damnatione vnquam accipit; sed illam quidem pro *præparatione ad gratiam*, hanc verò pro gratiæ negatione, pro permissione peccati, & non velle misereri, perpetuò accipit. Nam & quæstio inter ipsum & Pelagium, de gratia erat, non de vita æterna. Gratiam secundùm merita dari, ideoque à Deo ad gratiam vocari & eligi secundùm merita, voluit impius Pelagius: Gloriam ex meritis dari, sustinet semper disertissimè Augustinus. Cæterùm demus, quæ hîc Apostolus disputat, ad omnes simul prædestinationis ac reprobationis effectus accommodari posse. Nunc de vtraque quid Caluinus statuat, attendamus. Ac primùm de ipsa prædestinatione ad hæc Apostoli

Electio ad gloriam à Paulo hoc loco non tractatur.

ſtoli verba, tum de reprobatione ad alia Apoſtoli verba ſubſequentia.

Singulis (inquit) *propè verbis vrget gratuitam Dei electionem. Nam ſi opera locum haberent, dicendum erat, vt operibus conſtet ſua remuneratio. Ipſe autem opponit Dei propoſitũ, quod ſolo eius beneplacito continetur.* Reſpondeo: Iſtud hoc loco dicere non fuit neceſſe, quia altiorem ſalutis cauſam attingere Apoſtolus voluit. Scribit hoc loco Caluinus: *Verum quidem eſt, propinquam reprobationis cauſam eſſe, quia ſumus omnes in Adam maledicti: tamen vt diſcamus in nudo & ſimplici Dei beneplacito acquieſcere, ab hoc quoque intuitu nos tantiſper Paulus ſubducit, donec hanc doctrinam ſtabilierit, Deum in ſuo arbitrio ſatis iuſtam eligendi & reprobandi habere cauſam.* Hæc ille. Idem de prædeſtinatione & gratuita electione ad gloriam obſeruare debuit Caluinus, propinquam electionis ad gloriam cauſam eſſe, quòd ſumus in Chriſto benedicti, & eius gratia iuſtificati. Hunc enim ordinem Paulus ſeruauit, *Quos autem iuſtificauit, hos & glorificauit.* Propinqua igitur & proxima cauſa glorificationis ſecundùm propoſitum Dei (nam de tali Apoſtolus ibi loquitur) eſt ipſa iuſtificatio per fidem & bona opera: tamen vt diſcamus altiorem glorificationis cauſam agnoſcere, quæ eſt ipſa Dei electio & prædeſtinatio (*quos enim prædeſtinauit, hos & vocauit, & iuſtificauit, & glorificauit*) ab intuitu præſentis iuſtificationis per fidem & opera tantiſper

Electionis ad gloriã propinquæ cauſæ. Rom. 8.

ter nos Paulus subducit, donec hanc doctrinam stabilierit, Deum in sua æterna præscientia iustis iustam eligendi aut reprobandi habere causam. Ideoque hoc loco Paulus dixit, vt propositũ Dei *secundùm electionẽ manens*; & non dixit, *vt operibus constet sua remuneratio*. Alijs verò in locis idem Apostolus apertissimè hoc dicit: *Qui reddet vnicuique secundùm opera eius: ijs quidem qui secundùm patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam: ijs autem qui sunt ex contentione, & non acquiescunt veritati, ira & indignatio.* Et alibi: *Vt recipiat vnusquisque prout gesserit in corpore suo, siue bonum siue malum.* Sed de hac re plura postea. Putidum ergo Caluini argumentum est, in gratuita Dei electione ad gloriam nullum locũ opera habere; quia Paulus hîc de operibus nihil loquitur, sed de solo Dei proposito. Imò quum omnes passim Scripturæ de consequutione vel amissione vitæ æternæ loquentes, operum rationem semper adferant, quia hîc Paulus nullam operum rationem ponit, non leue argumentum est, eum non de decreto Dei ad gloriam, sed de decreto Dei ad primam gratiam conferendam loqui. Addit Caluinus: *Ac ne vlla ea de re controuersia maneret, sustulit omnem dubitationem, addita illa particula, Secundùm electionem.* Hæc particula probat, Dei propositum seu firmum decretum de alijs eligendis, alijs reprobandis, ex Dei electione pendere, vt prima & Rō. 2. 6.

1. Cor. 3.

Electio Dei suprema causa.

ma & altissima causa. Et quidem quoad auxilia gratiæ peccatoribus impartienda vel neganda, & primam vocationem, vnica causa; quoad ipsam vitam æternam conferendam, vel æternam pœnam inferendam, nec prima nec vnica causa: quia vt in reproborum damnatione proximam causam agnoscit Caluinus ipsum peccatum in homine, sic in electorum glorificatione agnoscere necessariò debet proximam & propriam causam ipsam esse in tempore iustificationem, vt ipse nos Paulus docuit loco citato. Manet ergo *Dei propositum secundùm electionem*, quia propositi illius diuini prima & suprema causa electio diuina erat. Pergit Caluinus: *Deinde & tertia: Non ex operibus, sed ex vocante. Nunc ergo animos propiùs aduertamus ad eius contextum. Ex eo stabilitur Dei propositum secundùm electionem, quòd antequam nascãtur fratres, & aliquid vel boni vel mali designẽt, alter reijcitur, alter assumitur; ergo si quis velit eorũ operibus causam discriminis tribuere, propositũ Dei sic euerteretur.* Primùm obserua in toto hoc cõtextu Paulũ adhuc non loqui de electione Iacob & de reiectione Esau, sed tantùm de illo discrimine, *Maior seruiet minori*, & docere ad litéram hanc prælationé populi minoris ex Dei electione ortum habuisse, non ex operibus quibus hanc electionem promeruerit. Sed hanc minoris populi prælationem merè gratuitam non fuisse electionem ad gloriam, de qua sola hîc Apostolum loqui

Minoris populi prælatio non fuit electio ad gloriam.

qui Caluinus vult, ex eo manifestè patet, quòd nec totus ille populus salutem est assecutus, sed multi exciderunt, vt hîc Apostolus docet, quia *non omnes filij Iacob filij promissionis erant*, nec solus ille populus ad Dei electionem, quæ ad salutẽ & gloriam est, pertinebat. Nam ex posteris Esau & Ismael (quum non in illo sed in Isaac vocabatur Abrahæ semen) Iob ille vir sanctissimus fuit, filius Nahor, qui fuit Ragual filij Esau ex Basemath filia Ismael, vt deducit iuxta Scripturas D. Chrysostomus. Multi quoque alij proselytæ & aduenæ non ex semine Iacob ad veri Dei cultum accesserunt, & facti sunt filij promissionis. Nam & exeuntibus Aegyptum filijs Israel, multi Aegyptij sese adiunxerunt, qui postea circuncisi verum Deum coluerunt. Prælatio igitur minoris populi iuxta illa verba, *Maior seruiet minori*, non erat electio ad gloriam vel ad gratiam secundùm propositum Dei, aut illi populo generalis, aut ad illum solum restricta; sed illi soli censebantur in semine, & promissionis filij erant, qui fidem & opera Abrahæ, Isaac, & Iacob imitati fuerunt.

Gene. 36. vers. 33.

Homil. 5. de pœnitentia.

Sed esto, demus Caluino etiam ad hæc Apostoli verba pertinere id quod sequitur, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*. Demus quoque hanc dilectionem Iacob ad ipsius personam pertinere, eiusque electionem. *Ergo*, ait Caluinus, *si quis velit eorum operibus causam discri-*

discriminis tribuere, propositum Dei sic euertentes. Primùm respondeo, Apostolum hîc loqui de electione ad gratiam, & de prima vocatione ad fidem; quæ ita merè gratuita est, & ex solo Dei beneplacito pendet, vt operum præcedentium nulla planè sit habenda ratio. Dico ad ipsam primæ gratiæ collationem, qua præuenit peccatores Deus. *De ipsa gratia* (ait Augustinus hæc verba tractans) *satis agebat Apostolus, & ideo filios promissionis commendabat.* Sapienter expendit totam Apostoli disputationem esse de filijs promissionis & eorum electione. Quos autem filios promissionis Apostolus vocat, iã ex ipso Apostolo ostendimus. Qui videl. fide tales sunt; id est, qui iam ad fidẽ secundùm propositum Dei vocati sunt. Idem rursus Apostolus docet ad Ephes. cap. 1. Quum enim dixisset, *Elegit nos in ipso ante constitutionem mundi*; vt de qua electione loquatur intelligeremus, addit, *vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate: qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundùm propositũ voluntatis suæ.* Hæc adoptio filiorũ, prima gratia est, qua ex filijs iræ filij Dei fiunt: & hæc est electio secundùm propositum voluntatis Dei. *Hæc non ex operibus, sed ex vocante Deo* est. De hac iterum Paulus dixit: *Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus S. quem effudit*

Epist. 105.

Gal. 3.

Ephes. 1.

Tit. 3.

runt abunde. Ad hanc igitur adoptionem filiorum Dei, ad hanc primam salutem quæ in baptismo credentibus confertur, quod attinet, cur hodie & per omnes ætates aliquæ gentes vocantur, aliquæ non, aut olim tam multi Iudæi tam multi Gentiles vocabãtur, si quis velit eorum operibus causam discriminis tribuere, *propositum Dei secundùm electionem*, id est, gratuitam & fixam Dei electionem subuerteret.

Sed age, demus etiam hoc Caluino, de ipsa electione ad gloriã, & de omnibus simul prædestinationis effectibus, Apostolum hoc loco intelligi velle; & adijciamus quæ adhuc Caluinus subtexit, vt totam eius disputationem teneamus: *Iam quod subiungit Apostolus; Non ex operibus, sed ex vocante, significat non ex parte operum, sed solius vocationis. Vult enim omnem operum considerationem excludere. Habemus ergo totam electionis nostræ firmitudinem in solo Dei proposito esse conclusam: nihil hic valere merita, quæ nulla nisi in mortem possunt: non respici dignitatem, quæ nulla est, verùm solam Dei benignitatem regnare. Proinde falsum est, ac verbo Dei contrarium dogma, Deum, prout vnumquemque gratia sua dignum vel indignum præuidet, ita vel eligere vel reprobare.* Hæc Caluinus. Oratio est ex multis mendacijs & cauillationibus consuta. Quod postremò narrat (vt ordine retrogrado agamus) putida cauillatio est, si sententiã, quam ponit, Catholicis impingit, contra quos dis-

Præuisio operum in electione quo sensu falsa, quo sensu vera.

putare solet. *Deū* enim, *prout vnumquemq; gratia sua dignum vel indignū præuidet, ita vel eligere vel reprobare*, non nisi Pelagianorum dogma fuit; ideoque & falsum & execrandū. Deum autem, prout vnumquemq; gratia sua rectè vel malè vsurū præuidet, ita vel eligere vel reprobare, plurimorū Catholicorū dogma est, verum & salutare, si rectè intelligatur, vt cuti mox explicabimus. Quod ait, *nihil valere merita nisi ad mortē, nec respici personarū dignitatem*, id est, iustitiā & sanctitatē, respectu vitæ æternę consequendæ, duæ sunt infames hæreses, diuinis Scripturis ex diametro cōtrariæ.

Merita ad vitam valent. 1. Tim. 4. 8. Matth. 19. Rō. 8. 13.

Si enim merita nihil nisi ad mortē valēt, falsum est quod Apostolus dixit, *Pietas ad omnia vtilis est, habens promissionem vitæ præsentis & futuræ:* & quod Christus dixit, *Si vis ad vitā ingredi, serua mandata:* & iterum quod Paulus habet, *si Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis*, vt alia innumera prætermittā. Rursum, si ad cōferendam vitam ęternā *Deus hominum dignitatem non respicit, quæ nulla est*; falsum erit quod Apostolus dixit, *Si filij, & hæredes:* sed perinde erit ad vitā æternā à Deo accipiendā, siue sit filius Dei, siue sit filius iræ. Esse autem filium Dei, dignitatē esse singularē, negare Caluinus nō potest, qui ad illa Ioānis verba, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, potestatē pro dignitate & præstātia accipi vult, iuxta vim verbi ἐξουσία, quo Ioannes vsus est. Porrò* si *tota salutis nostræ firmitudo in solo Dei proposito est cōclusa*, multum

Hominū dignitas respicitur Rō. 8. 17.

Ioan. 1.

*Salutis certitudo non in solo Dei proposito

nim fefellit nos Apoſtolus Petrus quũ ſcri- 2. Petr. 1.
beret, *Satagite vt per bona opera vocationẽ & electionem veſtrã certã faciatis.* Si Petro credimus, ſalutis noſtræ atque adeò electionis ipſius certitudo in bonorum operũ ſtudio, non in ſolo Dei propoſito, eſt concluſa. Ita rurſum aliud hic effutiuit Caluinus, diuinis Scripturis aduerſa fronte repugnans. Iã quod primo loco dixit, & vnde hæc alia tam multa tam falſa deduxit, *velle Paulum omnem operum conſiderationem excludere*, vel hoc ſolo nomine ſuſpectum nobis eſſe debet, quòd eo poſito, tam multa diuinis Scripturis cõtraria ſubſequuntur. Quæ enim propoſitio ducit ad inconuenies, illa veritati conuenire non poteſt. At vrget hic Caluinus: Paulus apertè dixit, *Non ex operibus, ſed ex vocante*; ergo ſignificat, non ex parte operum, ſed ſolius vocationis Dei, fieri electionem. Reſpondere breuiſsimè & veriſsimè poſſumus, non ex operibus fieri electionem quaſi ex cauſa ipſius electionis meritoria, aut efficiente, & hoc Apoſtolum velle dicere. Hanc enim vim illud, *ex*, apud Paulum habet, vt cauſam agentem & principium rei ſignificet. Sed adhuc longè amplius Caluino damus, & fatemur opera bona præuiſa diuinæ electionis ad omnes prædeſtinationis effectus nec cauſam efficientem nec vllã prorſus cauſam aut rationem quomodocumque mouentem, propter quam Deus prædeſtinaret, ſed nec originem præ-

Opera quo ſenſu excludũtur.

destinationis esse, aut mensuram effectuum eius, nec denique conditionem sine qua non prædestinasset. Falsum nihilominus est, in ipsa electione ac prædestinatione omnem operum considerationem excluſam fuisse. Quod quomodo intelligi debeat, nunc explicabimus.

Operum præscientia in prædestinatione qualis & quomodo.

Deum altitudine intellectus sui omnia ab æterno præsciuisse, nõ solũ opera hominum bona ac mala, sed etiam opera sua in quibuscumque rebus creandis, dubitari non potest. Hunc autem diuinum intellectum non ea tantùm quæ futura erant, sed quæ per omnipotentiam suam fieri poterant, pariter præsciuisse, omni etiam dubio caret. Porrò eorum, quæ fieri poterant, præscientiam, eorum, quæ actu futura erant, præuisionem antecessisse negari non potest, quũ ille sit actus intellectus diuini necessarius, hic autem voluntarius; ex eo nimirum voluntatis actu, quo, quæ futura erant, libera sua voluntate determinauit vel permisit. Sicut ergo in omnibus alijs rebus, ita in humanis actionibus, non solùm futuras omnes, quales actu futuræ erant, præcognouit, sed etiam quales futuræ essent, si talia & talia illis auxilia darentur, aut in tali ac tali ordine disponerentur. Quam Dei præscientiam conditionalium liberarum Scholastici vocant: & hanc in Deo esse, Scripturæ nos docent. Dauid consulens Dominum de aduentu Saulis,

1. Reg 23.

quem

ius rumor ferebatur, responsũ accepit, quòd venturus Saul esset, & quòd traditurі eum erant viri Ceilam in manus Saul. Dauide autem ex hoc Dei responso fugiente, neutrum eorum factum est. Sic de Tyrijs & Sidonijs Matt. 11. dixit Christus futuram eorum pœnitentiam si illic miracula facta fuissent. Sic Ieremiæ Ierem. 36. Deus de Gentili populo dixit: *Si mitterem te ad eos, ipsi audirent te.* In hac ergo æterna sua præscientia Deus videns quid quisque hominum facturus esset, si talis rerum ordo & cursus poneretur, ipsisque hominibus talia & talia gratiæ suæ auxilia Deus impartiret, cum quosdam videret talibus auxilijs gratiæ suæ, si darentur, per ipsius gratię adiutorium, liberique arbitrij concursum, rectè & perseueranter vsuros, hæc auxilia ex suo beneplacito præparauit, & conferre statuit: & hæc præparatio, prædestinatio eorum erat, quos per præscientiam illam hypotheticam nouerat ex illis auxilijs salutem adepturos. Non (vti dixi) quòd talis Dei præscientia fuerit aliqua causa prædestinationis factæ, (nam habita illa præscientia ex hypothesi, pro sua tantùm libera voluntate & ex suo solo beneplacito decreuit Deus dare bene vsuris illa media atque auxilia gratiæ sufficientia & congrua, & consequenter ad vitam quoque æternam prædestinauit) sed ipsam prædestinationem talis prescientia necessariò antecessit. Cuius hæc certa & perspicua causa dari

Præscientia conditionaliũ prædestinationem præcessit.

potest. Sicut talis præscientia in Deo non fuisset absque futuro de facto bono vsu talis gratiæ si daretur, (non enim quia futurum bonum vsum præsciuit Deus, ideo futurus erat; sed quia talis vsus ex libero voluntatis influxu verè futurus erat, ideo eum futurum Deus præsciuit) sic absque præscientia eiusdem boni vsus præparatio illorũ auxiliorum non sortiretur rationẽ prædestinationis circa ipsos prædestinatos, sed solius prouidentiæ rationẽ retineret. Nam sola ratio conferendi his & illis talia media & auxilia gratiæ, absque præuiso ipso eorum vsu qualis futurus sit, est tantùm prouidentia Dei circa homines ad beatitudinem perducẽdos, & communis tam reprobis quàm prædestinatis. Prædestinatio verò quæ superaddit prouidentiæ, præscientiam illam futuri certi vsus certique rerum exitus includit: vt vbi bonus vsus præscitur, & ex puro Dei beneplacito acceptatur, prædestinatio consequatur. Facit ergo hæc præscientia in Deo, vt quæ ex solo suo beneplacito ad beatitudinẽ media conferre determinat, prædestinationis rationem habeant, eiusque effectus sint. Quare hanc Dei præscientiam cum prædestinatione diuina coniunctam esse, Scripturæ Apostolicæ manifestè docent. *Quos præsciuit* (ait Paulus) *& prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.* Rom. 8. Rursum: *Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit.* Rom. 11. Petrus quoque: *Electis aduenis secundum* 1. Pet. 1.

in præscientiam Dei Patris. De hac Dei præscientia cum prædestinatione coniuncta, plura postea dicemus; & eam ab Augustino constanter agnitam fuisse, contra Caluinum ostendemus. Infrà cap. 11. ver. 2.

Operum futurorũ consideratio in electione probatur.

Nunc ex Scripturis futuræ cooperationis humanæ respectum, ideoque aliquam operum humanorum considerationem in ipsa Dei prædestinatione habitam fuisse, vno argumento docebimus. Deus ab æterno non aliter de rebus omnibus decreuit vt in tempore fierent, quàm sicut postea executioni mandantur. Quod circa salutem humanam vel potissimum locum habere, negari non potest: alioqui nulla esset conformitas exequutionis effectuum prædestinationis diuinæ cum eiusdem decreto; nec etiam certitudo aliqua, quæ tamen hac in re est maxima: vanumque esset quod docet Scriptura, *Sapientiam Dei attingere à fine vsque ad finem fortiter, & disponere omnia suauiter.* Quare D. *Augustinus, & posteum † Fulgentius, ac post vtrumque D. ‡ Thomas apertè asserunt, Deum in tempore non aliter homines saluare, quàm ab æterno saluos facere decreuit. Docet sanè axioma "philosophicũ, quòd omnibus modis, quibus se res habet ad esse, ijsdẽ se habet ad cognosci. Iam verò Scripturæ manifestissimè docent, absque conditione cooperationis humanæ neminem adultũ à Deo saluari, ipsumque hominem suæ saluti cooperari debere.

Sap. 7. 8.

* De bono perseuer. c. 22.
† De Incarnat. & grat cap. vltimo.
‡ 1. p. q. 23. art. 5.
" Metaph. lib. 2. cap. 1. 5.

Operum conditio ad salutẽ requiritur.

bere. Prius his Scripturarum testimonijs docetur, *Si Spiritu facta carnis mortificauerius, vi-*
Rom. 8. *uetis. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Si-*
Matt. 19. *quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater*
Ioan. 14. *meus diliget eum, & ad eum veniemus*, &c. Et de ipso prædestinationis mysterio loquens Pau-
2. Tim. 2. lus, ac dicens, *Firmum fundamentum Dei stat, habēs hoc signaculum, Nouit Dominus qui sunt eius*, hanc appendicem subnectit: *Discedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini.* Vocatis
Ioan. 15. 4. 6. 10. suis & electis Apostolis dicit Christus: *Manete in me, & ego in vobis manebo. Si quis in me non manserit, mittetur foras. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.* Vocatis &
Rom. 11. electis Gentibus Paulus dicit: *Vide bonitatem & seueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem, in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excidēris. Sed & illi si non permanserint in incredulitate, inserentur.*
2. Tim. 2. Et iterum ad Timotheum, vbi dixisset esse *in magna domo Dei*, quæ est Ecclesia, *vasa quædam in honorem, & quædam in contumeliam*, quæ in hoc capite Paulus pro electis & reprobis ponit, adiecit, *Si quis se emundauerit ab istis*, id est, apparens reprobus, ab impietate, propter quam talis apparet, sese expurgauerit; *erit vas in honorem*, &c. In his & multis alijs Scripturis in ipsis electis Dei ad salutem, conditio salutis apponitur, quam à Deo, quum in tempore fieri deberet, ab æterno præuisam fuisse, & ipsi suæ prædestinationi coniuncta, sicut

rit cum eius effectu coniuncta est, propter
eam cum eius effectu coniuncta est, propter
eam antedictam negari non potest. Po-
rrius quod diximus de necessaria cuiusque
ad salutem suam cooperatione, innumeræ
quoque Scripturæ docent, quarum hîc pau-
cas proferemus: *Conuertimini ad me, & salui*
eritis. Laua à malitia cor tuum, vt salua fias. Fa-
cite vobis cor nouum, & spiritum nouum. Quod
his verbis Christus dixit: *Facite arborem bo-*
nam, & fructus eius bonos. Sic currite, vt comprehē-
datis. Cum metu & tremore vestram salutem opera-
mini. Hæc faciens, teipsum saluum facies. Et ma-
ximè quod ex Petro attulimus: *Satagite vt*
per bona opera certam vestram vocationem & ele-
ctionem faciatis. Postremò, quod de Christi
merito, per quod saluamur, Paulus dixit:
Christus per passionem consummatus, factus est cau-
sa salutis omnibus obtemperantibus sibi. Quum
ergo & homo ipse suæ saluti cooperari de-
beat, & hæc cooperationis conditio saluādis
adultis imposita sit, dubitari nō debet, Deū,
quos adultos ad salutem prædestinauit, huius-
modi in illis cooperationē futurā præuidisse,
decum eiusdē præscientia coniuncta adultos
omnes prædestinasse. Adeò falsum est Calui-
ni axioma, *Paulum in electorum prædestinatione*
omnem planè operum considerationē excludere velle.
Neque enim tam multis & perspicuis Scrip-
turis Paulus contrarius esse potest. Atque
hæc de Caluini sententia hactenus, ad præ-
destinationem electorum quod attinet. In

Saluti suæ cooperari quisque adultus debet.

Isa. 45.
Ierem. 4.
Ezech. 18.
Matth. 7.
1. Cor. 9.
Philipp. 2.
1. Tim. 4.
2. Petr. 1.
Hebr. 5.

qua etsi operum præscientiam ponimus, non tamen eam prædestinationis causam aut originem facimus, sed à solo Dei beneplacito ac libera voluntate prædestinationem promanare agnoscimus. Id solum contra Caluinum docere voluimus, ex Paulo colligi non posse, electionem Dei ad gloriam omni operum consideratione carere: idq; insenit Caluini, qui non solùm Dei electionem ad gloriã, omnia media, quibus eò peruenitur, antecedere vult, vt priùs de fine ac postea de medijs secundùm nostrum intelligendi modum Deus disposuerit (quam sententiam, etsi nobis improbabilis videatur, nõ damnamus tamẽ) sed absque vlla mediorũ consideratione, solam, vnicã, plenã atque integram salutis causam esse vult. Alioqui si vllã mediorum cõsiderationem in Dei electione admittit Caluinus, cùm salutis media non secus bona opera sint quàm fides (quia fides illa demum salutifera est quæ per dilectionem operatur) profectò & operum considerationem admittere cogetur. Sed & illud videant Caluinistæ, qui ex sola Dei electione absque mediorum consideratione salutem electorum pendere volunt, an non eâdem operâ & totam Christi redemptionem ad humani generis salutem procurandam à Deo præuiam excludant. Quod vno verbo lectorem admonuisse satis erit.

Electio si sola salutis causa est, Christi redẽptio excluditur.

Iam verò quia tum Beza in hunc locum,

im Caluinus in sua pestilenti Institutione, Augustinum pro sua sententia proferunt; quàm id iniquè ac fallaciter faciãt, vno verbo ostendam. *Augustinus* (inquit Caluinus) *nus aliquando fuit sententia, Deum suam gratiam* Institut. lib 3. cap. 22. nũ. 8.
rum hominum dispensare, prout ea quemque bene rorum præuiderit: sed quum melius in Scripturæ ligentiam profecisset, eam non retractauit modò, vt *dentes falsam, sed fortiter confutauit.* Notatq; in margine, Retract. lib. 1. cap. 11. Quo sanè in loco nihil huic rei affine apud Augustinum inuenitur. Sed designare voluit lib. 2. cap. 23. vbi aliquid simile retractauit Augustinus, nempe quòd olim in expositione quarundam propositionum in epist. ad Rom. hæc eadem verba tractans, *Iacob dilexi, Esau odio habui*, scripserat, *elegisse Deum non quidem opera cuiusquam in præscientia quæ ipse daturus est, sed idem elegisse in præscientia; vt quem sibi credituram esse præsciuit, ipsum elegerit cui Spiritum S. daret.* Quod ibi quoad fidem retractat, agnoscens fidem non secus esse donum Dei quàm opera fidei. Quare hoc in loco planè contrarium ei quod dixit Caluinus, docuit Augustinus. Nempe nunquam se existimasse, elegisse Deum opera cuiusquam in præscientia, vt quos bene operaturos præsciuerat, illis Spiritus sui gratiam daret. Ita hactenus in Augustini sententia proferenda penitus aberrauit à vero Caluinus. Videamus nunc alia Augustini loca à Caluino in eandem prorsus

Augustini sentẽtia à Caluino aut nõ intellecta, aut deprauãta.

prorsus sententiam prolata. *Quin & post tractationem Pelagianos perstringens, quòd in eo errore persisterent, Quis istum*, inquit, *acutissimum sensum Apostolo defuisse miretur? Nam quum rem stupendam proposuisset de illis nondum natis, & inde de sibi quæstionem obijceret, Quid ergo? Numquid est iniquitas apud Deum?: erat locus vt responderet Deum præuidisse vtriusque merita* (sic citat Caluinus, quum illa Augustini verba non sint, sed ista, *Hic erat locus vt diceret, Futura Deus ea ra præuidebat*:) *non tamen hoc dicit, sed ad Dei iudicia & misericordiam confugit.* Sic Caluinus, quum nec sic Augustinus loquatur: *sed sententiam suam magis confirmat dicens, Miserebor cui misertus ero*, &c. Alium rursus Augustini locum citat Caluinus: *Quum omnia* (inquit) *ante electionem merita sustulisset, Hîc certè, inquit, vana vana illorum ratiocinatio, qui præscientiam Dei defendunt contra gratiam Dei: & ideo dicunt nos electos ante constitutionem mundi, quia præscivit Deus futuros nos bonos, non seipsum nos fecisse bonos. Non hoc dicit, qui dicit, Nō vos me elegistis, sed ego elegi vos. Nam si propterea nos elegisset, quia bonos futuros præuouerat, simul etiam præscisset quòd eramus eũ electuri:* & quæ in eam sententiam sequuntur. Citat postea verba Ambrosij ex Augustino, dicentis: *Christus, quem miseratur, vocat. Si voluisset, ex indeuotis facisset deuotos: sed Deus, quos dignatur, vocat; & quem vult, religiosum facit.* Denique concludit Caluinus: *Si ex Augustino integrum volumen contexere libeat,*

Epist. 106.

Homil. 26 in Ioan.

Libro de bono perseuerant. cap. 19.

ur, lectoribus ostendere promptum esset, mihi non eius verbis opus esse. Hæc Caluinus. Beza eoque, ne omnia à magistro suo didicisse videatur, alium adhuc Augustini locum citat, eumque premit. *Audiamus* (inquit) *ipsum Augustinum, ne quis nos existimet ex nostro sensu loqui. Sic igitur ille in Enchiridio ad Laurentium:* Vers. 12. Cap. 98. *Intuens Paulus quomodo hoc quod dictũ est* (Iacob dilexi, Esau autem odio habui,) *posset eos permouere, qui penetrare intelligendo non possunt hanc profundissimam gratiæ; Quid ergo dicemus? aut. Numquid iniquitas est apud Deum? Absit. Iniquum enim videretur, vt sine vllis bonorum malorúmue operum meritis vnum Deus diligat, odiátque alterum. Quamuis futura opera, vel bona huius vel mala eius, quæ Deus vtique præsciebat, vellet intelligi, propterea quam diceret, non ex operibus, sed diceret, ex futuris operibus, eóque modo istam solueret quæstionem, imò nullam, quam solui opus esset, faceret quæstionem.* Hæc Augustinus. Sed hæc omnia Augustini loca, & quæcunque alia afferri possunt, nec Caluini ac Bezæ sententiam iuuant, nec à nobis antea explicatam infirmant: idque duplici ex causa. Primùm, quia hæc omnia Augustinus loquitur & disputat de electione ad primam gratiã, quam ex præcedentibus ac præuisis meritis dari impius Pelagius voluit, & de qua Apostolũ hîc disputare Augustinus semper censuit, non autem de electione ad gloriam seorsim accepta, vt Caluinus ac Beza volunt; nec de toto

Augustinus Caluinianæ sententiæ nullo modo fauet.

de toto effectuum prædestinationis cõplexu. In loco ex Retract. citato, loquitur de electione illa, qua eum *Deus eligit, cui Spiritum*
Epist. 105. *S. daret.* In epist. ad Sixtum, loco secundo Caluino citato, ita scribit: *Quid hinc dicturi sunt, qui, vt gratia dari possit, nonnulla præcedere merita humana contendunt, ne sit personarum acceptor Deus?* Et paulò pòst: *Quid agebatur, vt hoc Apostolus diceret, vt eorum geminorum commemoraret exemplum? Quid persuadere moliebatur? Quid inculcare cupiebat? Nempe hoc quod ipsorum* (Pelagianorum) *oppugnat amentia, quos superbiâ non capiunt, quod sapere nolunt. De ipsa quippe gratia satagebat Apostolus, & ideo promissum*
Tract. 26. *filios commendabat.* Rursum in loco ex tract. in Ioannem, de prima electione ad gratiam Augustinum disputare, ipsa verba allegata manifestè docent. Eos refutat qui *præscientiam Dei defendunt contra gratiam Dei*; & qui ideo ad gratiam electos à Deo volunt, quia eos futuros bonos Deus præuiderat; denique de electione illa *qua Apostolos suos in hoc mundo elegit*, quæ fuit prima vocationis gratia. In loco quoque de bono perseuerantiæ aperissimè de prima vocationis gratia loquitur.
Cap. 19. *Deus* (inquit) *quos dignatur, vocat; & quem vult, religiosum facit.*

Beræ impudẽtia. Denique in loco quem citat Beza, tam clarè hanc causam primæ gratiæ agit, vt nihil sit illo hæretico impudentius, qui ad vltimum & vnicum prædestinationis effectum illa

verba trahit. Citatis illis Apostoli verbis, *cui vult, misereatur; & quem vult, indurat; Hoc* [illum] *diceret Apostolus* (ait Augustinus) *gratiam* Cap. 22.
commendabat, ad cuius commendationem de illis in [Iacob] *vtero geminis fuerat iam locutus.* De electione ad gratiam Apostolum disputare affirmat, non de electione ad gloriam. Et ne hic apud Augustinum non distingui existimes, vide apud illum duplicem electionem, gratiæ, alteram iustitiæ: vnã sine operibus præuisis, alteram ex operibus præuisis. Electio duplex apud Augustinũ.

Hic enim scribit, hæc ipsa Pauli verba pertractans: *Non ergo secundùm electionem* (scilicet Ad Simplic. lib. 1. q. 2.
diuinus operis præcedentis, vnde discrimen electionis acciperetur) *propositum Dei manet, ex proposito electio: id est, non quia inuenit Deus opera bona in hominibus quæ eligat,* (supple, ad propositum gratiæ) *ideo manet propositum iustificationis ipsius; sed quia illud* (supple, propositum gratiæ) *manet vt iustificet credentes, ideo inuenit opera* (supple, iustificatorum) *quæ iam eligat ad regnum cælorum. Nam nisi esset electio, non essent electi. Non tamen electio* (ad regnum cælorum) *præcedit iustificationem, sed electionem iustificatio*, præuisa videlicet in mente diuina. *Quos enim iustificauit secundùm propositum gratiæ suæ*, id est, ab æterno iustificare decreuit, *illos glorificauit*, id est, ad gloriam prædestinauit. Ponit manifestè duplicem electionem Augustinus: vnam, peccatores iustificandi, in qua non inuenit bona opera quæ eligeret, & propter

propter quæ iustificaret, hoc est, ex impio iustum faceret, alteram, ad regnum cœlorum eligendi, in qua inuenit opera iam iustificatorum, quam propterea electionem ad regnum præcesisit in mente Dei iustificatio peccatoris.

Serm. 7. de verbis Domini.

Eandem duplicem electionem alibi docet his verbis: *Elegit Deus & secundùm suam gratiam, & secundùm hominum iustitiam. Talia verba Apostoli: Clamante Elia, Ego sum solus, respondit ei Deus, Reliqui mihi 7000. virorum, & in hoc tempore reliquiæ saluæ factæ sunt per electionem gratiæ. Hoc est, idem Christus est nunc qui tunc erat. Quid est quod dicit, Reliqui mihi? Ego illos elegi,* (scilicet secundùm iustitiam & ad gloriam) *quia vidi mentes eorũ de me præsumentes, non de se, nec de Baal. Nõ sunt mutati, sic sunt, ut me facti sunt.* Hæc Augustinus. Rursum alio

De prædest. sanct. cap. 17.

loco, tractãs illa Christi verba, *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*; & docens non propter Apostolos electos fuisse quia crediderũt, sed vt crederent; & ex Apostoli verbis hoc confirmans, vbi dicitur, *Elegit nos ante constitutionem mundi*; *quod profectò* (ait Augustinus) *si propterea dictum est, quia præsciuit Deus credituros, non quia facturus erat ipse credentes, contra istam præsumptionem* (scilicet quæ negat prævenientem Dei operationẽ in fide credentium) *loquitur Filius Dei dicens, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* (in quibus omnibus verbis electionem gratiæ gratuitam corroborat) subnectit statim

Cum

ium hoc potiùs præsciuerit Deus, quòd ipsi eum fue-
rint electuri, vt ab illo mererentur eligi. Nempe
ad gloriam. Quis enim putabit Augustinum
dicere homines mereri electionem ad gra-
tiam, idque eo in loco vbi fortissimè pugnat
pro gratia? Imò disertè docet in sequentibus,
Deum præscire iustorum merita propter quę
eligat eos ad gloriam. Citatis Iacobi verbis,
Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in
fide, & hæredes regni? ex eis ita concludit: *Eli-*
gendo ergo facit diuites in fide, sicut hæredes regni.
Recte quippe in eis hoc eligere dicitur, quod vt in eis
faciat, eos elegit. Quid est illud, quod vt Deus
in electis suis faciat & operetur, eos priùs
eligit? An non est hoc ipsum, *esse diuites in fide*
& bonis operibus? Non enim de fide inani lo-
quebatur Iacobus. Deus igitur vt faciat di-
uites in fide & operibus bonis, eligit paupe-
res, vacuos fide, planeque impios; & sic eli-
gendo facit diuites in fide. Rursum, *hoc ipsum*
in eis elegit (ait Augustinus:) *& rectè hoc dicitur*
eligere, sed ad quod, nisi ad gloriam, & vt sint
hæredes regni? Nam sic eligendo facit hære-
des regni. Vtrumque dixerat Augustinus,
& vtrumque probat, duplicem electionem
constituens. Sic alibi scripsit: *Quum nos præ-* De præd.
destinauit Deus, opus suum præsciuit, qui nos sanctos sanctor.
& immaculatos facit. Ponit præscientiã bono- cap. 19.
rum operũ, nõ contra gratiã Dei, sed ex gra-
tia Dei. Sit ergo hæc prima responsio contra
Caluinum & Bezam, Augustinum, quum

operum præscientiam negat, de electione ad primam gratiam loqui, non de electione ad gloriam præcisè & seorsim accepta.

Opera præuisa quæ & qualia negat Augustinus.

Alia responsio est, Augustinum, quum operum futurorum præscientiam in divina electione negat, non de operibus gratia disputare, quæ Deum præscire & eligere iam ex ipso Augustino docuimus, sed de operibus liberi arbitrij, quæ ponebant Pelagiani pro causa electionis ad gratiam, contra quos semper in hac materia disputat Augustinus.

Epist. 105.

Quare in epist. ad Sixtum, loco à Caluino citato, citatis illis Pauli verbis, *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis: Vbi* (inquit) *nunc merita, vbi opera, vel præterita vel futura, tanquam liberi arbitrij viribus adimpleta vel adimplenda? Nónne apertam protulit Apostolus de gratuitæ gratiæ, hoc est, veræ gratiæ commendatricem sententiam?* Talia opera præuisa in causa prædestinationis meritò excludit Augustinus.

De prædest. & grat. c. 17. & 2.

Rursum alio in loco quum dixisset, *Quòd futuros eorum mores* (Iacob & Esau) *diuinum discreuisse indicium, profectò illud euacuabitur quod præmisit Apostolus, Non ex operibus, &c.* paulò pòst subiungit: *Ne fortè vasa in honorem prædestinata suis aliquid viribus tribuendo negarent gratiam Creatoris, alio eos loco Apostolus vasa misericordiæ nominauit.* Vbi iterum ostendit qualia futura opera à Deo præuisa semper intelligat. Nempe hæc propria Pelagianorum impietas fuerat, præuidere Deum hominum

opera

gera proprijs viribus laudabiliter facta, & secundum ea ad fidem & gratiam suam illos vocare. Sic eorum sententiam refert Augustinus his verbis: *Præsciebat, ait Pelagianus, qui futuri essent sancti & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium, & ideo eos ante mundi constitutionem in ipsa sua præscientia, qua tales esse futuros præscivit, elegit. Elegit ergo, inquit, antequã essent, præelegit sanctos filios, quos futuros sanctos immaculatosque præscivit: vtique ipse non fecit, nec se factum, sed illos facturos esse præuidit.* Hæc Pelagianorum impia fuit sententia, qua in electione eorum Dei præscientiam ponebant contra Dei gratiam. Et contra hanc impietatem ex his Apostoli verbis fortiter semper ac sapienter disputat Augustinus. Igitur Augustini doctrina contra præscientiam operum in electione diuina, pro Caluino & Beza nihil facit hac duplici ex causa; tum quia de electione ad primam gratiam semper disputat, tum quia opera præuisa, quæ excludit, liberi arbitrij opera sunt, non opera gratiæ, quæ excludi Caluinus & Beza volunt. Ex eadem quoque duplici causa, præscientiæ operum à nobis antea explicatæ B. Augustini doctrina non aduersatur, tum quia de electione ad gloriam præcisè loquimur, quam sine vlla operum consideratione factam vult Caluinus; tum quia non nisi opera gratiæ intelligimus, ideóque cooperationis præscientiam potiùs quàm operum asseruimus.

De prædest. sanct. cap. 18.

Præscientiam Dei contra gratiam, Pelagian. propria.

Sed nunc vt ad alia pergamus, aliam Caluini ac Bezæ non improbabilẽ tantùm sed prorsus impiam ac blasphemã sententiam in alia Apostoli verbis expendemus, simúlque reliqui contextus Apostolici veram ac sanam intelligentiam aperiemus.

14. *Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud*
15. *Deum? Absit. Moysi enim dicit, Misericordiam cuius misereor; & misericordiam præstabo*
16. *cuius miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Dicit enim*
17. *Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendã in te virtutẽ meã, & vt annuntietur nomen meũ in vniuersa terra. Ergo*
18. *cuius vult, miseretur; & quem vult, indurat.*

HOrum verborum magna ex parte simplicem & apertam intelligentiam attigimus. Nunc vt illa peruertat Caluinus, & quid ex illis venenati dogmatis suxerit, aperiendum nobis est. Ad hanc Apostoli quæstionem, *Nunquid iniquitas apud Deum?* sic scribit Caluinus: *Obiectio ista clarè testatur, quòd alios eligit Deus, alios reprobat, causam non aliam quàm in eius proposito quærendam esse. Nam si in operum respectu fundatum esset discrimen, frustra quæstionem de iniustitia Dei Paulus mouisset, cui nulla potest esse suspicio, vbi Deus quemque pro merito tractat.* Fallit hîc lectorem impostor, de ea semper electione & reprobatione disputãs, quæ nisi vltimum eius effectum respicit,

vitam

tam æternam in electis, & damnationem reprobis. Atqui quũ aliæ innumeræ Scripturæ ex parte vitæ æternæ cõsequendæ vel pœnæ æternæ subeundæ apertissimè doceant *unumquemque pro merito tractari*, (vt hîc Caluinus loquitur) & operum rationem diserte liberi, sicuti in præcedentibus ostendimus; vero certius est, hanc Apostoli obiectionem de electione & reprobatione quoad vltimum eius effectum non loqui, sed de vtraque quoad primum eius effectum, qui est, alios misericorditer vocare, & auxilijs gratiæ maioribus præuenire; alios verò iustè deserere, & paribus gratię donis non donare. Et hunc Apostoli sensum verba subsequentia manifestissimè docent; *Moysi enim dicit, Miserebor cuius misereor, & misericordiam præstabo cuius misebor*: aliáque mox subsequens Apostoli cõclusio, *Ergo cuius vult, miseretur; & quem vult, indurat.* Hæc quippe verba manifestissimè loquuntur de misericordia Dei hominibus indignis peccata remittente, & de iustitia Dei homines similiter indignos indurante, hoc est, deserente in peccatis suis. Rursum illa verba idem docent, *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis.* Nam de misericordia Dei circa præsentis vitę cursum illa loquuntur: quæ quidẽ misericordia hominem peccatorẽ misericordissimè præueniens, non ab aliqua hominis præuia voluntate aut conatu pręuio (vt olim Pelagiani impiè dogma

Dei gratuita misericordia omni caret iniquitate.

tizabant) sed ex Dei beneplacito & mera bonitate originē suā & causam accipit. Etsi hunc locum contra Pelagianos tractat & Augustinus, quo vafre abutitur impius Caluinus: quod hîc obiter demonstrare non abs re erit. Quod enim de principio vocationis & conuersionis Paulus hîc dixit, hoc etiam de toto progressu iustitiæ totóque electionis effectu dicere Apostolum Caluinus vult, & in eam sententiam S. Augustinum trahere contendit. *Verè* (inquit) *hic locum habet illud Pauli, Non est volentis, neque currentis, &c. non quomodo id vulgo accipiunt, qui inter Dei gratiam hominisq; voluntatem ac cursum partiuntur. Exponunt enim desiderium hominis ac conatum nihil per se quidem habere momenti, nisi Dei gratia prosperentur; sed cùm adiuuantur illius beneficentia, habere suas quoque partes in comparanda salute contendunt: quorum cauillum Augustini verbis refellere quàm meis malo: Si enim nihil aliud vult Apostolus, nisi non esse solius volentis aut currentis, nisi adsit misericors Dominus, retorquere è conuerso licebit, non solius esse misericordiæ, nisi adsit voluntas & cursus; quod si aperte impium est, non dubitemus Apostolum omnia misericordiæ Domini dare, nostris autem voluntatibus aut studijs nihil reliquere.* Hæc ex Augustino Caluinus. Sed Augustinus loco citato non disputat contra liberam voluntatis nostræ cooperationem, sed disputat contra Pelagianam illam voluntatis nostræ præuentionem. Nam contra Pela-

Institut. libro 3. cap. 24.

Voluntatis præuētio, non cooperatio ab Augustino tollitur.

giam

gium diserè disputat, qui principium boni operis in hominis voluntate posuit. Ait enim in verbis proximè præcedentibus: *Ne quis-quam de ipso glorietur libero arbitrio, tanquã ab ipso accipiat meritum, cui tanquam debitum reddatur premium bene operandi, audiat Apostolum: Igitur non volentis*, &c. quod ergo postea concludit Augustinus, *ideo ab Apostolo dictum esse, Non est volentis*, &c *vt totũ Deo detur*, idcirco cõcludit, vt Pelagium confutet. qui non totum Deo, sed principiũ voluntati, & progressum gratiæ Dei cum voluntate tribuebat; & præterea vt saluberrimè doceat, totum cursum nostrum, quo in vitam æternam tendimus, esse à Deo, tam ipsum principium quàm totum progressum iustitiæ. Et sanè si (secundum Pelagium) primũ velle, quo iusti esse incipimus, à nobis solis esset sine Dei gratia; tunc huius respectu è conuerso dici posset, Non est Dei miserentis, sed hominis volentis: quia nisi prius homo velit, Deus postea non miseretur: quod nullus Christianus dicere audebit. Rursum, in sensu Pelagij iam dicto falsum est dicere, *Ex vtroque fit salus*, quasi videlicet vnam partem salutis faceret hominis voluntas sola, principium videlicet; & alteram partem faceret Deus cum hominis voluntate. In eodem quoque sensu falsum est dicere: *Non sufficit sola misericordia Dei, fiat etiam voluntas hominis*, scilicet à seipso bonum incipiens. Neque enim aut velle aut

currere bene potest, cuius non est à Domino præparata voluntas. Sed verò vt illa diuina præparatio in nobis fiat efficax, & gratia operans fiat cooperans, vtrumque fit ex Dei misericordia & hominis voluntate liberat: vnde ipse Augustinus de prima nostra iustificatione disputans ait: *Vbi quidem operamur & non, sed illo operante cooperamur, quia misericordia eius præuenit nos.* Rursum alio in loco: *Non ego ait Paulus, sed gratia Dei mecum, ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cũ illo.* Item de verbis Apostoli: *Esse potest iustitia Dei sine voluntate tua, sed in te esse non potest, nisi per voluntatem tuam.* Denique S. Bernardus in tract. de gratia & lib. arbitrio, circa principium: *Quod à solo Deo & soli datur libero arbitrio, tam absque consensu non potest esse accipientis quàm absque gratia dantis.* Sic principium conuenientis à solo Deo esse, qui misericorditer præuenit peccatores quibus misereri vult, hic locus docet: vt quibus vult, misereatur; quos vult, induret. In hac ergo gratiarum Dei distributione circa æquales inæqualis, qua quibusdam miseretur Deus peccata remittens, & gratiam largiens; quibusdam non miseretur, suæ gratiæ maiora auxilia illis denegans; est quædam apparens iniquitas quoad homines carnales, & sui amãtes, quorum hîc nomine obiectionem hanc sibi mouet Apostolus. Et hanc quidem obiectionem statim non soluit, sed (vt ait hîc Cal-

De nat. & grat. c. 32.

De grat. & lib. arb. cap. 5.

Serm. 15.

Iniquitas in Deo carnalib. apparens.

vin-

rus)

ris) *in Dei iustitia asserenda pergit inflexibili constantia; nec in quærendis rationibus, quæ asperitatem molliant, laborat, sed satis habet Scripturæ testimonijs impuros latratus compescere.* Hęc in proximi verbis, adducto ex Moyse testimonio, & Pharaonis exemplo, Paulum tantisper agere, cum Caluino agnoscimus; sed in illo obiectionis Apostolicæ sensu quem ex Apostoli verbi ostendimus, non in sensu Caluini nec nisi tantisper agere, quia postea (vt mox videbimus) obiectionem soluit, etiam ipso attestante Caluino.

Sed interea conclusionem Apostoli hoc loco quàm nequiter exponat Caluinus, apiendum est. Illa enim explicatio ad nefariũ quod postmodum infert dogma viam sternet. Illa Apostoli verba, *Ergo cuius vult, miseretur; & quem vult, indurat*; huncin modum deprauat: *Insistere debemus in illas particulas, Cuius vult, & quem vult, vltra quas procedere nobis non permittitur, vt in ea quæ apparet inter electos & reprobos diuersitate mens nostra contenta sit, quòd ita visum fuerit Deo alios illuminare in salutem, alios in mortem excæcare, neque superiorem causam eius voluntate inquirat.* Verum quidem hoc totum est de prima illuminatione ad salutem in quolibet peccatore, qui iam in ira Dei maneat, seu propter originale seu propter actuale peccatum, idque siue ante semel acceptam gratiam, siue in relapsu pòst. Verum quoque est de excæcatione illa ad mortem, quæ sub-

Deus quos ſēſu quos vult indurat.

tractionem gratiæ significat, siue primæ ante vllam ad Deum conuersionem, siue posterioris cuiusq; post recidiuam congruæ: cuius quidem superior causa ipsa Dei voluntas quærenda non est, sed voluntate iusta, & propter peccatoris demeritum, vt ipse posita Paulus nos docebit. Sed Caluinus excæcationem & indurationē in Deo intelligi vult, quæ nec iustitiæ in Deo respectum habeat, sed solius voluntatis; nec simplicem gratiæ subtractionem, sed ipsam ex parte Dei malum impulsionem significet. Sic enim homo impius prosequitur, totumque venenum effundit suum: *Indurandi verbum quum Deo in Scripturis tribuitur, non solùm permissionem (vt malunt diluti quidam moderatores) sed diuinæ quoque iræ actionem significat. Nam res omnes externæ, quæ ad excæcationem reproborum faciunt, illius iræ sunt instrumenta. Satan autem ipse, qui intus efficaciter agit, ita est eius minister, vt non nisi eius impulsu agat. Carruit ergo frigidum illud effugium, quod præscientia Scholastici habent. Neque enim prædeti ruinam impiorum à Domino Paulus tradit, sed eius consilio & voluntate ordinari, quemadmodum & Salomon docet, non modò præcognitum fuisse impiorum interitum, sed impios ipsos fuisse destinatos creatos vt perirent. Prouerb. 16. 4. Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus; impium quoque ad diem malum.* Hæc ille. Sic Caluinus tum in indurationē actionem Dei ponit, solam permissionem negat; tum homines à Deo ad æter-

Deus iuxta Caluinum homines ad exitium destinato creauit.

æternum exitium destinatò creatos fuisse, ne blasphemo affirmat. Quod posterius in sequentibus fortiùs asserit, & Apostolicam disputationem totis viribus eò contorquet. Sequentia igitur apud Apostolum vno contextu discutienda sunt, vt tota hominis impietate patefacta, eam semel plenius refutemus, sententiámque Apostoli genuinam ac germanam contra impias eius corruptelas asseramus. Sequitur in Apostolo:

19. *Dicis itaque mihi, Quid adhuc queritur?*
20. *voluntati eius quis resistit? O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmẽtum ei qui se finxit, quid me fecisti sic?*
21. *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?*

ADhanc Apostoli prosequutionem instat gnauiter Caluinus, vt suas lectori impias blasphemias obtrudat. *Hîc* (inquit) *præsertim tumultuatur caro, quum audit ad Dei arbitrium referri quòd ad mortem destinati sint qui pereunt.* Et paulò pòst, interiecta hîc contra Scholasticos putida calumnia, nulla refutatione digna: *Quærunt* (inquit) *hoc loco impij, Quid habet causæ Deus cur nobis irascatur, quum nos tales formauerit, quum pro suo nutu agat quò libuerit? quid aliud nos perdendo quàm opus suum nobis vlciscatur? Neque enim nostrum est cum eo litigare: vt maximè repugnemus, ipse superior euadet.*

cuadet. Proponit impiorum nomine impius Caluinus talem quæstionem, non qualem Apostolus per modum obiectionis format, sed qualem vix aliquis impius, nisi atheus aliquis aut dementia plenus, formare vellet.

Apostoli vera obiectio de iniquitate in Deo apparente

Obiectio ab Apostolo proposita hoc solùm habet, *Si Deus, cuius vult, miseretur; & quem vult, indurat*; id est, quem vult, in suo peccato relinquit; quid causæ habet Deus cur nobis irascatur? *voluntati enim eius quis resistet?* Si vult nos deserere, quomodo possumus quod rectum est operari, vel ad salutem pertingere? Hæc obiectio est ab Apostolo proposita, ad quam postea duo respondet, vt mox videbimus. Nunc hanc quæstionem & obiectionem aggrauat impius Caluinus, vt non solùm de voluntate Dei permittente quosdam perire, (volens enim permittit Deus quicquid permittit) sed etiam de voluntate Dei homines ad malum formante, & impellente ad interitum, obiectio procedat. Ait enim impiorum nomine, *Quum nos tales formauerit, quum pro suo nutu nos agat quibuerit.* Hæc sanè obiectio non solùm impia & temeraria est, sicut altera; sed prorsus impia & falsa, quam Apostolus non proposuit, & cuius occasionem verba Apostoli subministrare non poterãt. Sed quia verum hoc esse Caluinus vult, & pro vero sustinet, Deum reuera formare impios vt tales sint, eosque pro suo nutu agere, id est, ad peccandum

Deũ formare impios, & eos pro nutu suo agere Caluinus vult.

lum impellere, quò libuerit (sic enim alibi liberè scribit de Deo, quòd *impiorum voluntates ad malum excitat, & conatus firmat*) vult hanc esse Apostolicæ obiectionis sensum, vt hac obiectione ab Apostolo non soluta, sed potius confirmata (sic enim Caluinus & priùs docuit, & mox docebit) impia quoque obiectionis sententia firma ac valida permaneat. Quare primam Apostoli responsionem obiurgatoriam, *O homo, tu quis es qui respondeas Deo?* &c. his verbis glossat Caluinus: *Hoc eodem patet, nullam Dei arbitrio causam superiorem adduci. Quam in promptu solutio esset, ex iustis causis pendere discrimen; cur hoc compendio non vsus est Paulus, sed Dei voluntatem in summo gradu collocat, vt nobis pro causis omnibus vna sufficiat? Certe si falsa fuisset obiectio, Deum reprobare vel dignare pro suo arbitrio, quos vel fauore non dignatur, vel quos gratuitò amat, refutatio non fuisset à Paulo neglecta. Obijciunt impij, reatu eximi homines, si in eorum salute vel exitio primas partes tenet Dei voluntas. An negat Paulus? Imò sua responsione confirmat, Deum, quod visum est, de hominibus statuere: frustra tamen ac furiosè insurgere homines ad litigandum, quia figmentis suis Deus quamcunque voluerit sortem iure suo assignat.* Hæc Caluinus, in eo acriter insistens, vt doceat obiectionem factam non solui ab Apostolo quasi falsam, sed confirmari quasi veram; idque in eo obiectionis sensu, quem ipse aggrauando confinxit, vt iam ostendimus. Cæterùm in his

Institut. l. 2. cap. 4. num. 3.

in his quidem verbis adhuc obiectionem non soluit Apostolus, sed voluntatis diuinæ (qua quibusdam miseretur, quosdam indurat) scrutatores, temeritatis & audaciæ merito arguit. Soluit tamen in proximè sequentibus verbis, vbi alteram responsionem attexit, ut ipsemet Caluinus agnoscit, moxque explicabitur. Hæc autem Apostolica obiurgatio, ab ipsa hominum vilitate desumpta, iustissima & grauissima est, huncque sensum habet: Non debet figmentum cum suo factore contendere, nec operum eius rationem exigere, iuxta illud Esaiæ: *Væ qui contradicit factori suo, testa de samijs terræ. Nunquid dicit lutum figulo suo, quid facis? & opus tuum absque manibus est?* Si ergo potestatem habet figulus ex eadem massa facere quædam vasa honorata vsibus deputata, quædam verò vilioribus; quanto magis ex duobus peccatoribus tam quoad naturam figmentis & creaturis Dei, quàm quoad contractam ab origine prauitatem aut etiam propriam superadditam quibuis luto vilioribus, potest Deus absque vlla iniuria, vel iniquitate, vnius misereri, alterius non misereri, aut certè non perinde misereri, sed vni maiora auxilia dare, quibus præuidet eum conuertendum, & vas in honorem futurum, alijs huiusmodi auxilia denegare! Huius discriminis ratio à sola Dei voluntate pendens, non tamen iniusta, sed æquissima, ab homine petenda non est, neque

Obiurgationis Apostolicæ sensus.

Esa. 45. 9.

pequecum Deo huiusmodi profanis vocibus
ercandum, *Quid adhuc queritur*, quare pec-
tores punit? *voluntati eius quis resistit?* Hæc
nt enim verba arrogantiæ & temeritatis
ena: non quòd nulla ratio electionis ac re-
obationis diuinæ ex parte ipsius Dei dari
ueat (dabit enim aliquã statim Apostolus)
d quòd huiusmodi hominum expostulatio
m Deo, creaturæ contra Creatorem, indi-
nissima & non ferenda est. Neque verò (vt
desiter dicam) hæc Apostolica obiurgatio
d quaslibet absurdas sententias absque legi-
ma discussione & examine asserendas tra-
t debet, vt non rarò Caluinus facit; quasi
ic locus vnus cuneus esset ad omnes nodos
ssoluendos, & ad omnem absurdam & in-
gnam Deo sententiam tuendam perpetuus
ipeus; sed ad præsentem tantùm Apostoli
sputationem aptanda est, si ex Apostoli
ente, & non ex proprio cerebro, disputa-
re volumus. Nempe vt circa occultã illam,
d iustissimam, auxiliorum gratiæ distribu-
onem inæqualem, & circa permissionem
ccati, contra Deum disputare nemo præ-
mat. Exemplum porrò & similitudo figuli
non ita accipienda est, quasi quẽadmodum
figulus ex luto facit vasa in cõtumeliam, ita
am Deus ex hominibus vasa in contume-
iam efficiat. Cùm enim vasa in contume-
iam non sint alia quàm vasa iræ aptata in
interitum æternum, atque per hoc non sint
alia

Institut. libro 3. cap. 24. in fine & cap. 23. num. 4.

Figuli similitudo quomodo accipiẽda.

alia quàm peccatores in lethali peccato exi-
ſtentes, ratione cuius vaſa ſunt contumeliæ
(etſi Caluinus vtrumque doceat, illudque
prius propter hoc poſterius conſequentem
affirmet) ſed ipſi ſua libertate ſeipſos talia
efficiunt, poſſuntque ſeipſos mundare in-
terim dum ſunt in via auxilióque Dei, quod
nulli vnquã deeſt, efficere vaſa in honorem,
2. Tim. 2. iuxta illud Apoſtoli. *Si quis ſe emundauerit ab
iſtis, erit vas in honorem*; vbi loquitur de vaſis
contumeliæ adhuc in via poſitis, & in hac
militante Eccleſia, quam vocat *domum Dei
magnam*. Similitudo ergo hoc docet, quòd
ſicut figulus abſque vlla iniuria aut nota ita
habet poteſtatem efficiendi ex eadem maſſa
luti aliud vas in honorem, aliud in contume-
liam; ita multo magis abſque cuiuſquam in-
iuria aut indecentia ex parte Dei, eſt pote-
ſtas in Deo ex duobus peccatoribus luto vi-
lioribus efficere vnum vas in honorem, præ-
bendo auxilia quibus præuidet ſanctifican-
dum, relinquere verò alterum vas in contu-
meliam, quale ipſe ſe effecit, non tribuendo
illi ſubſidia quibus præuidet conuertendum,
relinquens tamen ac tribuens ſemper auxilia
ſufficientia quibus potuit conuerti ſi vellet,
Oſee 2. vt verum ſemper ſit, quia verum eſt, *Perditio
tua ex te*. Sic apud Hierem. cap. 18. vide-
hanc ſimilitudinem Apoſtolus accepiſſe vi-
detur, poſtquam dixiſſet Deus, *Sicut lutum in
manu figuli, ſic vos in manu mea*, &c. *Repentè lo-*
quar

gen ad gentem vt eradicem & destruam; statim subiungit: *Si pœnitentiam egerit gens illa, agam & ego pœnitentiam, & subitò loquar de gente vt ædificem & plantem illam.* Quo in loco diserrimè docet Propheta, Deum facere vasa contumeliæ qui pœnitentiam non agunt, facere vasa gloriæ qui agunt: illos, quia gratiam Dei liberè abiecerunt; istos, quia eadem liberè recte vsi sunt.

Reprobatio an ex solo Dei beneplacito.

Nunc igitur quo sensu Deus *cuius vult, miseretur; & quem vult, indurat*; contra nefariam Caluini corruptionē breuiter explicabimus, posteaque de tota eius circa reprobationem impiorum blasphema sententia plenius dicemus. Germanus sensus horū verborum est, quòd quando ex duobus peccatoribus, Dei misericordia indignis, vnius Deus miseretur, præordinando ex æternitate auxilia gratiæ congrua, eademque in tempore cōferendo; alterū verò obdurat, similia auxilia non conferendo, relinquendo tamen semper sufficientia; quòd hoc totum sit non volentis, neque currentis hominis, quasi ex aliquo vel merito vel præuio conatu eius, sed miserentis Dei, vt cuius vult, misereatur; & quem vult, indurat. Talis enim distributio auxiliorū non aliam habet causam, quàm liberam Dei voluntatem; vnde Augustinus: *Indurare dicitur Deus eum quem mollire noluerit.* Rursum alio in loco: *Obdurat Deus deserendo, & non adiuuando* (efficacitèr scilicet intelligit) *quod occulto iudicio facere*

De præd. & gr. c. 4. Tract. 53. in Ioā.

cio facere potest, iniquo non potest. Sanè ex Augustini sententia etiam ipsum primum reprobationis effectum, qui est, non misereri, & non dare gratiam qua peccator efficaciter conuertitur, ex præcedentibus peccatis causam accipere, luculenta & frequentia eius testimonia manifestum faciunt. *Voluntate* (inquit) *sua quisque deserit Deum, vt meritò deseratur à Deo. Quis hoc negat?* Et in eodem libro iterum: *Inuestigabilis est misericordia, qua, cum vult, miseretur, nullis eius præcedentibus meritis; & inuestigabilis veritas,* (id est, iustitia) *qua, cum vult, indurat, eius quidem præcedentibus meritis cum eo, cuius miseretur, plerumque communibus.* Et paulò pòst: *Itaque misericordiam eius in his qui liberantur, & veritatem in iis qui puniuntur, nulla dubitatione credamus.* Hæc ille. Rursum alio in loco hæc Pauli verba proferens ait: *Quibus auditis quod ait Apostolus, Cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat; in eo quem permittit sedurci indurari, mala eius merita credite; in eo verò cui miseretur, gratiam Dei,* &c. Iterum in alio libro: *Qui liberatur, gratiam diligat; qui non liberatur, debitum agnoscat.* Et in epist. ad Sixtum: *Quærimus meritum obdurationis, & inuenimus. Meritò namque peccati vniuersa massa damnata est.* Et paulò pòst ibidem: *Quibus Deus misericordiam non impertitur, vt non impertiatur meremur.* Tota igitur obduratio vel in pœnam peccatorum præcedentium est, idque communis & sæpissime, vel etiam ex solo Dei benepla-

De bono perseuer. c. 6. & 13.

De grat. & libero arbitrio cap. 23.

De bono perseuer. cap. 8.

Epist. 105.

cito

esse potest. Sic & ipsa permissio peccati in reprobis potest sanè esse à sola Dei voluntate, vt permissio peccati originalis fuit; post etiam tamen amissam non nisi in pœnam delictorum præcedentium esse solet. Quare hæc duo diuinæ quidem prouidentiæ effectus sunt, non tamen ipsius reprobationis, quæ proprie reiectionem significat, in pœnam peccati iustè inflictam aut decretam, (vt ad Hebr. 6. *Terra proferens spinas ac tribulos, reproba est*: & 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum, ne forte reprobus efficiar*) nisi fortè in genere causæ finalis, eò quòd pars integri finis, ob quem peccata permittere Deus vult, est, vt iusta detur impiorum reprobatio, & consequenter diuina iustitia eluceat. Vnde apud Paulum sequitur. *In hoc ipsum excitaui te*, &c. quæ sanè Pauli verba non id docent, Deum ex sola simplici voluntate, & ad solã ostentationem potentiæ suæ, Pharaonẽ aut alios reprobasse, vt impius Caluinus ex illis verbis deducit; sed docet permissionis peccati & obdurationis in sensu iam dicto inter alios fines hunc vnum esse, vt splendor diuinæ iustitiæ magis eluceat. Sunt etiam alij quoque huius rei fines. Primus, vt creaturas libertate præditas propriæ naturæ conformiter agere sinat: deinde, vt hac occasione fieret Christi incarnatio, & generis humani redemptio: tum vt certamina & victoriæ iustorum ciuitatem Dei cœlestem illustrarent. Alia bona per-

Pharao quomodo à Deo excitatus.

Permissionis peccatorum fines.

permissionis malorum vide in Damasceno lib. 2 cap. 29. de orthodoxa fide.

Nunc ad propriam Caluini disputationem veniamus. Quia Apostolus dixit, *Non ex operibus sed ex vocante dictum est, Maior seruiet minori*; & rursum, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*; concludit Caluinus, in reprobatione Esau, & quorumuis aliorum, solam Dei voluntatem, absq; vlla operum consideratione, pro causa reprobationis ponendam esse. Sed huic loco respondetur, Paulum hîc de reprobatione locutum non fuisse, sed de sola electorum prædestinatione. Quod enim ex vocante Deo & secundùm propositum Dei factum est, non nisi electionem ex gratia significat. Vtrumq; sanè Apostolus coniunxit, quia de vtroque coniunctim Scriptura loquitur. Sed vocantis Dei propositum secundùm electionem non nisi ad prædestinatos pertinere posse, euidens & indubitatum est. Huc accedit quòd propositum Apostoli hoc vnum erat, vt ostenderet electionem fieri ex gratia, siue Gentium, respectu Iudæorum; siue paucorum Iudæorum, respectu cæterorum qui non crediderunt, vt antea ostensum est. Arguit rursum Caluinus vtrumq; ex solo vocante & sola Dei voluntate promanare, quia super hoc Pauli verbo proposita obiectione, *Nunquid iniquitas apud Deum?* Paulus eam non soluit, sed confirmat, addens & concludens, *Cuius vult, miseretur*;

Reprobationis solam causam Dei voluntatem esse, ex Paulo colligi nõ potest.

tur; & quem vult, *indurat*. Sed huius obiectionis ille sensus est, videri posse Deum iniquum, non quia reprobauerit Esau & alios ex illorum demerito, sed quia non etiam Iacob gratis & absque merito prædestinauerit, vt fecit Iacob. Nam ad hoc respondet Apostolus, Deum non esse iniquum, quia potest pro suo beneplacito cuius vult, misereri, sine iniuria alterius cuius non miseretur. Hunc Apostolicæ obiectionis sensum intelligens Augustinus, ita scribit: *Nunquid iniquitas est apud Deum, exigentem à quo placet, donantem cui placet? Qui nequaquam exigit indebitum, nequaquam donat alienum.* Et rursum: *Propter illud quod inconcussum tenetur, non esse iniquitatem apud Deum, neminem obdurari nisi meritò nouerimus, quamuis nullus iustificetur suis meritis præcedentibus.* Similia habet lib. de corrept. & gratia cap. 11. & aliàs passim. Hoc igitur modo ac sensu iniquitas apud Deum non est. Illo autē modo ac sensu quem sibi Caluinus finxit, vt Deus absque vlla demeriti consideratione, & ex sola sua voluntate, omnes reprobos exitio deuouerit, ab iniquitate Deus non liberatur.

Ad Simplic. lib. 1. q. 2.

Epist. 106.

Imò Caluini execrabilem sensum ipsa Apostoli verba manifestè reijciūt. Ipse enim Apostolus multis modis indicat, peccata reprobi esse Deo causam cur illum absolutè reprobet. Primò, quia vocat illam *odium Dei*. Deus autem nihil odit in homine nisi pec-

Peccatum reprobationis causam esse docet Paulus.

Ad Simplic. lib. 1. q. 2. cata, vt latè disputat Augustinus, tractans illa verba, *Esau odio habui*; vbi tandem concludit: *Deus igitur nõ Esau hominem odit, sed Esau peccatorem.* Fuit quidem hoc Dei odium ante peccata actu perpetrata, sicut & antequam homo esset Esau: sed quemadmodum præuidit Deus Esau nasciturum, eodem modo præuidit eum peccaturum, & propter peccata merito suo reprobandum. Secundò idem docet Apostolus quum dicit, Deum, *cum vult, indurare.* Induratur quippe nemo nisi qui iam malam voluntatẽ habet, secundum quam & propter quam induratur: sicut & nemini Deus misereretur, nisi in quo peccatum fuit, quod misericordia indigebat. Tertiò idem docet Apostolus quum dicit, *Sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata in interitum. Per*

Libro 83. qq. q. 68. *hoc quod dicit, in multa patientia* (ait Augustinus) *satis significare videtur priora peccata.* Neq; enim sustinet Deus in patientia nisi peccatores. Quartò, id quod Apostolus dicit, *Deus volens ostendere iram*, perpendens Fulgentius,

Lib. 1. ad Monimũ ita scribit: *Quæso, Monime charissime, vt hunc locum Apostoli diligenter attendas. Notum namque est, iram Dei dici non posse, nisi vbi creditur hominis iniquitas præcessisse.* Postremò (vt postea latiùs dicetur) causam reprobationis Iudæorum confert Apostolus partim in ipsorum superbiam & vanam de lege gloriationem, partim in incredulitatem: de illa dicens,

Rom. 9. *Israel, sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non pervenit,*

venit, quia non ex fide, sed quasi ex operibus: de hac dicens, *Propter incredulitatem facti sunt.* Rom. 11.

Hæc ostendunt, peccata cuiusque reprobi esse Deo causam iustè & legitimè mouentem, cur illum absolutè reprobet. Dico absolutè: nam comparatiuè loquendo, cur hũc magis quàm illum Deus deserat, & peccare permittat, & paribus gratiæ auxilijs ad gratiam non vocet, cùm paria fortasse vtriusque peccata sint, nulla alia causa nobis cognita dari potest quàm pura Dei voluntas. Reprobationis cõparatiuæ sola Dei voluntas causa.

Quod quidem quia S. Augustinus frequenter docet, lib. de bono perseuerantiæ, *Cur illis potius quàm illis detur misericordia, quis cognouit sensum Domini?* Cap. 11. Item alibi, *Cur illum potius quàm illum liberet, aut nõ liberet, scrutetur, qui potest, iudicium eius tam magnum profundum, veruntamen cauat præcipitium*; existimauit Caluinus Augustini sententiam fuisse, cur Deus absolutè aliquem reprobet, nullã causam dari posse. Epist. 105.

A qua sententia Augustinum penitus abhorrere, ex ipsius verbis iam citatis perspicuum facimus. Huius igitur comparatiuæ reprobationis, id est, cur ex vna & eadem massa pariter damnata, pariter indigna, pariter morti obnoxia, Deus quosdam misericorditer eligat, alios iustè reprobet, pro sua voluntate non pro conditione materiæ quosdam vasa in honorem faciat, alios vasa in contumeliam faciat, qualia ipsa materia postulabat, nullam à nobis causam efflagitari aut

inquiri debere, docuit Paulus; docuit Augustinus, qui in lib. ad Simplicianum ita scribit: *Quare huic ita, & huic non ita? Homo tu quis es, qui respondeas Deo?* Et alio in loco: *Sed non isti sic, illi aliter, atque alij aliter diuersis & inenarrabilibus modis vocentur vt reformentur, absit vt dicamus iudicium luti esse, sed figuli.* Quare de absoluta cuiusquam reprobatione loquendo, qui eius causam ex parte reprobati præcessisse negat, ex sententia Augustini Deum iniquitatis & iniustitiæ arguit. *Si Deus (inquit) quemquam immeritum damnaret, immunis ab iniquitate non crederetur.* Et rursum alio in loco: *Bonus est Deus, iustus est Deus. Potest aliquos suis bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia iustus est.* Caluinus ergo, qui ipsum vltimum reprobationis effectum non secus quàm primum (qui est negare gratiam, aut non velle auxilia congrua subministrare) soli Dei voluntati tribuit, Deum profectò ab iniquitate & iniustitia non liberat.

Lib. 1. q. 2

Epist. 106.

Contra Iul. lib. 3. cap. 18.

Sed ex Salomone probare vult homo impius *reprobos fuisse à Deo destinatò creatos vt perirent.* Salomon quippe dicit: *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.* Sed verba sanctissima nequiter inuertit Caluinus. Si enim Deus vniuersa operatus est propter semetipsum, vtique omnia fecit vel vt misericordiam suam vel vt iustitiam demonstrarent. In impio igitur ad diem

Prou. 16. 4

Impium ad diem malum quomodo Deus creauit.

ad diem malum facto, quum misericordia non reluceat, relucere iustitia debet. Diem igitur malum accipit impius ex Dei iustitia, iusta damnatione, quæ demeritum necessariò præsupponit, non ex sola Dei voluntate ad hoc illum creante vt damnaretur. Dies malus hoc loco non nisi Dei vindictam iustè illatam significare potest, quum in tota reliqua Scriptura aliam significationem non habeat. Hoc verò in loco iuxta verbi Hebraici proprietatem dies malus diem mali, id est, afflictionis denotat. ליום רעה. Sic Psal. 26. vers. 8. In die malorum, ביום רעה. Salomonis ergo sententia hæc est: Quoniam inter omnia quæ ad gloriam suam Deus fecit, impius, quatenus talis est, videri poterat non comprehendi, eò quòd impius, quatenus talis sit, cõtra Dei gloriam & ad Deum se non referat; ideo subijcit, *etiam ipsum impium operatus est*, id est, ordinauit, *ad diem vindictæ*: nam & in priori membro, *operari Deum vniuersa in semetipsum*, ordinare necessariò significat, ne, si operari propriam Dei actionem accipias, etiam ipsa peccata Deum propriè operari consequenter intelligas: quod etsi Caluinus prorsus doceat, docere tamen videri nõ vult. Sicut ergo omnia operatus est Deus ad semetipsum, id est, omnia sua opera ad gloriã suam ordinauit tanquam ad vltimum finem; sic etiam ipsum impium ordinauit ad diem malum, vltionis & vindictæ Dei, ad ostensionem

sionem iustitiæ suæ, in qua Dei gloria & potentia relucet, vt hîc disertè docet Paulus. Vbi autem est iustitia puniens, ibi necessariò intelligitur impietas punienda. Sic nec ipsum impium *sua voluntate Deus destinatò creauit vt periret*, sicuti impius affirmat Caluinus, sed iustè ordinauit vt periret.

Deum nõ creasse homines destinatò vt perirẽt.

Nunc hæc Caluini sententia quàm sit in sese impia atque blasphema, paucis ostendetur. Ac primùm omnibus illis Scripturis apertè refragatur, quæ manifestè docent, Deum, quantum ex se est, & ex parte suæ voluntatis, neminẽ prorsus velle perire, nedum multò maximam hominum partem (quales reprobi sunt) ad hoc ipsum, vt perirent, destinatò creasse. Clara quidem est Apostoli

1. Tim. 2. sententia: *Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire.* Sed illam dum suis glosis adulterant hæretici (quod illo in loco fusiùs ostendetur) eò tandem perueniunt, vt Christũ pro omnibus mortuum esse disertè negent, quod Beza fecit in re-

Art. 1. spons. ad acta Concilij Montis-belgardensis. Sed apertam esse blasphemiam docet Prosper in libello ad articulos Augustino falsò impositos. Atque hanc generalem Apostoli sententiam luculenter confirmat D. Petrus

2. Petr. 3. ita scribens: *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Hîc enim quia negatio singularis in generali affirmanti generali adijcitur, datur intelligi generalem

neralem affirmantem prorsus generaliter
que vlla singularis exceptione accipien-
am esse; idque more phrasis Hebraicæ, quæ
um propositionem generalem affirman-
m sine vlla exceptione manifestè intelligi
vult, addit etiã ipsius singularis negationem
generalẽ. Verbi gratia: *Omnia quæ in domo mea* Esai. 39.
unt, viderunt; non fuit res quã non ostendi eis. Rur-
sum: *Indicauit ei Samuel vniuersos sermones, &* 1. Reg. 3.
n abscondit ab eo quicquam. Iterum: *Cõmodaui* 1. Reg. 1.
um Domino cunctis diebus quibus fuerit commoda-
us Domino. Sic Ioan. Euangelista more suo
Hebraizans, quum dixisset, *Omnia per ipsum* Ioan. 1.
facta sunt, addit, *Et sine ipso factum est nihil quod*
factum est. Petrus ergo tum generaliter affir-
mans, *Deus vult omnes ad pœnitentiam reuerti*,
tum in particulari generaliter negans, *Nolens*
aliquos perire, perspicuè docuit, prorsus gene-
raliter & sine vlla exceptione se velle intel-
ligi. Deinde illa Christi vox, *Venite ad me om-* Matt. 11.
nes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam
negan vllam exceptionem admittit ex parte
Christi? Aut quisquam mortalium est qui
non laborat & oneratus est? id est, quem pec-
cati reatus non constringit? Hoc enim est
laborare & oneratum esse hoc loco, non eos
solum *qui sub onere gemunt, & peccatis suis con-*
fisi Dei iram metuunt, vt glossat eo loco Cal- Caluini
uinus: isti enim iam ad Christum per pœni- glossa re-
tentiam inchoatam vnum passum fecerunt, ijcitur.
& aliquatenus veniunt. Sed eos inuitat
Christus,

Christus, qui necdum onera suorum peccatorum sentiunt, vt sentiendo veniant, veniendo reficiantur. Deniq; an illa Scriptura mentitur, *Viuo ego, dicit Dominus: Nolo mortem impij, sed vt cõuertatur impius, ac viuat?* Andelolis electis hoc dicitur. An omnes peccatores reuertuntur ac viuunt, quorum morte Deus non vult? Quomodo ergo ad ipsos reprobos dicit Paulus, Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit; tu autem secundùm impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ? Ipsorum ergo reproborum mortem Deus non vult. Denique si vera est illa Scriptura, *Non est voluntatis meæ mors impij*; falsa est Caluini blasphemia, Deus vult mortem impij, & destinatò creauit impium vt periret. Aliæ sunt in hanc sententiam innumeræ Scripturæ. Sed quibus hæ non satisfaciunt, nullæ poterunt satisfacere.

Ezech. 33. 11.

Ezech 18. 23.

Nunc vnum aut alterum argumentum subijciam. Si Deus ab æterno destinauit reprobos ad perditionem ex sua absoluta voluntate, non habito respectu ad præuisa eorum peccata (sicuti hîc docet Caluinus, deridens propterea Scholasticos, qui de absoluta Dei iustitia disputant, quæ absolutam damnandi voluntatem prædictam non admittit) sequetur necessariò ex his tribus vnũ; aut reprobationẽ impiorũ, quoad vltimum hunc effectum, non fore certam; aut posse illam mandari executioni sine peccatis reprobis;

Reprobatio ad interitum ex sola Dei voluntate refellitur.

probi; aut denique huiusmodi in Deo reprobationē certam & ineuitabilem peccandi necessitatem reprobo imponere: necessitatem dico, non solùm quæ libertatem tollat (in quo non laborat Caluinus) sed etiam quæ spontaneū excludat, quod solùm actionibus humanis ille tribuit. Nā stante hypothesi reprobationis à Deo factæ, & ex sola sua volūtate ab æterno determinatæ, aut reprobatus talis non potuit nō peccare, vt propter peccata damnaretur (quæ peccata propriam esse reprobationis causam fatetur ipse Caluinus, vt suprà accepimus) & sic necessariò absolutè peccat, quia illa hypothesis futuræ damnationis omnem prorsus antecedit ipsius reprobi libertatē, omnemq; futurorum eius peccatorum præuisionem (nam propterea & *ipsam massam humani generis considerari* vult Beza hoc loco, *non iam in ipsa peccati & damnationis posita post lapsum Adæ, sed ipsa prima hominis conditione, ex qua Deus alios faceret vasa gloriæ, alios vasa contumeliæ*) aut stante illa hypothesi potuit non peccare, & sic talis reprobi reprobatio vel non esset certa, vel certè absque vllo peccato reprobi executioni mandaretur, & absque vllo peccato in gehennam conijceretur. Deinde, quum peccata reprobi sunt proxima reprobationis causa quoad vltimū eius effectum, hæc peccata quum Deum præuidisse negari non possit, aut præuidendo propter ea reprobum

Gregor. à Valentia in 1. part. Tho. q. 23. pun. 3. de reprobat.

Annotat. ad v. 21.

probum iustè damnare voluit, aut non obstante illa præuisione propter suam solam voluntatem. Si prius, ergo falsa est hæc Caluini sententia: si posterius, ergo nemo propter peccata damnatur; & falsum est illud aliud, quod iuxta omnes Scripturas fatetur Caluinus, ipsa peccata proximam esse damnationis causam. Sanè Beza in decreti diuini exequutione causas subordinatas ponit quibus reprobos iustè damnat; & Deum ab iniquitate liberari in reproborum damnatione vult, *quia iure damnat induratos, quum ipsa indurattio Dei, peruersitatem præsupponat in indurato.* Rursum, si Deus non propter peccata hominum sed sua sponte & ex seipso homines reprobat, consequens erit, aut Deum magis esse propensum ad homines perdédos quam saluandos, aut pauciores damnari quàm saluari. At vtrumque istud consequens Scripturis manifestè repugnat, ergo & antecedens. Sanè pauciores saluari quàm damnari illa Christi verba perspicuum faciunt, *Multi vocati, pauci electi*; & iterum, *Lata est via quæ ducit ad perditionem, & multi ambulant per eam.* Matt. 22. & 7.

Ipsa quoque credentium toto orbe paucitas ad oculum istud demonstrat. Deum vero magis esse propensum ad saluandos homines quàm ad perdendos, tota Scriptura clamat. *Suauis Dominus vniuersis: Miserationes eius super omnia opera eius:* Misericordia superexaltat iudicium. *Non concupiscit Deus multitudinem filiorum inutilium.* Psal. 144. Iacob. 2. Eccle. 15.

& mutilium. deniq; & loca Scripturæ superiùs enumerata. Caluinianæ igitur sententiæ impietas maxima vel ex his paucis æquo omnis lectori manifesta fit. Nũc quæ in Apostolo sequuntur, videamus.

Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata in interitum; vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.

HÆc sententia altera Apostoli respondens (vt ipsemet agnoscit Caluinus) ad eam obiectionem, *Quid adhuc cõqueritur?* &c. quam hactenus obiurgando retundit. *Nam* (ait ad Dei *æquitatem asserenda factura erant,* (ait Caluinus ad verba præcedentia, quibus interrogantem obiurgat Apostolus) *& ad manum illi suppetebant, initiò producere noluit, quia comprehendi non poterant. In summa, non quod dici* [illegible] *sed quod ruditati nostræ expediebat, attulit* [illegible]*stolus.* Nunc autem in his verbis, *secunda responsio est* (ait hîc Caluinus) *qua breuiter demonstrat, etiamsi incomprehensibile sit ex hac parte Dei consilium, elucere tamen inculpatam eius æquitatem nõ minùs in reproborum interitu quàm salute electorum.* Addit deinde Caluinus, *non ita reddit* [illegible] *diuinæ electionis rationem, vt causam assignet* [illegible]*stolus, cur hic eligatur, ille reprobetur.* Hoc quidem Caluino agnoscimus, sicuti suprà rem proposuimus. Attamen diuinæ electionis rationem

tionem in his verbis ita reddi, vt ipsius absolutè sumptæ (non comparatiuè) causa assignetur, & æquitas demonstretur, non abnuo. hoc loco Caluinus; ait enim: *Ostendit Apostolus, quatenus se profert Dei prædestinatio, in tua mera iustitiam apparere.* Et ita quidem se res habet, vt ipsa verborum explicatio docebat: sed ita Caluinus verba Apostoli inuertit, vt hæc mera Dei iustitia circa reprobos nullo modo appareat. Ac primùm in verbis ipsis est quædam reticentia, & subaudiendum est, Quis propterea insimulare iniustitiæ Deum queat? Tota enim interrogatio vim affirmationis habet. Ait igitur Apostolus, contra Deum conquerendi, aut Deum iniustitiæ accusandi, nullam causam esse, si *ad ostendendam iræ ac potentiæ suæ*, quæ in iustè damnatis lucculenter apparet, *sustinuit in multa patientia*, id est, non statim exarsit in peccatores, vt deberet tam illis pœnam infligeret, sed patiéter, imo *& in multa patientia*, eorum nequitiam tolerauit, & impunitam tantisper reliquit, eos interim ad pœnitentiam multis naturæ & gratię beneficijs inuitans, vt videlicet tam diu tamque longanimiter (quod vox Apostoli hoc loco εν μακροθυμίᾳ denotat) eos toleraret, eò iustiùs & maiori iustitiæ suæ euidentia in æternum puniret, nimirum tanquam *vasa iræ aptata in interitum*, id est, tanquam instrumenta iræ & vltionis diuinæ capacia, quæ ipsi ipsos aptauerunt in interitum, Dei longanimitate

Reprobi propter seipsos nullā cō-tra Deum iustam querimoniæ causam habent.

ritate & patientia abutendo. Ex illis enim Rom. 2.
sunt, *quos benignitas quidem Dei ad pœnitentiam adducit, ipsi verò secundùm impœnitens cor suum thesaurizant sibi iram in die iræ*, & vasa illi iræ diuinæ plena. Talis ipse Pharao erat, ab Apostolo in exemplum adductus, quem Deus præuidēs tyrannum fore, & multis plagis affectum resipiscere nolle, tamen nec in prima ætate sustulit, sed ad regni dignitatem euexit; nec post primam quam exercuit tyrannidem, antequam Moyses in Ægyptum mitteretur; aut post primam eius repulsam Moysi datam, primámue acceptam plagam, vltam suam in eum vindictam exercuit; *sed sustinens eum in multa patientia*, multis admirādis signis cor eius emollire volens (omnes enim plagæ illi inflictæ *miserico: dissimæ Dei vindictæ erat* (ait S. Augustin.) *contra quā sum libero arbitrio pugnauit*) tandem vt qui emolliri nollet, sed semper induraret cor suū (nam quacunque cessante plaga, *videns quòd data esset requies, ingrauauit cor suum, & nō audiuit Moysen, & Aaron sicut præceperat Dominus*) alloquitus eum Dominus per Moysen, tanquam vas iræ aptum in interitum: *Nunc extendens manum meam percussissem te & populum tuum peste, & perijsses de terra. Idcirco autem posui te*, id est, huc vsque seruaui te (nam & hoc significat vox Hebræa quod Moysen, העמדתיך) *vt ostendam in te potentiam meam, & narretur nomen meum in omni terra*, id est, Idcirco tanta patientia vsus fui

De prædest & grat.

Exod. 8. 15

Exod. 9. v. 15. & 16

erga te, vt præter iustitiæ meæ rationem, quæ sola singulare aliquod de te supplicium efflagitat, etiam gloriæ meæ subseruias; & ira mea iusta quanta peccatores maneat, tuo exemplo doceam; meamque præterea potentiam in puniendis impijs, & rebellibus affectibus castigandis, toti orbi demonstrem; in te, inquam, tuoque exemplo, qui tanquam vas iræ plenum totus in interitum aptatus & coagmentatus es. Sic enim hoc loco illud Pauli, κατηρτισμένα εἰς ἀπωλειὰν, *Aptata in interitum*, vertit Beza, *Coagmentata ad interitum*. Atque hic quidem reprobationis impiorum finis est, in quo iustitia Dei maximè relucet: & hoc quidem modo, quo ad illos, Dei æquitatem defendit Paulus. Non enim habent quod de Dei iustitia cõquerantur impij, qui tanta Dei benignitate abusi, thesaurizauerunt sibi iram in die iræ.

Reprobi propter electionẽ iustorum conqueri non possunt.

Ad electionem iustorum quod attinet, subiungit Paulus, ideo contra Deum conqueri impios non posse, quia in huiusmodi Deus *ostendere voluit diuitias misericordiæ suæ*, tanquam *in vasa misericordiæ, quæ Deus præparauit in gloriam*. In hoc quippe diuinæ misericordiæ immensitas apparet, quòd ex eadem peccatorũ massa quum alios iustè reprobet, non sine aliqua quoq; exhibita misericordia quæ eos in multa patientia sustinuit, alios specialibus & pluribus gratiæ auxilijs prosequatur, sic præparans eos in gloriam, tanquã vasa

sa misericordiæ suæ, id est, quibus largiter copiosè gratiarũ suarum dona misericordissimè impertitur. Nam & ex ipsa reproborum tam acri animaduersione, diuinæ misericordiæ diuitiæ illustriores fiunt. Hic est Apostolicæ responsionis sensus germanus ac proprius.

Dei iustitiã à Paulo positam Caluinus euertit.

Nunc Caluinus, quũ, *sustinere Deum in patientia multa vasa iræ*, eodẽ modo exponat quo nos exposuimus, misericordiã quoque erga electos ex iusto reproborũ interitu luculẽter demonstrari affirmet; sic tamẽ totam expositionem concludit, vt totam Dei iustitiam subuertat, & Apostolicæ disputationis intentum penitus inane reddat: ait enim: *Etsi in hac secundo membro expressiùs asserit, Deum esse qui electos suos præparat in gloriã; quum priùs simpliciter dixisset, reprobos vasa esse præparata in exitum: dubium tamen non est, quin vtraque præparatio ab arcano Dei consilio pendeat. Alioqui dixisset Paulus, reprobos se dedere vel proijcere in exitum. Nũc verò significat, antequam nascantur, iam sua sorte addictos esse.* Vult iterum homo impius vtramque præparationem, tam ad interitum quàm ad gloriam, ab arcano Dei consilio pendere. Non patitur Apostolum dicere, reprobos omnes sibi ipsis exitiũ creare. Contradicere vult Prophetæ dicenti, *Perditio tua ex te, salutatio tua tantummodo ex me, Israel.* Hanc distinctionem tam claram, tam luculentam, vult ab Apostolo hîc negari, & Osee. 13.

tam perditionem humanam quàm salutem à Deo præparari, & ab eius arcano consilio pendere. *Alioquin* (inquit) *dixisset Paulus reprobos se dedere in exitium.* At verò aliæ Scripturæ apertissimè hoc dicunt, & Paulus hic non negat. Imò Paulus præparationem gloriæ Deo tribuit, præparationem in interitum Deo non tribuit. Cur illam distinctionem Apostoli non tenet Caluinus? *vasa quidem gloriæ Deum præparasse; sed vasa iræ aptata fuisse in interitum, eosq; cum multa patientia Deum sustinuisse*; non autem aliquo decreto ab æterno in interitum præparasse absque præuisione indurationis impiorum; qua vna, post multam patientiam Dei, aptantur in interitum, id est, seipsos aptauerunt, obdurarunt, & confirmarunt, vt perirent. Nam vox illa, καταρτίζειν, hoc totum significat, & alibi apud Apostolum, *confirmare & corroborare* denotat. 1. Cor. 1. 10. Ephes. 4. ver. 12. Falsum igitur prorsus est, quod subiungit Caluinus, Apostolum hoc loco significare, *reprobos, antequam nascantur, suæ sorti addictos esse*. Istud hoc loco Apostolus non dicit; sed contrà, *post multam Dei patientiam ad interitum aptari* eos dicit. Superiùs quidem id dixit, sed non eo sensu quo vult Caluinus, vt iam latissimè ostensum ac demonstratum à nobis est. Sicut enim non sine præuisa natiuitate, ita non sine præuisis peccatis, antequam nascantur, & antequam peccent, sorti suæ addicti sunt reprobi.

Theo-

Theodorus Beza impietati Caluinianæ adscribens, & eius interpretationem (quem alioloco more suo doctissimum interpretem isto nomine vocat) suis notis illustrare contendens, in eodem hæret luto. Verbum illud Apostoli, *vasa iræ aptata in interitum*, vult sic ad Deum referre, vt non à seipsis sed à Deo sic aptata, seu (vt ille vertit) coagmentata fuerint. Et quum Dei actionem esse velit non secus coagmentare reprobos in interitũ, quàm præparare electos in gloriã; vult Paulum in Dei actione circa reprobos verbo magis vehementi & violento vsum fuisse, quàm circa electos. Nã de electis apertè dicit Paulus, *Quos Deus præparauit in gloriam*: προητοίμασεν: quod verbũ mollius est, & de ipsa præparatione gratiæ, per quam ad gloriã electi præparantur, apertè intelligitur, quæ liberum hominis cooperationem non excludit. Nam, iuxta Scripturas, *hominis* quoque *est præparare cor suum, & facere sibi cor nouum, convertere se ad Dominum*, &c. Iam circa reprobos rursum Paulus verbo vsus sit tum in forma passiua, vt non sit necesse ad Deum referre; tũ in sua significatione magis actiuo & violento; vult omnino Beza, hoc quoque verbum ad Dei actionem à Paulo referri. *Videtur* (inquit) *Paulus verbo* κατηρτισμένα *vti maluisse quam* προητοιμασμένα, *vt in similitudine figuli perseueraret. Dicitur enim de ijs qui* κατα σκευασιν *aliquid operis faciunt, vt ex partibus totum quippiam compo-*

Beza primam peccati causam in Deo ponit.

Prou. 14. 16. Ezech. 18. 31. Ierē. 4. 1.

componatur. Hoc est eius futile argumentum. Verum sanè est quòd καταρτίζειν aliquid ex partibus componere significat, sed non ex quibuslibet partibus quodlibet cõpositum. Significat quippe vox illa resarcire & reficere, vt Matth. 4. & Marc. 1. καταρτίζοντας τὰ δίκτυα αὐτῶν, *resarcientes retia sua*. An non vero ridiculus ille apud Latinos esset, qui verbum farciendi ad metaphorã artis figulinæ transferret, eo quòd significet aliquid operis, κατασκευῆς, per modum compositionis factum? Non minùs ridiculus Beza, qui verbum καταρτίζειν à Paulo vsurpatum putat, vt in similitudine figuli perseueret. Eo sanè vtitur Paulus, vt impiorum hominum duritiem ac pertinaciam, καταρτισμένα exprimeret, qui post multã Dei patiẽtiam qua eos sustinuit, καταρτίζονται εἰς ἀπώλειαν, vel aptantur & apparantur, vt noster vertit interpres; vel, vt Beza vertit, coagmentãtur & planè creantur, sicut in epist. ad Hebræos hæc vox vsurpatur, *Corpus aptasti mihi*, σῶμα κατηρτίσω μοι: & iterum, *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei*, καταρτίσθαι τοὺς αἰῶνας: vel vt ab ipso Paulo aliàs vsurpatum suprà ostẽdimus, *corroborantur & confirmantur*. Iam si hæc Dei actio est, plus agit Deus ad interitum reproborum quàm ad gloriam electorum. Nam hos præparat tantùm ad gloriam; illos coagmentat, fabricat, componit, confirmat, corroborat ad interitum. Hoc enim totum vox

Bezæ græcismus ridiculus.

Hebr. 4. & 11.

1. Cor. 1. 10. Ephes. 4.

ex Pauli καταρτισμένα in Scripturis, atque apud Paulum ipsum, significat. Quaeri huius verbi vim magis premeret Beza, subiungit: *Ac mihi quidem non aliter loqui videntur, qui vasa iræ dicunt* καταρτίζεσθαι *à seipsis, quam si quis vas aliquod diceret non à figulo sed à seipso fingi.* Quid ergo? Deus fingit & fabricat reprobos ad interitum, sicut figulus lutum aliquod componit ad vasa contumeliæ fingenda? Omnino, ait Beza. *Est enim* (inquit) *hoc verbum ad creationem ipsam referendum.* Sed statim refutatur hoc commentum: loquitur enim Paulus de illis vasis iræ ad interitum aptatis, quæ iam *sustinuerat Deus in multa patientia.* Præcesserunt ergo hanc καταρτισιν & cogmentationem peccata reproborum quę Deus sustinuit, multo magis ipsa creatio. Sed probare vult Beza quod dixit. *Nã hoc nî fatus* (inquit) *nulla causa erat cur ad Deũ ipsum Paulus assurgeret.* Atqui in his verbis, *Vasa iræ aptata in interitũ*, Paulus ad Deũ non assurgit, nec actionẽ aliquam Dei describit, sed passiuè & indefinitè loquẽs, verba sua iuxta subiectam materiã intelligenda relinquit. Denique hæc Bezæ probatio est ipsa principij petitio. Nam cõtra eos qui affirmãt vasa iræ à seipsis, non à Deo, aptari in interitum, probaturus Beza à Deo hoc fieri, non ab ipsis reprobis, vult probare à Deo hoc fieri, quia de Deo ita verba loquũtur: quod est dicere; Probo à Deo fieri, quia à Deo fit. Nam de Deo hæc

Beza principium petit.

verba dici, aut Paulũ in his verbis ad Deum assurgere, affirmat tantùm Beza, non probat. Hac illi arte & impudentia sanctis Scripturis illudunt.

Sed quid? Deus ergo reprobos ad interitum fabricat, & coagmentat, & corroborat, non ipsi seipsos? Sanè idem dicens Beza quod Caluinus, suam tamen impietatem execrandam emollire conatur, quod non fecit Caluinus. *Quamuis* (inquit) *exitij veras causas minimè negem in ipsis vasis hærere: iuxta illud, Perditio tua ex te est. Sed Apostolum constat non de salute & exitio, sed de Dei decreto disserere hoc loco.* Quò magis Beza magistri sui impietatem fucare studet, eò magis illam manifestat. Si enim veræ exitij causæ in ipsis reprobis hærent, ergo verissimum & indubitatum est, quòd illi seipsos aptauerint in interitum; vnde sequitur, sensum nostrum ex ipsa aduersarij confessione esse verissimum. An autem vterque sensus verus esse possit, hoc aliis probandum superest: sed in æternum probare nõ poterunt. Quod postremò subiungit Beza, *Paulum hic non de salute & exitio, sed de Dei decreto disserere*, omnem impudentiam superat. *Præparari in gloriam vasa misericordiæ, & aptari in interitum vasa iræ*, ad illorum salutem, horum exitium pertinere, quis tam cæcus vt non videat, aut tam impudens vt neget, nisi alter Beza, & perfrictæ frontis bestia? Deinde, in hac sententia, & secunda Aposto-

Beza Impietatem suam inaniter fucat.

posſoli responsione, non de ipso Dei decreto, vt in superioribus, sed de fine seu causa finali decreti diuini Paulum agere, tum Caluinus tũ ipsemet Beza interpretati sunt. Caluini verba suprà accepimus; Beza sic scribit: *Est in his verbis altera responsio, quæ à priore sumitur; & est maximi momenti, quum satis constet actiones ex fine inprimis esse æstimandas. Deus ergo, neque exitium reproborum neque salutem electorum esse vltimum finem illius propositi, sed quidam longè præstantius, ipsius Dei gloriam vltimum, qui suam tum potentiã tum misericordiam declaratissimam facit.* Hæc ille. Quod ergo negauit Beza, hoc verum est; quod affirmauit, hoc falsum est. Negauit de salute & exitio Paulum hîc agere; quod verum esse ex ipsis verbis ostendimus: affirmauit de Dei decreto in his verbis Paulum differere; quum non de ipso decreto, sed de eius fine Paulum disputare ipsemet Beza profiteatur. Non ergo (vt Beza vult) *vasa iræ aptata in interitum*, Dei creationẽ, qua condidit ipse & coagmentauit impios ad interitum, significare possunt (quod est per se ipsum dictu horrendum) sed hoc vnum significant, vasa iræ semetipsos aptare, coagmentare, obdurare ad interitũ, postquam in multa patientia Deus eos sustinuisset. Ita ad execrabiles blasphemias suas (Deum ab æterno multò maximam hominum partem absque vlla præuisione peccatorum, quæ decreti diuini causæ sint, sed

ex sola sua voluntate, tanquam vnica talis decreti causa, ad interitum & damnationem æternam decreuisse, & in tempore creare atque formare) ex hac Apostoli disputatione comprobandas & asserendas, frustra & inaniter, impiè & impudenter, falsò ac fallaciter contendit Caluinus, & post eum Beza.

30. *Quid ergo dicemus? Quòd Gentes, quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam; iustitiam autem quæ ex fide est;*
31. *Israel verò, sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit. Quare? Quia non ex*
32. *fide, sed quasi ex operibus. Offenderunt enim in lapidem offensionis.*

Quæstionem initio capitis propositã soluere incipit.

COncludit hîc Apostolus præcedentem disputationem, & quæstionem solut, (aut certè soluere incipit) quam sibi proposuerat, circa reiectionem & incredulitatem Iudæorum, an propterea Dei verbum exciderit, ac promissiones à Deo Iudæis factæ inanes & irritæ fuerint. Quum enim hactenus docuerit, promissiones istas non carnali semini Abrahæ, sed spirituali semini, sectantibus vestigia fidei Abrahæ, factas esse; ideóque Dei vocationem & electionem non ex carnali propagatione aut ex Iudæorum iudicio fieri (qui similiter natos, similiter à Deo vocandos, similique prærogatiua donandos carnaliter existima-

Totius capitis breuis recapitulatio.

rabant, vt idcirco ad omnes, adeoque
os illos tanquam semen Abrahæ, pro-
siones pertinerent) exemplis Isaac &
ael, Iacob & Esau ostendisset; ex hac
ratione generalem subijciens doctrinam
Dei misericordia gratuita, qua quibus
lt, miseretur; & quos vult, indurat;
los in gloriam præparans, alios, quos
multa patientia sustinuit ad ostensio-
em iustitiæ suæ, deserens & puniens; vn-
& Gentes misericorditer à Deo vocatas,
aliquas Iudæorum reliquias misericor-
iter seruatas (iuxta veteres prophetias) sub-
unxit; nunc, cur maxima Iudæorum pars
rejecta fuerit, docere vult. *Quid ergo dicemus?*
inquit id est: Ex his omnibus quid conclu-
imus? Istud sanè: *Quòd Gentes, quæ non se-
bantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam iu-
tiam autem quæ ex fide est*: id est, Gentiles ho-
mines, qui Deum non quærebant, qui eum
penitus ignorabant, aut certè eum non glo-
ficabant, sed seruiebant creaturæ potiùs
quàm Creatori, per gratiam Euangelicæ præ-
dicationis, quam audierunt, *apprehenderunt iu-
stitiam*, id est, viam inuenerunt qua coram
Deo iustificarentur: *iustitiam autem quæ ex fide
est*: id est, non ex aliqua operum iustitia præ-
cedente iustificarentur, sed ex fide in Chri-
stum; quia à fide salutis viam incipere opor-
tet; & hæc vna fides impetrat cætera quibus
salus perficitur. *Israel verò, sectãdo legem iustitiæ,*
id est,

Gentium conuersio qualis.

Iudæorũ reiectio qualis.

id est, Iudæi, audita fide Christi adhuc volentes manere in suis legalibus (nam de illo Israel loquitur, & de illis Iudæis qui Christo & Euangelicæ prædicationi credere noluerunt) & putantes per sua legalia se iustificari posse, siue obseruando semper ceremonias legales, siue quoad moralia seruanda legis doctrinam sibi sufficere arbitrantes; *in legem iustitiæ non peruenit*: id est, veram iustitiæ viam & rationem (est enim in verbo legis paronomasia) non peruenit, siue coram Deo iustificari non potuit. Quare autem hoc dixerit Apostolus, moxque respondet: *Quia non ex fide, sed quasi ex operibus.* Quod quia concisum dictum, perspicuè adhuc non intelligitur, vtrumque statim exponit: *Non ex fide, quia offenderunt in lapidem offensionis*; id est, in Christum credere & Christi gratiam agnoscere noluerunt. *Quasi ex operibus*; quia, vt in exordio sequentis capitis prosequitur, *Ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere*, id est, non agnoscentes illam iustitiam quæ ex Deo est, & adiutorio gratiæ Dei, sed suam sua proprijs viribus factam iustitiam sibi arrogantes; *iustitiæ Dei non sunt subiecti*, id est, non seruiunt veræ iustitiæ, quæ ex Deo est. Statuitur hîc ergo proxima causa reiectionis Iudæorum, quia in Christũ credere, & Mediatoris gratiam amplecti noluerunt, sed propriæ & legali iustitiæ confidentes, malè quærendo iustitiam, ab omni vera iustitiâ & salute exciderunt.

erunt. Hunc sensum literæ prorsus inhæ-
rem, fluentem, ac germanum, tradit non
nd doctissimus Augustinus: *Quòd Ecclesiam* Serm. 15.
persequebatur Paulus secundùm æmulationem de verb.
arum traditionum, in eo suam iustitiam con- Apost.
abat, non iustitiam Dei quærebat. Vnde alio loco
it: Quia Gentes, quæ non sectabantur iusti-
m, scilicet quæ ex lege est, quasi propriam suam,
ut de timore pœnæ, non de amore iustitiæ, appre-
derunt iustitiam quæ ex fide est. Israel autem,
sequens legem iustitiæ, in legem iustitiæ non per-
nit. Quare? quia nõ ex fide. Quid est, quia nõ ex fide?
m sperauit in Deum, non illam petiuit à Deo, non
ebat in eum qui iustificat impium; non fuit similis
Publicano oculos in terrã deijcienti, sed similis Pha-
æo de suis operibus superbè gloriãti. Offenderunt in
ipsum offensionis. Ecce vnde Saulus persequebatur
Christum: quando enim persequebatur Ecclesiam, in
ipsum offensionis offendebat. Hæc ibi Augusti-
nus. Rursum alio in loco, tractans eadem De Spirit.
verba, *Quare? quia non ex fide, sed tanquam ex* tu & lit.
eribus; exponit, *Id est, tanquam iustitiam per* cap 28.
ipsos operantes, non in se credentes operari
Deum. Deus est enim qui operatur in nobis & velle,
operari, pro bona voluntate: ac per hoc offenderunt
ipsum lapidem offensionis. Nam quid dixerit, Quia non
ex fide, sed tanquam ex operibus, apertissimè expo-
nens dicens: Ignorantes Dei iustitiam, & suam vo-
lentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Fi-
nis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti.
Ne adhuc dubitamus quæ sunt opera legis quibus

homo

homo non iustificatur, si ea tanquam sua crediderit, sine adiutorio & dono Dei, quod est ex fide Iesu Christi, & circunciſionem cæteráque talia ſuſpicamur? Hæcille.

Quibus ita explicatis, nunc ad Caluini corruptelas animum attendamus. *Nam* (inquit) *quo præcidat Iudæis omnem occaſionem murmurandi Deo, incipit cauſas oſtendere humano captui comprehenſibiles, cur gens Iudaica ſit abdicata fuerit.* Non ſolùm humano captui comprehenſibiles, ſed veræ & proximæ cauſæ ſunt quas Apoſtolus oſtendere nunc incipit, ipſam videlicet incredulitatem Iudæorum, vanamque de lege ſua gloriationem. *Factum autem perperam* (ait Caluinus) *& ordine inuertunt, qui has cauſas ſtatuere & erigere conantur ſupra arcanam Dei prædeſtinationem, quam ſuprema cauſa habendam priùs docuit. Verùm quemadmodum illa cauſis omnibus eſt ſuperior, ita impiorum prauitas & malitia locum materiamq; præbet Dei iudicijs.* Vidit impius Caluinus, impiæ blaſphemæ ſuæ doctrinæ ſuperiùs traditæ, qua Deum homines abæterno ad exitium decernere ſua ſola voluntate, abſque peccatorum præuiſione aut cõſideratione, docuiſſe, hęc Apoſtoli verba ex diametro aduersari, in quibus vera reiectionis Iudæorum cauſa ponitur nõ aliqua Dei voluntas qua eos voluit perdere, ſed ipſa Iudæorum incredulitas, improbitas, & pertinacia. Vult ergo hunc malo occurrere, & Dei voluntatem eſſe ſuprema

Reprobationis prima cauſa peccata reproborũ.

mam & primam causam perditionis Iudæorum, cui diuinæ voluntati Iudæorum prauitas & malitia locum materiámque præbens, fuit à Deo certò præcognita & præuisa, an non præcognita nec præuisa. Si non præcognita nec præuisa, ergo Dei iudicio aut voluntati nec locum nec materiam præbet; sed casu accidens, Dei iudicium ac voluntatem per accidens cohonestat, & æquiorem videri facit. Similè est, si Iudas Petrum perdere voluit, quod Petri flagitium interueniſſe cur meritò perderetur, & sic Iudæ votis locum ac materiam Petri flagitium præbuiſſe. Vbi sanè Petrus iustè punitur, sed Iudæ voluntas ab iniquitate non excusatur. Si hominum prauitas ac malitia fuit à Deo præcognita ac præuisa, quæritur an propter eam sic præuisam Deus illos reiecerit ac reprobauerit; an verò non propter eam, sed propter horum decretum absolutum quo voluit tales reprobare. Si propter eam (vt hîc Paulus docet, & omnes Scripturæ atteſtantur) hæc ergo prima & suprema & sola causa est perditionis impiorum, non vlla Dei voluntas absoluta; & frustra hîc Caluinus conqueritur de ordine causarum inuerso. Si non propter eam, manet idem absurdũ quod priùs; perinde enim est ac si eam Deus non præuidisset;

set; nec nisi per accidens fit, quòd homines propter peccata sua à Deo reprobantur atque damnantur; ideoque potissimùm pereunt, quia Deus vult eos perdere: denique negata peccatorum præuisione, aut negato quòd propter ea Deus homines dãnat; vera & indubitata erit illa impia & desperatissima vox: Siue rectè vitam instituero, siue secus, saluari non potero, si de numero reproborum sum. Nam iuxta Caluinum suprema reprobationis causa est sola Dei voluntas. Hominum autem malitia non nisi locum & materiam Dei iudicio tribuit, idque peraccidens, nec à Deo præcogitatum, aut saltem non præordinatum. Cæterùm falsum & blasphemum hoc totum est; & ex Scripturis certissimum, Deum non nisi propter peccata impios perdere, nec vllos mortales sibi propter peccata odio habere; hominumque impiorum prauitatem & malitiam *non dare locum ac materiam Dei iudicio*, ac præexistenti voluntati, sed dare causam huiusmodi iudicio Dei; & ad tale iudicium iustum, Dei iustitiam prouocare ac voluntatem flectere; quod innumeræ Scripturæ passim docent, quarum aliquas suprà attulimus. Sic totum Apostoli intentum callidè inuertere voluit Caluinus, sed frustra.

Peccata non dant locum sed causã iudicio Dei.

Nunc vt textum ipsum pestilenter depraue t, aperiemus. Pauli sententiam ita explicat: *Docet Paulus, iustitiam, quam apprehenderunt*

Gentes

Verborū vicinitate fallit Caluinus.

tem, *constare fide*. At vide quàm affinibus verbis egregiè lectorem ludit. Non enim ait Paulus, iustitiam, quam Gentes apprehenderunt, constare fide; sed dicit, *iustitiam, quam Gentes apprehenderunt, esse iustitiam ex fide*. Nunc autem, *esse iustitiam ex fide*, & *constare fide*, maximè differunt. *Constare fide iustitiam*, Caluino significat, ex sola fide & in sola fide consistere totam iustitiam quam Gentes apprehenderunt, non ex vllis bonis operibus in fide factis: sed, iustitiam quam Gentes apprehenderunt, *esse iustitiam ex fide*, significat, esse iustitiam quæ incipit à fide; esse iustitiam quæ est ex Deo & Dei gratia; denique esse iustitiam qualem fides adfert, non sola, sed per dilectionem *operans*. Caluini autem sensum quem diximus, ipsemet in sequētibus aperit: *Iustitiam pendere à Domini misericordia, non propria hominis dignitate. Studium autem illud legis, quo Iudæi tenebantur, præposterum fuisse, quia iustificari ex operibus studebant; sicque eò contendebant, quò peruenire non poterant*. Hæcille omnia propter verba Paulini artificiosam immutationem, *Constare fide*. Atqui *iustitia ex fide*, quam hîc Apostolus Gentibus iustificatis tribuit, tametsi pendet à Domini misericordia non tamen aut fide constat sola, aut propriam hominis dignitatem excludit, vt suprà contra Caluinum docuimus. Ex Domini misericordia pendent opera in fide facta non secus quam fides: & vt in prima iustificatione im-

pij nulla hominis dignitas consideretur, tamen in glorificatione iustificati magna eius dignitas expenditur, quia filius Dei talis est; nec per solam fidem filius, sed per charitatem inprimis. Nec studium legis in Iudæis reprehenditur, quòd per opera iustificari nedebant; sed studium legis ideo in eis reprehenditur, quòd ex sola legis doctrina *suam volebant constituere iustitiam*, & nõ fide ad Christum accedere, vt sic iustitiæ Dei subijcerentur, id est, opera iusta ex Deo Deique dono facerent, vt sic ad iustitiam Dei peruenirẽt, & coram Deo iusti censerentur, sicuti ex Augustino nuper accepimus. Nec hanc causam, cur Iudæi ad legem iustitiæ non peruenerint, ponit Apostolus, quia *per opera iustificari studebant*, vbi iterum vicinitate verborum fallit lectorem Caluinus; sed, quia non ex fide; quod statim exponit, *quia offenderunt in lapidem offensionis*, id est, credere in Christum noluerunt, additque, non, vt Caluinus vult, Sed per opera, verùm, *Sed quasi ex operibus*, vbi illud, *quasi*, modificat opera Iudæorum, non excludit opera verè bona credentium. Nam, *quasi ex operibus*, dicit, quia, vt postea exponit, *iustitiam suam constituere*, stabilire, iactitare *volebant*, id est, non per opera fidei, aut iustitiam ex fide, aut Dei iustitiam (hæc enim omnia idem valent) iustificari volebant, sed per iustitiam propriam, quasi per opera, aut quasi ex operibus absolutè sumptis,

Legis studium quo modo in Iudæis reprehenditur.

Vicinitate verborum iterũ fallit Caluinus.

bis, absque fide præuia, absque dono & gratia Christi. Hæc est vera causa ab Apostolo posita, cur Iudæi studium legis præposterè sectabant. Caluinus callidè aliam causam ponit, moxque veram causam, quam penitus dissimulare non potuit, quasi ex abundanti adiectam recenset: *Quin & in Christum impingebant, per quem vnum ad iustitiam patet aditus.* Non *quin &*, sed simpliciter quia in Christum impingebant, ideo in legem iustitiæ non peruenerunt. Sic enim impingendo fide caruerunt, & consequenter iustitia fidei, quam Gentes credendo in Christum assequuti sunt.

Pergit fallere & impostorem agere Caluinus. *Cæterum* (inquit) *hoc priori membro propositum Apostolo fuit, meram Dei gratiam euehere, ne alia causa in Gentium vocatione quæratur, nisi quod indignos fauore suo amplecti dignatus est.* Est quidem hoc verum de causa vocationis Gentium; sed illam causam hoc loco euehere Apostolo propositum non fuit, quando non aliam ob causam illam Dei gratiam hoc loco euehit, quàm vt Iudæorũ iusta reiectio per hanc antitheſim magis eluceſceret. Nempe propositum illi fuit, causam reiectionis Iudæorũ in medium proferre, sicut ipse nuper Caluinus professus est, non causam vocationis Gentiũ euehere. Et sanè si euehere illam causam Apostolus hîc vellet, pluribus id verbis & efficacius faceret. Sed quorsum

hoc sibi finxerit Caluinus, sequentia docebunt. *De iustitia* (inquit) *nominatim loquitur, sine qua salus non contingit. Sed Gentium iustitiam in gratuita reconciliatione positam esse significat, ex fide eam manare dicens.* Rursum vicinitate verborum fallit. Dixit Apostolus, *Gentes apprehendisse iustitiam, iustitiam autem ex fide.* Non dixit hanc iustitiam ex fide manare, vt illa tota in gratuita recõciliatione ponatur. Vocatur iustitia Gentium, quam Dei beneficio apprehenderunt, *iustitia ex fide*, vt distinguatur à *iustitia ex operibus*, quam sibi arrogabant Iudæi: id est, vocatur talis iustitia, cuius principium sit fides Mediatoris, non humanæ iustitiæ opera. Et eo sanè sensu ex fide manat iustitia fidelium, quatenus à fide eorum capit; sed non in sensu Caluini, quatenus gratuitam reconciliationem fide apprehendit. De qua re tota in præcedentibus latè diximus. Fides ex qua iustitia est, tum alia multa apprehẽdit & credit præter gratuitam reconciliationem, vt possit ad iustitiam valere; tum non illa sola, quantumlibet & quantalibet credens, ad iustitiam valet, sed *fides quæ per charitatem operatur in Christo ad iustitiam valet*, vt ipsemet Paulus definitè docuit. Nunc autem Caluinus propter solam gratuitam reconciliationẽ iustitiam ex fide manare, & istud hoc loco Apostolum docere vult. Sic enim prosequitur: *Nam si quis Gentes iustificatas esse fingat, quia fide adepta sunt Spiritum*

Verborũ vicinitate tertiò fallit.

Iustitia fidelium quomodo ex fide manat.

Gal. 5.

spiritum regenerationis, lōgè discedet à Pauli mente.
Obseruanda semper sunt Apostoli verba, & quomodo impostor Caluinus illa penitus Caluini impostura singularis in lucem extrahitur
contrittens, alia dicere Apostolum fingat, ac sibi lamia, vera prole sublata, suam ex inano supponat. Apostolus hoc loco non dormiunt dicit Gentes aliquid ex fide apprehendisse, seu gratuitam reconciliationem, seu Spiritum regenerationis, de quo hîc Calvinus quasi de Apostoli verbis studiosè commendit. De apprehensione ex fide Apostolus non loquitur, sed *de iustitia ex fide*. Illud, *ex fide*, non cum verbo, *apprehenderunt*, copulatur, sed cum verbo, *iustitiam*. Quum enim dixisset, *Gentes apprehenderunt iustitiam*: non statim adiunxit, *ex fide*: quod tamen si adiunxisset, dubitari nihilominus posset an illud, *ex fide*, cum verbo *apprehenderunt* copulandum foret. Nunc verò omni dubitatione sublata, repetit specificando quam iustitiam dicat: *Iustitiam autem ex fide*: id est, Iustitiam dico non legalem, non ciuilem, non moralem, non quomodocumque humanam, sed iustitiam quæ *ex fide est Christi, quæ ex Deo est iustitia in fide*, Phil. 3. 9.
vt alibi loquitur. Docet ergo, quam & qualem iustitiã Gentes apprehenderint, non vnde aut quomodo apprehenderint. Videt nunc Lector à verbis Apostoli longè vagari Caluinum, & aliam Apostoli disputationem fingere, vt sua venenata dogmata quasi Apostoli ea disputatione fulciat atque corrobo-

ret. Planè ergo (vt ad eius verba redeamus) à Pauli mente lõgè discedit, qui docere eum hoc loco existimat, ipsa fide aut gratuitam reconciliationem apprehendi, aut Spiritum regenerationis. Neutrũ enim hîc docet Apostolus, de neutro disputat. Verum quidẽ est, gratuitam reconciliationẽ fide apprehẽdi, sed sensu quem nuper diximus, Spiritũ quoque regenerationis Gentes fide adeptas esse (quatenus non nisi credentibus ille Spiritus datur, vel potiùs vt crederent Gentes) & ideo iustificatas fuisse, verum est. Sed neutrum horum Apostolus hoc loco tractat, quia non de eo quod fide apprehẽderũt Gẽtes, sed de iustitia ex fide, quã apprehẽderunt, Paulus loquitur.

Audiamus tamen cur à Pauli mente (Caluini iudicio) lõgè discedat, qui affirmat ideo Gentes iustificatas esse, quia fide adeptæ sunt Spiritum regenerationis; quique docet ad iustificationem ex fide non secus requiri atque à Deo conferri Spiritum regenerationis quàm gratuitã reconciliationem. Hic enim Caluini scopus hoc loco est, vt in sola gratuita reconciliatione iustitiã ex fide ponat, quàm Gentes apprehenderunt. *Neque enim* (inquit Caluinus) *verum esset, apprehendisse quod non quærebant, nisi quia gratis vagos & erraticos amplexus est Deus, iustitiámque, cuius nullum vigere studium poterat, obtulit.* Videat hîc (quæso) Lector, quàm insulso & putido argumento, Christianæ fidei dogma longè grauissimum

Caluini insulsum argum. in causa grauissima.

simum cæcus hæreticus impugnat. Sic rem se habet eius argumentum: Gentes apprehenderunt quod non quærebant; & iustitiam incognitam, ideóque non desideratam, Deus illis gratis obtulit: ergo non sunt ex iustificatæ, quòd Spiritum regenerationis illæ adeptæ fuerint. Quasi videlicet hæc duo repugnarent, impium à Deo iustificatum Spiritu regenerationis donari vt iustus fiat, & talé impium ante acceptũ regenerationis Spiritum omni veræ iustitiæ cognitione ac studio caruisse. Nõ repugnant hæc duo: imò adeò non repugnant, vt necessariò & indiuiduo nexu coniungantur, quatenus necesse sit vnum præsupponi, vt alterum consequatur. Neque enim Spiritus regenerationis cuipiam datur, nisi veræ iustitiæ ignaro, & minimè studioso. Sicut gratuita reconciliatio nõ datur nisi peccatoribus, & nouæ sanitatis beneficium non confertur nisi ægrotis; sic Spiritus regenerationis non datur nisi diuino Spiritu vacuis, & spiritualis iustitiæ penitus ignaris. Spiritu regenerantur qui in carne sunt, & secundùm carnem viuunt, vt carnalegeneratione & vetustate abolita (*quod enim natum est de carne, caro est*) nouam natiuitatem accipiant, facti *noua in Christo creatura, induentes nouum hominem, & ambulantes secundùm spiritum*. Sic Gentes hoc loco omnes increduli & impij, non quærunt iustitiam, nec sectantur eam, sed per misericordiam Dei &

Regenerationis Spiritus confertur carnalibus.

Ioan. 3.

Gal. 6. Ephes. 5. Rom. 8.

Iustitia ex fide in duobus consistit.

gratiam Christi, accipientes iustitiam ex fide, tum facta remissione peccatorum gratuita reconciliantur Deo, tum accepto Spiritu regenerationis fiunt noua creatura in Christo. In vtroque consistit iustitia ex fide, non in alterutro: quia omnes in Christo iustificati non solùm desinunt esse filij tenebrarum, sed fiunt præterea *filij lucis*: non solùm desinunt esse in morte peccati, sed viuunt præterea *vita iustitiæ*: denique non solùm desinunt *esse in carne*, sed incipiunt *esse in Spiritu, ambulantes non secundum carnem, sed secundum Spiritum; Spiritu*, quem acceperunt, *facta carnis mortificantes*. Hoc posterius destruere hoc loco, Caluinus voluit, sed tam insulso argumento, vt vertiginem passus videatur. Spiritu (inquit) regenerationis iustificatas esse Gentes credendum non est, quia spiritualem iustitiam nec quærebant, nec sciebant. Quis verò quisquam existimet (nisi fortè Pelagianus aliquis) Spiritum regenerationis dari hominibus iam iustis, aut veram quærentibus iustitiam, ac non potiùs hominibus penitus iniustis, nec iam quærentibus, sed vt quærant veram iustitiam. Huiusmodi aliquid Pelagianum somniasse hîc videtur Caluinus, vt quia Catholicos non potuit, saltem Pelagianos perstringeret; & ex Pelagianorum principijs Catholicorum dogma infamaret. Sic enim prosequitur: *Quin etiam notandum est, non aliter Gentiles fide iustitiam adeptos esse, quia*

Ephes. 5. 8

Rom. 5.

Rom. 8.

Pelagian. impugnat Caluinus, vt Catholicum dogma infamet.

ia Deus fidem eorum sua gratia anteuertit. Nam dū priores aspirassent ad iustitiam, hoc iam fuisset eos sectari. Itaque fides ipsa portio gratiæ fuit. Hæc ille: quæ omnia contra Pelagianos faciunt. Apostor nefarius saluberrimum & inprimis necessarium Christianæ fidei dogma, quòd per spiritum regenerationis accepto iustificamur coram Deo, & quòd ad iustitiam fidei adiscendum Spiritus regenerationis concurrat, quum nullo iusto argumento impugnare posset, contra Pelagianorum principia quasi à Catholicis concessa disputat, vt aliquid disputasse videatur. Et tot quidem modis Apostoli verba hactenus inuertit, lectorem-que suum delusit Caluinus. Videamus sequentia.

Ad illa Apostoli verba, *Israel, sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit*, ita cōmentatur: *Quod dictu erat incredibile, Paulus liberè profert: nihil mirum esse, si Iudæi, strenuè iustitiam sectando, nihil profecerint.* Verum sanè hoc est. Sed quare sic liberè loquitur Apostolus? *Quia* (inquit Caluinus) *extra viam currendo, frustra se fatigarunt.* Hanc causam Apostolus non adfert, quasi *strenuè iustitiam sectari*, esset simpliciter *extra viam currere*: quod suo lectori bonus Caluinus insinuare voluit. Aliā causam subiunxit Apostolus: *Quia non ex fide*, &c. de qua mox plura. Nunc Caluinus, *vt strenuè sectari iustitiam*, qualis in lege præscripta est, lectori persuadeat esse planè *extra viam currere*,

Iustitiam strenuè sectari Caluino res infamis.

currere, & frustra se fatigare, format sibi ac fingit verborum Apostolicorum hypallagen, eaque callidè inuertit. *Iam* (inquit) *priore loco legem iustitiæ per hypallagen posuisse mihi videtur pro iustitia legis: in repetitione secundi membri, alio sensu sic vocasse iustitiæ formam seu regulam.* Hypallage quam fingit Caluinus, tametsi non ita multum ad rem faciat, admittenda tamen non est. Aliud quippe est apud Apostolum *legis iustitia*, aliud *iustitia legis*. Legis iustitia significare videtur quod apud Apostolũ est iustitia ex lege siue per legem, & qualem lex sola adfert iubendo, minãdo, docendo, quam semper à iustificatione excludit Apostolus. Sic Augustinus: *Legis iustitia est, iubere quod Deo placet, vetare quod displicet.* Atqui iustitia legis est ipsa mandatorum legis executio, quam Apostolus à iustitia fidei nunquam excludit; imò quam per iustitiam fidei adimpleri docet. Vnde Augustinus ibidem: *Miro quodam modo, sed tamen vero, iustitiam legis non implet iustitia quæ in lege vel ex lege est, sed quæ in Spiritu gratiæ, seu ex fide iustitia est.* Sed voluit Apostolum dicere Caluinus, Iudæos ideo reiectos, quia iustitiam legis sectabantur, id est, quia volebant per obedientiam mandatorum legis iustificari. Ideo subiungit: *Itaque summa est, quòd Israël in legis iustitiam insistens, eam scilicet quæ in lege prescripta est, veram iustificationis rationem nõ tenuerit.* Fallit lectorem impostor. Non hoc dicit Apos-

Legis iustitia aliud est à iustitia legis.

Contra 2. epist. Pel. libro 3. cap. 7.

postolus, ideo eos à iustitia excidisse, quia pliciter in legis iustitiam insistebant, aut ma simpliciter obedientiæ mandatorum gis incumbebant, sed quia hoc totum absque fide Mediatoris, absque Spiritu gratiæ rere se posse præsumebant. Impostor Calinus in his verbis facit plenam Apostoli mentiam, & nouum membrum constituit, *non ex fide*, &c. omissa particula, *Quia*: quasi pliciter dixisset Apostolus, Iudæos non peruenisse in legem iustitiæ, siue veram iustitiæ normam ac regulam non tenuisse, quia iustitiam legis insistebant, & ex obedientia mandatorum iustificari volebant. Nunc autem Apostolus non dicit ideo eos non peruenisse in legem iustitiæ, *quia sectabantur legem operis*; sed ideo sectando non peruenisse, quia malè sectabantur, quia *non ex fide sectabantur, sed quasi ex operibus*. Quam Apostoli mentem pulchre his verbis explicat Augustinus: *Qui secundùm iustitiam quæ in lege est, sine fide gratiæ Christi viuit*, (hoc est sectari legis iustitiam non ex fide) *nullam veram putandus habere iustitiam* (hoc est non peruenire in legem iustitiæ) *non quia lex vera & sancta non est, sed quia obedire velle literæ iubenti sine viuificante Spiritu Dei, quasi ex viribus liberi arbitrij, iustitia vera non est. Iustitia autem secundùm quam iustus ex fide viuit, quoniam per Spiritum gratiæ iustificatur ex Deo est, vera iustitia est.* Hæc ille. Tenemus iam veram Apostoli mentem, Iudæos, sectan-

Scripturã mutilat Caluinus.

Contra 2. epist. Pel. libro 3. cap. 7.

sectando legem iustitiæ, seu quærendo iustificari in ipsa iustitia & obedientia legis, non in materia peccasse, sed in forma; non ideò à iustitia excidisse, quia vera legis obedientia iustificare non potuit, aut *quia sic extra viam currendo, frustra se fatigarunt* (vt impius Caluinus loquitur) sed quia *sine fide*, sine Spiritu gratiæ veram legis iustitiam aut obedientiam assequi non poterant. Sed grauius adhuc & pestilentius est, quo lectorem hic fallit & Apostolum deprauat Caluinus.

Ad illa verba, *Non ex fide, sed quasi ex operibus*, ita glossat Caluinus: *Quia vulgo ceu postreri iusta esse excusatio videtur, iustè eos reijcit Paulus, qui salutem sibi tentant acquirere operum fiducia, quia fidem, quantum in se est, abolent, extra quam nulla speranda est salus. Itaque si voti compotes forent, talis successus veræ iustitiæ exanimitio foret. Porrò vides vt fides & operum merita comparentur, velut res penitus contrariæ. Quam ergo fiducia operum maximum sit obstaculum, qua via nobis intercludatur ad iustitiam consequendam, necesse est, vt, illa valere iussa, in vnam Dei bonitatem recumbamus. Terrere enim meritò debet hoc Iudæorum exemplum omnes eos, qui ad regnum Dei per opera obtinendū cōtendunt.* Hæc Caluinus, bonorum operum ac pietatis studio ab omnibus strenuè abijciendo classicum canens. Sententiam Apostoli studio & data opera deprauat. Videt Apostolum Iudæorum legem iustitiæ sectantium, & in eam non pe-

Pietati profligandæ classicū canit Caluinus.

uenien-

bientium, infelicitatem non in eo po-
re, quòd legem iustitiæ piè & verè se-
bantur, sed quia *non ex fide* non credentes
Mediatorem (*offenderunt enim in lapidem of-*
fensionis) cuius gratia adiuti, legem iustitiæ
ne possent implere, cuius merito & bene-
io peccatorum remissionem conseque-
rentur, cui per fidem vniti incorporarétur,
hic bona iustitiæ opera Deo ad meritum
ta & accepta forent, *sed quasi ex operibus*,
et, sed quasi operum suorum, absque fide
gratia Christi, valore ac præstantia, in le-
gem iustitiæ, veramque eius executionem &
finem, peruenire le posse arbitrantes; &
hoc modo (vt postea rem explicat) *suam iu-*
stitiam constituere volentes, hanc ob causam id,
quod sectabantur, assecutos non fuisse. Vi-
et hanc esse perspicuam Apostoli senten-
tiam, ab ipsomet Apostolo verbis subsequen-
tibus explicatam. Homo tamen impius con-
tra apertam veritatis lucem oculos claudés,
vult Apostolum dicere, *ideo non ex fide*, vt so-
lam fidem statueret, operum studio penitus
reiecto; &, *quasi ex operibus*, vt eos terreat qui
ad regnum Dei per opera obtinendum *conten-*
dant. Denique fidem & operum merita sic
comparari, velut res penitus contrarias. Po-
stremò, fiduciam operum hîc ab Apostolo
excludi. Hæc 4. affirmat, quorum nec vnum
in Apostoli verbis apparet. Paulus ait, *quia*
non ex fide, vt fidei necessitatem doceret, sine
qua

Caluinus contra apertam lucē oculos claudit.

1.

2.

3.

4.

1.

qua nec opera Deo grata fieri, nec ad salutem valere possunt. Fidei necessitatem docet, non perfectionē, quasi vnica ad salutē via

2. ac ratio illa esset. Opera Iudæorū reijcit, non quia ad regnū Dei obtinendū in vniuersum bona opera nihil valent (quandò innumeræ Scripturæ ea plurimum valere, ac inprimis necessaria esse, luculentissimè doceant) sed quia ex illis solis absque fide, & ex sua quadam ac propria iustitia, non ex Dei iustitia, id est, ex ea quā Deus in pijs operatur, iustificari & saluari volebant. De operum merito

3. nihil loquitur Apostolus. Et quomodo ea cum fide cōpararet, veluti rem fidei penitus contrariā? Itáne verò operū merita fidei sunt cōtraria? Ergo fides Christiana damnat bona opera? Non damnat (inquies) bona opera, sed operum merita. Atqui ostende in toto contextu Pauli meriti vocabulum. Id ostendi non potest, quàm nefarius impostor Caluinus, qui operum merita hoc loco cum fide ab Apostolo veluti res penitus contrarias

4. comparari affirmat! Sed nec de fiducia operum bonorum, quæ verè talia sunt, Apostolus hîc loquitur, sed de inani & vanissima Iudæorū fiducia locutus meritò videri potest, qui *iustitiam suam constituere volebant*, de legali sua iustitia gloriantes, partim merè hypocritica, & ne morali quidē, (vt frequenter in Euangelio ijs, qui apud eos sanctissimi videbantur, Christus exprobrat) partim etiā vere nullā,

Operum fiduciam qualem Apost. damnat.

lia, sed aperta iniquitate : qua plerosque eorum laborasse, illa Christi verba in Euangelio planum faciunt : *Nónne Moyses* Ioan. 7.
vobis dedit legem, & nemo ex vobis facit legem?
Eiusmodi sanè operum fiduciam & inanem iactantiam, quæ vel penitus falsa ac mendax est, vel hypocritica & ficta est, explodit diuina Scriptura. Sed impostor Satanas temerariam & falsam operum fiduciam cum vera pietate ac sanctitate confundit : & vt omne bonorum operum studium à salutis causa longissimè propellat, contra inanem ac falsam fiduciam declamitat. In summa, totam Apostoli disputationem non inuertit modò ac deprauat ; sed &, vt Epicureæ eius impietati subseruiat, indignissimè & violenter contorquet. Quod in sequentis capitis textu primo magis adhuc & magis apparebit.

Argumentum Cap. X.

PROSEQVITVR hanc rationem casus Iudæorum, quam in fine cap. præcedentis breuiter attigerat. Mox in fidei Euangelicæ commendationem, quia eam Iudæi neglexerant, excurrit iterũ, & iustitiam ex hac fide prædicat. Tandem de huius fidei ac iustitiæ toto orbe propagatione,

tione, & quo medio illa propagatur, tam ex Moyse quàm ex Esaia disputat.

3. *Ignorantes iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.*

Caluini artes, serpentinæ.

IMposturæ suæ artificio in huius loci explicatione peregregiè Caluinus vtitur. Multa quippe bona & vera prælocutus, & blandam serpentis faciem indutus, in postremo sermone veluti cauda serpentina venenata spicula infixit; totamque Apostoli sententiam, quasi paululum à vero declinans, vnico penè verbo infectam, hæretico suo dogmati subseruire coëgit, sic enim scribit: *Eu quando inconsiderato zelo aberrarint Iudæi: nempe quod propriam iustitiam erigere voluerunt, quæ falsa deducia ex diuinæ iustitiæ ignoratione prouenit. Obserua antithesim Dei iustitiæ & hominum. Primò, videmus opponi inter se quasi res contrarias, & quæ simul stare nequeunt. Vnde sequitur, euerti Dei iustitiam simulac propriam statuunt homines. Deinde, vt inter se respondeant antitheta. Non dubium quin vocari Dei iustitiam, quæ Dei donum est: sicuti contra sum dicitur hominum iustitia, quam petunt à seipsis vel se ad Deum afferre confidunt.* Omnia hæc bona & verissima sunt, & in quibus ad exactum huius loci commentarium vix quicquam desideres. Nam antithesis Apostolica & illa ipsa est quã dixit, & illum sensum habet quem designauit. At nũc vide caudã serpentinam, quàm se molliter inflectit, vt incautum de-

ceptorem

rem feriat. Sic enim subiungit, adeóque concludit: *Iustitiæ ergo Dei non subijcitur, qui vult in seipso iustificari.* Ecce vnius verbi enallage totam Apostoli sententiam, quasi vna asperginis gutta, intoxicauit. Quod enim antea iuxta Apostoli mentem dixerat, *Dicitur hominum iustitia, quam petunt à seipsis*, nunc vafre conuertit, *iustitiæ Dei illum non subijci, qui vult in seipso iustificari.* Atqui hæc duo, hominem à seipso iustificari, & in seipso iustificari, etsi verbis vicina, rebus tamen sunt disiunctissima. Quæ calefiunt ab igne corpora, in seipsis calefiunt; sed ab igne, non à seipsis. Aër lucidus in seipso lucidus est; sed à sole, non à seipso. Sanatus æger à medico in seipso sanus est; sed à medico, non à seipso. Sic Dei dono iustificatus (*vocatur quippe hic iustitia Dei, quia Dei donum est*, ait ipse Caluinus) charitate inflammatus, fide illuminatus, gratia sanatus, in seipso iustificatus est; sed à Deo, Deique dono, non à seipso: quod paulò pòst latiùs explicabitur. Nunc ne temere aut oscitanter Caluinum ita locutum esse, nec studio sed culpa in alium loquendi modum verba deflexisse quis existimet, vide quid statim inferat. *Quod* (inquit) *iustitiæ Dei obtinendæ principium est, abdicare se propria iustitia. Quorsum enim iustitiam aliunde quærere attinet, nisi quia inopia nos cogit?* Hæc sanè verè dicuntur, si de iustitia loquatur quam homo à seipso petit. Qui enim vult à Deo iustificari, hoc inprimis agnoscere deber,

iustificari à seipso, & in seipso, multum differunt.

Iustitia propria quomodo abdicanda.

re debet, nõ à seipso sed à Deo per Christum illam appetere, memor semper illius quod
Ioan. 15. Christus dixit, *Sine me nihil potestis facere*; & illi-
1.Cor. 4.7 lius quod Paulus dixit, *Quid habes quod non accepisti?* Sed hæc falsò ac fallaciter dicuntur, si de iustitia loquitur quam homo habere debet in semetipso. Nã qui sine Christi gratia nihil potest facere, cum Christi gratia potest omnem iustitiam facere, iuxta illud
Philip. 4. 13. Pauli, *Omnia possum in eo qui me confortat.* Rursum, *qui nihil habet quod non accepit*, vtique id quod accepit habet. In hoc ergo sensu falsum est, *iustitiæ Dei obtinendæ principium esse, arrogare se propria iustitia*, quasi videlicet perpetuò manens in propria sua iniustitia, impietate, turpitudine, qua ante iustificationem laborabat. Imò iustitiæ Dei obtinendæ principiũ est, esse *nouã in Christo creaturã*, & sic propriã quandã, non quidẽ à seipso, sed in seipso,
Gal. 6. 15. iustitiam habere; iuxta illud Pauli: Et hæc
1.Cor. 6. 11. *quidem olim fuistis, raptores, adulteri*, &c. *Nunc autem ablati estis, sanctificati estis, iustificati estis in nomine Christi* (quia non à vobis ipsis, sed à virtute Christi) *& in Spiritu Dei nostri*, quem videlicet accipiunt credentes in Christum, & sic in vobis ipsis iusti ac sancti estis, qui olim impuri & impij eratis. Et sic quidem *inopia cogit impios atque iniustos, vt aliunde iustitiam quærant*, id est, non à seipsis eam petant, sed non cogit vt in seipsis tales semper maneant. Atque hunc posteriorem sensum falsum &

lum & execrabilem tenuisse in illis verbis Caluinum; id quod statim attexit, manifestum facit. *Diximus* (inquit) *alibi, quomodo Dei iustitiam fide induant homines, quia scilicet imputatur illis Christi iustitia.* Hic iam suum venenum penitùs profudit serpens. Quod Paulus docuit, Dei iustitiam obtinere non posse, nec a Deo dono iustificari, qui suam iustitiam quærunt, id est, à seipsis iustificari volunt; hic ille inuertit, Dei dono iustificari non posse, qui in seipsis iustificari volunt; vt sic Dei donum penitus eludat, ipsamque Dei iustitiam prorsus euertat. Qui enim homini impio alienam iustitiam imputat, nullam illi iustitiã dono dat: tum quia talis in seipso impius est, ideoq; nullã iustitiã accepit; tum quia quæ imputatur iustitia, non datur. Nã si datur iustitia, accipitur: si accipitur iustitia, inhæret illi qui eam accepit, iamque in seipso iustificabitur. Tenemus iam Caluini imposturam, qua vtrumque sententiæ Apostolicæ membrum inuertitur. Dei iustitiam, quam Dei donum esse Paulus intelligit, à Deo non dari concludit: hominũ iustitiam, quã homines à seipsis petunt, iustitiæ Dei oppositam, transfuertit in illam iustitiam quam homines in seipsis Dei beneficio habent; vt ita Dei iustitiam, quæ à Deo datur, penitus euacuet.

Apostolicæ doctrinæ corruptela Caluiniana.

Imputatiua iustitia nulla iustitia.

Nunc quæ sit iustitia Dei quam Paulus hic statuit, & quæ iustitia humana quam

Paulus reijcit, relicto impostore Caluino, et sanctissimo Augustino docebimus.

Serm 13. de verb. Apostoli. Iustitia Dei & hominum ex Pauli sententia.

Commendat (inquit) *hæc assiduè Apostolus, commendans fidem Gentilibus, qua fide impetrant adiutorium vt impleant legem, non per legem, sed vires implendi impetrantes per fidem: ad hoc assiduè adducit & commendat ista Apostolus, propter Iudæos qui de lege gloriabantur, & libero suo arbitrio legem se facere arbitrabantur. Ac per hoc quia libero suo arbitrio legem arbitrabantur, ignorantes Dei iustitiam, id est, ex fide iustitiam datam à Domino* (non imputatam à Deo) *& suam volentes statuere, quasi suis viribus impletam, non dante fide impetratam: iustitiæ Dei, sicut dicit, non sunt subiecti.* Hæc August. Iustitiam Dei exponit, quæ mediante fide datur à Christo; nõ quæ est ipsius Christi imputata à Deo. Iustitiam propriam vocat, proprijs viribus sola doctrina legis accepta impletam. Sed alio in loco apertius:

Serm. 15. de verb. Apost.

Ego (inquit) *non habeo meam iustitiam, sed eam quæ est per fidẽ Christi, iustitiã ex Deo, iustitiã* (inquam) *ex Deo qui iustificat impium. Tolle te: tolle, impium, te à te, impedis te: si tu te ædificas, ruinam ædificas. Noli velle habere iustitiam tuam. Certè ex lege est, & Deus dedit legem; & quia iustitia ex lege est, non sit tua. Tuam iustitiam noli habere. Stercora illam deputat Apostolus: quamuis sit ex lege, tamen quia suam* Tota hæc hactenus oratio Caluinistis placebit. Audiunt negari iustitiam propriã idque ex lege. Audiunt commendari iustitiam ex Deo, ex Deo (inquam) qui iustificat impium.

mpium. Clamabunt igitur, nihil aliud docere Caluinum quàm quod Augustinus, imò quod Apostolus docuit: nempe imputari nobis iustitiam, ex legis autem obseruatione nullã haberi posse iustitiam, quia hæc propriã cuiusque est, illa iustitia Dei est. Sed audiant quæ in Augustino adhuc sequũtur, & longè aliud ab Apostolo & Augustino doceri deprehendent. Prosequitur August. & dicit: *Ignorantes enim Dei iustitiam, & suam vobis constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Noli timere, quia Christianus vocaris, ideo te non posse offendere in lapidem offensionis. Cuius gratiæ detrahis, in ipsum offendis. Iustitia sit, sed ex gratia sit; a Deo tibi sit, non tua sit. Sacerdotes (inquit) tui induantur iustitiam. Vestis accipitur, non cum ea nascitur. Pecora de suo vestiuntur. Hanc præbet Apostolus Paulus, à Deo tibi sit. Geme vt impetres, plora vt impetres, crede vt impetres.* Apertè rem explicuit. Commendatur iustitia Dei, nempe quæ ex gratia Dei orantibus & credentibus datur, non quæ imputatur; de qua imputata Christi iustitia nec Augustinus nec vllus vnquã in Ecclesia Doctor loquutus est. Cum impio Luthero nata illa vox est. Reprobatur iustitia propria quæ absque gratia præsumitur: asseritur tamen iustitia propria quæ ex gratia confertur. Hac induimur quasi *veste nuptiali*, ne fortè venien- Matth.
te Patre-familias vt videat discumbentes, 22. 12.
si nudi & non vestiti inuenimur, eijciamur

in tenebras exteriores. Pecora de suo vestiũtur: homines sine fide Christi moraliter viuentes, de suo ornantur, in semetipsis laudem habent, non apud Deum. Iustitiæ Christianæ vestis nec nascitur cum capillis, aut ex naturæ igniculis ac propensionibus perficitur, vt Philosophi ac Pelagiani dogmatizabant; nec externa quædam iustitiæ denominatio est, quatenus aliunde imputata, vt hæretici hodie somniarunt; sed est

Ephes. 2. illa *noua creatura* qualis *in Christo creati sumus in operibus bonis, vt ambulemus in illis*: qua vestiuimur, & quæ nobis verè inhæret: quod adhuc in sequentibus magis explicat Augustinus. *Paulus* (inquit) *qui de iustitia loquebatur*

Ser. 15. de ver. Apost *non sua, sed illa quæ ex Deo est, ibi nominauit vi-*

Philip. 3. *tutem resurrectionis Christi. Iustitiam, inquit, ex fide, ad cognoscendum eum, & virtutẽ resurrectionis eius. Agnosce ibi iustificationem tuam. Ex illius enim resurrectione iustificamur, tanquã à petra circumcidimur. Propterea inde cœpit, Nos sumus circumcisio qui spiritu seruimus Deo. Hanc ergo iustificationem & habeamus in quantum habemus, & augeamus in quantum minores sumus, & perficiamus cum illuc venerimus vbi dicetur, Vbi est, mors, victoria tua? Sed totum ex Deo: non tamen quasi dormientes, non quasi non conemur, non quasi vt non velimus. Sine voluntate tua non erit in te iustitia Dei. Voluntas quidem non est nisi tua: iustitia non est nisi Dei. Esse potest iustitia Dei sine voluntate tua, sed in esse non potest nisi per voluntatem tuam. Demonstra-*

tum

rum est tibi quid agere debeas, iussit lex. Si tibi est ar, intellexisti quid facias; roga vt facias, si cognos- ia virtutem resurrectionis Christi. Traditus enim st propter delicta nostra, & resurrexit propter iusti- ficationem nostram: id est, vt iustificet nos, & iu- stos faciat nos. Eris opus Dei, non solùm quia homo s, sed etiam quia iustus es. Melius est enim iustum esse, quàm te hominem esse. Si hominem te fecit Deus, & iustum tu te facis, melius aliquid facis quàm fecit Deus. Sed sine te fecit te Deus. Qui ergo fecit te sine te, non te iustificat sine te. Ergo fe- cit nescientem, iustificat volentem. Tamen ipse in- spiret, ne sit iustitia tua, ne redeas ad damna, ad detrimenta, ad stercora. Hæc August. Sic iusti- tiam propriam, quæ à nobis ipsis est, contra Pelagianos exagitat, vt tamen iustitiam propriam quæ in nobis est ex gratia Dei, & cui nos cooperamur, contra Caluinum sta- biliat. Idem alibi docet, hunc ipsum Pauli locum exponens: *Suam iustitiam volentes con- stituere, dicit de Iudæis Paulus, quæ iustitia est ex lege, non quia lex ab ipsis est constituta, sed in lege qua ex Deo est, suam iustitiam constituerunt, quãdo eandem legem suis viribus se implere posse credebant, ignorantes Dei iustitiam, non qua iustitia Deus iu- stus est, sed quæ iustitia est homini ex Deo.* & pau- lò pòst: *Ignorantes Dei iustitiam, id est, quæ est ex Deo. Hanc enim dat non litera occidens, sed viuificãs spiritus.* Hæc iterum celeberrimus & in do- ctrina Apostolica exercitatissimus Doctor sanctus Augustinus.

De grat. & libero arbitrio cap. 12.

4. *Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti.*

QVum his verbis veram causam aperiat Apostolus, cur Iudæi, *sectando legis iustitiam, in legem iustitiæ non peruenerint*; & cur, *iustitiam suam statuere volentes, iustitiæ Dei non sint subiecti*; hanc veram causam artificiosè inuertit & auertit Caluinus, vt aliam à suis adinuentam callidè introducat, quasique germanã prolem suffuratus, suppositiũ suum fœtum sagarum more obtrudat. *Occurrit* (inquit) *obiectioni Apostolus quæ contrà moueri poterat. Videri enim poterant Iudæi rectam viam tenuisse, quia in legis iustitiam incubuerant. Hanc falsam opinionem refellere necesse habuit, quod hic facit.* Hæc hactenus rectè. Nunc fraudem aduerte. *Indicat enim legis præposterum interpretem esse, qui per eius opera iustificari quærit.* hîc fallit, hîc imponit lectori Caluinus. Non ideò Iudæi rectam viam non tenuerunt in legis iustitiam incumbẽdo, quia per opera legis iustificari volebant, sed quia sine fide & gratia Christi per opera legis iustificari se posse existimabant, quia *suam iustitiã statuere volebant, nõ Dei iustitiã*. Quæ omnia superiùs ostensa sunt; nec in his verbis hoc Paulus agit, sed causam dare vult, cur absque fide Christi iustitiam legis assequi non poterant, vtcũque in eam incumberent. Nempe quia Christus est finis & perfectio *legis ad iustitiam omni credenti*, id est, lex ad iustitiam

Caluini impostura aduẽtẽda

Fidei necessitas ad iustitiam legis probatur.

tiam non perficitur neque impletur, nisi credente in Christum, & per gratiam Christi, vt infrà dicuti postea latiùs explicabimus. Perstemus nunc in Caluini corruptelis à textu Apostolico longissimè abarcendis. Volens probare quod dixerat, subnectit: *Quoniam in ipsa lex data est, quæ nos ad aliam iustitiam manuducat.* Iterum fallit impostor. *Data est lex ad iustitiam* (vt suprà Apostolus dixit) & vt, *qui fecerit eam, viuet in ea*; sicut statim dicet. Hic est finis legis datæ, & ob quem lex est data, sed hęc nõ est virtus, facultas, aut efficacia legis datæ. *Lex non est data vt iustificaret*; id est, vt sua vi, sua sola externa doctrina (qua tantùm iubet, docet, cõminatur, promittit) possethominem iustum corã Deo reddere, id est, efficere possit vt homo iustè viuat. Quare lex est quidẽ pædagogus ad salutem, sed per se salutem non adfert; quia per eius solam doctrinam seruari mandata non possunt, vt seruando mandata vitam æternam habeamus. Quare lex manuducit nos quidem ad Christum, vt, eius gratia per fidem impetrata, legem possimus implere (quod passim docuit S. Augustinus) sed non manuducit nos ad aliam iustitiam, vt vafre & falso affirmat Caluinus, vicinitate verborũ lectorem decipiens. Manuducit lex ad Christum, & ad gratiam Christi, vt, ea in nobis operante, iustitia legis impleatur. *Ideo quippe* (ait Augustinus) *proponitur iustitia legis, quòd*

Impostura Caluini alia.

Rõ. 7. 10. Infrà v. 5.

Gal. 3. 21. Lex quomodo ad vitã data.

Lex quomodo pædagogus ad Christũ

De Spir. & lit. cap. 28.

qui fecerit eam, viuet in ea; vt cùm quisque infirmitatem suam cognouerit, non per suas vires, neque per literam ipsius legis (quod fieri non potest) sed per fidem concilians iustificatorem, præueniat, & sanet, & viuat in ea. Non manuducit lex ad aliam iustitiam quàm quæ ipsius legis iustitia est; quia manuducit ad Christum, cuius gratia lex impletur, & legis iustitia comparatur. *Ideo enim lex non euacuatur sed statuitur per fidem* (ait Augustinus) *quia fides impetrat gratiam qua lex impleatur.* Si fides impetrat gratiam qua lex impleatur, & lex manuducit ad fidem, quæ manuducit ad Christum; profectò non ad aliam iustitiam, sed ad ipsam iustitiæ, quam lex docet, debitam obseruationem lex manuducit.

Lex non manuducit ad aliam iustitiã quàm ipsius legis iustitiam. Ibidem cap. 29.

Sed pergamus cum Caluino: *Imò quicquid doceat lex, quicquid præcipiat, quicquid promittat, semper Christum habet pro scopo; ergo in ipsum dirigendæ sunt omnes partes.* Verum hoc totum est, quia fides in Christum intelligit, quicquid lex docet: gratia Christi implet & facit, quicquid lex præcipit: meritum Christi præstat & exhibet, quicquid lex promittit. Sic semper Christum habet pro scopo. Sed alius est Caluini sensus; ait enim: *Id autem fieri negant, quin omni iustitia spoliati, peccati agnitione confusi, ab ipso vno iustitiam gratuitam petamus.* Vult ergo neminem Christum pro fine ac scopo habere posse, nisi qui turpiter ac scelerate viuat, vt omni virtute vacuus à Christo.

Lex quomodo Christũ habet pro scopo.

Caluini impius & & Epicureus sensus.

Christi aduentus vt legem impleamus.

ius iustitiam expectet. Vult Christū sic esse finem legis, vt lex ipsa à nemine per gratiam Christi impleatur; vt cum perpetua legis transgressione, in perpetuo statu peccati, notam perpetuam turpitudinem profitentes, nullam in nobis ipsis honestatem aut iustitiam colamus, sed gratuitam à Christo iustitiam petamus; & eam, quæ in illo erat, nobis imputari rogemus. Aduersatur hic sensus non communi tantùm piorum sensui, sed universis Scripturis Euangelicis & Apostolicis, quæ Christi aduentum & gratiam in eo potissimùm describunt, vt omni deposito peccati affectu, vel (vt cum Apostolo certius loquamur) *vt omnem abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobrie, iustè, & piè viuamus in hoc sæculo*: quod est omnem iustitiam legis seruatè obseruare; quando quicquid sobriè, iustè, ac piè faciendum est, lex diuina docet atque præcipiat. Absurda ergo & impia hactenus Caluinus dixit.

Nec minùs vel absurda vel impia quæ sequuntur. *Iudæos* (inquit) *legem turpiter mutilasse apparet, qui, reiecta eius anima, mortuum literæ corpus arripuerint.* Verum quidem hoc de Iudæis est. Sed quomodo literæ corpus mortuum arripuerint, anima legis reiecta, absurdissimè Caluinus explicat. *Quamuis enim* (inquit) *mercedem lex iustitiæ suæ obseruatoribus promittat; postquam tamen omnes in reatum coniecit, nouam substituit in Christo iustitiam, quæ operam*

rum meritis non acquiritur, sed gratis donata fide recipitur. Ita fidei iustitia (quemadmodum videmus primo capite) testimonium à lege habet. Sic iuxta Caluinum corpus literæ legis est, mercedem promittere obseruatoribus iustitiæ suæ: anima eius est, omnes in reatum conijcere, & nouam in Christo substituere iustitiam, quæ gratis donata fide accipiatur. Hocalijs verbis ita efferri potest: Corpus literæ legis est purum mendaciũ, fallax & falsa promissio. Quam enim promittit obseruatoribus iustitiæ suæ mercedem, illam adeò non præstat, vt huiusmodi obseruatores in reatum conijciat, id est, certæ damnationi subijciat. Ita non solùm lex mendax ac fallax erit, vt suas Manichæus blasphemias authore Caluino audacter iterum obtrudat, sed & mendax Apostolus erit, qui, vt suprà cap. 7. accepimus, magno studio & conatu legem ab iniquitate & mendacio asseruit. Falsum denique erit quod disertis verbis pronunciauit; *Factores legis iustificabuntur.* Iã enim secundùm Caluinũ factores & obseruatores legis in reatum conijciuntur, idque ab ipsa lege; atque adeò, vt hic effectus anima legis sit. Hæc sunt portentosa Caluini paradoxa. Quòd lex nouam substituat iustitiam, quæ absque operum meritis gratis donata fide recipiatur, multipliciter quoque falsum & absurdum. Neque enim aut lex aliquã nouam substituit iustitiam, vt iam ostensum, sed Christi gratia; nec hæc nouã ip-

Lex iuxta Caluinũ mentitur.

Rom. 2.

Lex non substituit nouam iustitiam absque operum meritis.

iustitia absque operũ meritis acquiritur, ni per operum merita tam acquiritur quàm geretur; noua, inquam, illa iustitia, quam iusti gratia in credentibus operatur, dum, quod lex iubet, illa implere facit. *Opus enim* (ait Augustinus) *quod qui fecerit, viuet in eo, non* De Spir. & lit. cap. 29. *ipse a iustificato. Iustificatio autem ex fide impetratur.* Est quidem alia noua iustitia gratis donata, qua iustificatur impius, quæ operum meritis non acquiritur: sed illa cum iustitia legis nihil commune habet: nec de illa Paulus hoc loco disputat, quum ait, *Christũ finem legis ad iustitiam omni credenti.* Quum tum dicit, *omni credenti*, intelligit omni iam ex fide iustificato. Huiusmodi enim iam credenti, iam iustificato, Christus est finis legis ad iustitiam; id est, Christus per suam gratiam est perfectio & complementum legis ad iustitiam: vel (quod planiùs dicitur) facit perficere & implere legem, vt iustitiæ inde consequatur executio, augmentum, atque perfectio. Sic hæc verba explicantem audiamus nunc Augustinum, & contra corruptelas Caluinianas hunc adhibeamus ἀλεξίκακον. *Ipsum* (inquit) *Non concupisces, & cætera mandata legis sancta & bona, sibi tribuebant Iudæi; quæ vt posset homo facere, Deus operatur in homine per fidem Iesu Christi, qui finis legis est ad iustitiam omni credenti, id est, cui per Spiritum incorporatus, factusq; membrum eius, potest quisque illo incrementum intrinsecus dante operari iustitiam.* Christus quomodo finis legis ad iustitiã De Spir. & lit. cap. 29.

stitiam. Sic & hoc sensu finis legis Christus est ad iustitiam, quia facit Christus implere legem ad iustitiam. Facit autem Spiritu gratiæ suæ, quem credentibus impertit. Sic
1. Tim. 1. alibi ab Apostolo dicitur, *Finis præcepti charitas*, quia videlicet facit charitas vt præceptum impleatur: quo etiam sensu iterum dixit, *Plenitudo legis dilectio*: de quibus verbis postea cum Caluino luctandum erit. Quomodo verò fidei iustitia à lege testimonium habeat, suprà contra Caluinum cap. 2. disputauimus.

5. *Moyses enim scripsit, quoniam iustitiam quæ*
ex lege est, qui fecerit homo, viuet in ea. Quæ
6. *autem ex fide est iustitia, sic dicit: Ne dixeris*
in corde tuo, Quis ascendet in cælum? id est
Christum deducere. Aut quis descendet in
abyssum? hoc est Christum à mortuis reuocare.
Sed quid dicit Scriptura? Propè est verbum
7. *in ore tuo, & in corde tuo. Hoc est verbum*
8. *fidei quod prædicamus.*

PLacuit hic vnus locus supra modum Caluino, qui de eo gloriabundus hunc
Lib. 3. c. 11. n. 17. in modum in sua Institutione scribit: *Locus insignis, & qui nos à multis difficultatibus expedire queat, si intelligamus, eam, quæ nobis per Euangelium datur, iustitiam, legis conditionibus solutam esse. Vides enim quod legis & Euangelij discrimen hic facit Apostolus, quòd illa operibus iustitiam tribuat, hæc citra operum subsidium gratuitam iusti-*
tiam

...um *largiatur*. Hæc ille ibi. Vnde & in ſuis ...commentarijs accuratiſsimè magnaque ...ície & aſtutia hunc textum pertractat, ...diſcrimen illud legis & Euangelij, omni... ...hodie ſectarijs & bonorum operum ho... ...ibus iuratis tantopere adamatum, ex eo ...uat, ſtabiliat, atque corroboret. Cæte... ...hic vnus locus, vt & tota haſtenus B. ...poſtoli diſputatio, diſcrimẽ iſtud impium ...Epicureũ (hæreticorum hodie proprium ...entum) adeò non ſtatuit, vt euertat. ...rum igitur verum & germanum Apo... ...ſententiæ ſenſum enucleabimus; po... ...toxico Caluiniano ſuam Antidotum ...emus. Poſtquam Apoſtolus Iudæo- ...carnalium & Chriſti Euangelio relu... ...ium maximum peccatum & errorem ...parte cum Gẽtibus communem per... ...ſſet, quòd *ignorantes Dei iuſtitiam*, id eſt, ...quæ ex Deo eſt, eiuſque gratia ac dono; *& ...quærentes ſtatuere*, id eſt, ea ſola con... ...& in ea ſola ſibi placentes, quam ex le... ...acceptæ doctrina ſuiſque naturæ viribus ...itare poterant; hanc prorſus ob cauſam ...Dei in Euangelio reuelatæ *nõ eſſent ſub...*, id eſt, eius participes non erant, ei ſe ...cere nolebant; moxq; hoc eorum pec... ...atque errorem hoc argumento im... ...naſſet, quia *finis legis Chriſtus eſt ad iuſtitiã ...credenti*, id eſt, lex à Deo data perfici & ...pleri non poteſt ad veram coram Deo iu...

Loci ſenſus germanus.

ſtitiam

ſtitiam conſequendam abſque fide in Chriſtum, & abſque gratia Chriſti; hoc ſuum argumentum, quod Iudæis adhuc in Chriſtum credere recuſantibus paradoxum videbatur, ex Moyſis quadam ſententia (cuius illi verbis libenter credebant) confirmat Apoſtolus, dicens: *Moyſes enim* (quem Iudæi libenter audiunt) tanquam legiſlator *ſcripſit, quoniam* (vel quòd) *iuſtitiam quæ ex lege eſt, qui fecerit homo, viuet in ea*: id eſt, iuſtitia quæ ex lege eſt, quæ ſolo beneficio legis comparatur, etiam vocem non habet, niſi iubendi, mandandi, promittendi factori vitæ præmium, tranſgreſſori mortis ſupplicium. *Qui fecerit homo, viuet in ea.* Hæc eius vox, hoc mandatum, hæc pollicitatio eſt. Sic per Moyſen Deus loquebatur: *Ego Dominus Deus veſter. Cuſtodite leges meas atque iudicia, quæ faciens homo viuet in eis.* Hîc eſt mandatum & adiuncta promiſsio. Hæc eſt tota vox legis. In qua vox altera intelligitur antitheſis de tranſgredientibus eam: *Maledictus omnis qui nõ permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro hoc.* Nam & in fine eiuſdem capitis, poſt varia à Deo mandata propoſita, concludit Deus: *Omnis anima quæ fecerit de abominationibus his quippiã, perdetur de medio populi ſui.* Hæc eſt ergo tota iuſtitia ex lege, id eſt, ex voce & doctrina legis, ſiue quam lex ſuo proprio officio ac munere efficere poteſt; nempe vt doceat, mandet, promittat, terreat. Eſt, inquam, tota iuſti-

Leu. 18. 5.

Deut. 27. Gal. 3.

Leuit. 18. 29.

Iuſtitia ex lege & iuſtitia legis

tia

ex lege, non tota iustitia legis. Cuius la-
tum discrimen his verbis docet Augustinus. Contra 2.
epist. Pel.
lib. 3 c. 7.
Vero (inquit) *quodam modo sed tamen vero iusti-*
tiam legis non implet iustitia quæ in lege vel ex lege
est, sed quæ ex Spiritu gratiæ est. Quod planius &
apertius ita dici potest: Iustitiam legis non impleri
quando lex iubet, & homo quasi suis viribus facit,
quando Spiritus adiuuat. Legis enim iustitia est iu-
bere quod Deo placet, vetare quod displicet. In lege vel
ex lege iustitia est seruire literæ, & extra eā nullum
esse adiutorium ad rectè viuendū requirere. Rursum De gratia
Christi
cap. 13.
eodem in loco: *Tantum inter legem distat & gra-*
tiam, vt cùm lex esse non dubitetur à Deo, iustitia ta-
men quæ ex lege est, non sit à Deo; sed iustitia quæ
per gratiam consummatur, ex Deo est: quia ex lege
iustitia dicitur, quæ fit propter legis mandatum; iu-
stitia ex Deo dicitur, quæ datur per gratiæ beneficiū,
etiam sit terribile sed suaue mandatum. Hæc ite-
rum Augustinus. Distinguendo inter iusti-
tiam legis & iustitiam ex lege, siue in lege, sa-
pienter docet quomodo Apostolus iuxta
Moysen dixerit, *Iustitiam quæ ex lege est, qui*
fecerit homo, viuet in ea: nempe iustitiam quæ
in lege est, ita loqui, ita proponi, ita sonare,
Qui fecerit eam, viuet in ea. Sed quia ex hac vna
voce & doctrina legis, iustitia legis nō imple-
ri, audiēda est alia vox iustitiæ quæ est ex fi-
de, & nō ex sola lege. Hāc ex fide iustitiam ex
ipso quoque Moyse docere volens Apostolus
Neque enim illā spirituales Iudæi ignorauerant, sed ex ea vixerant) *& per gratiam Christi* Act. 15. 11
saluati

saluati sunt, sicut & nos, vt Petrus in Actis profitetur, nosque eo loco latè explicauimus; ita prosequitur: *Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit,* id est, de iustitia ex fide sic dicitur, sicut apud Moysen scribitur: *Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cælum?* id est: Ne putes totam hanc legem mandatorum, quam tibi proposui, sic esse difficilem, vt vires humanas omnino superet, quasique in cælum conscendendum sit vt impleatur; nec vllum in terra medium aut adiutorium sit, quo impleri possit. Sic enim latiùs & apertiùs apud Moysé legimus:

Deuter. 30. 11. *Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cælo situm, vt possis dicere, Quis nostrûm valet ad cælum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, atque opere compleamus?* Disertè affirmat Moyses, mandatum & legem nõ fuisse à Iudæis ita procul positum, vt opere compleri nequeat. Affirmat, non esse quod cogitent quasi in cælum esse conscendendum, *vt illud opere compleant.* Cui dicto Mosaico addit hîc Apostolus, veluti eius causam & rationem à spiritualibus iam Iudæis non ignoratam, *Id est Christum deducere.*

Gratiæ Christi ad seruandã legem negatio Christum incarn. negat. Hoc est, id esset Christum incarnatum negare, & iterum è cælo euocare. Christi quippe nunc incarnati & olim incarnandi fides illum gratiæ Spiritum adfert, quo lex impleatur. Prosequitur adhuc ex Moyse Paulus: *aut quis descendet in abyssum?* quod apud Moysen verba præallegata continuantem sic legimus:

Deuter. 30. 13.

Neque

que trans mare positum, vt causeris & dicas, Quis nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos usque deferre, vt possimus audire & facere quod præceptum est? Quæ verba sub alia metaphora eandem sensum habent cum prioribus, videlicet ne causentur Iudæi legis, quam accepérant, obseruandæ difficultatem aut impossibilitatem, quasi illam opere complere, res esset ab illis remotissima; veluti quæ transmarina sunt, ad obtinendum difficiliora esse solent. Quod *abyssum* hîc Paulus vocat, apud Moysen mare vocatur. Ad hanc igitur secundæ querimoniæ metaphoram iterũ subingit Paulus: *Hoc est Christum à mortuis reuocare*, id est, Christi resurrectionem in dubium vocare; quando ille *sicut mortuus est propter delicta nostra, ita resurrexit propter iustificationem nostram*; videlicet, *vt iustificatio legis impleretur in nobis*, sicut paulò pòst idem Apostolus loquitur. Hac igitur duplici, quam remouet Moyses, querimonia concisis verbis ab Apostolo recitata, & vtriusque absurditate ab Apostolo reiecta, pergit Apostolus in sequentibus Moysi verbis, quæ propriè ad rem præsentem faciunt, proferendis. *Sed quid dicit Scriptura?* scilicet, Moysaica loco eodem: *Prope est verbum tuum in ore tuo, & in corde tuo.* Vel, vt apud Moysen legimus, *Sed iuxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo* (vbi 70. interpretes addunt, *& in manibus tuis*) *vt facias illum.* id est, Sermo seu mandatum quod ego

Rom. 4.

Rom. 8.

Deutet. 30. 14.

Mandati facilitatē docet Moyses.

præcipio tibi, siue tota hæc lex mandatorum, totus hic sermo, *est valde iuxta te*, id est, valde facilis tibi est, *vt facias* & opere compleas illum; (hebraismus est, quo ea iuxta nos esse dicuntur quæ præstò nobis sunt, quáque in potestate nostra posita) *tum in ore tuo, tum in corde tuo*; non solùm vt profiteari te facturum, sed & verè ac sincerè facias. Apostolus verò, volens ostendere vnde hæc facilitas & promptitudo exequendi legem iuxta Moysen in Iudæis erat, addit: *Hoc est verbum fidei quod prædicamus*, id est, hanc ex fide iustitiam, qua lex suauiter & faciliter impletur, prædicamus. Illam ex fide iustitiam, quam Moyses hic Iudæos olim docuit, nos quoque docemus & prædicamus. Neq; enim quum Moyses hæc Iudæis dicebat, existimādum est eum ita dixisse, quasi ex solo naturæ beneficio mandatum tam iuxta Iudæos esset, tam vicinum tam propinquū, tam facilè, tam præstò ad exequendum: sed hoc totum dixit Moyses *de iustitia ex fide*, & ex dono Dei.

Sed dicat aliquis: Vnde constat hoc sensū Moysen ista dixisse? Neque enim aliquid in Moyse sequitur de Dei dono, aut de gratia Spiritus quæ credentibus datur. Imò quæ apud Moysen sequuntur, nihil nisi liberam eorum voluntatem ad obsequendum legi informant. Verum sanè hoc totum est: attamen in eodem capite, & verbis paulò præcedentibus, hanc Dei gratiam, quæ facit mandatum

Dei gratiā qua mandatum fit facile, docet Moyses.

rum ita iuxta nos esse, ita facile, suaue, ac iucundum, Moyses disertè expressérat. *Circumcidet* (inquit) *Dominus cor tuum, & cor se-* Deuter. 30.6
minis tui, vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, vt possis viuere, id est, vt diligendo Deũ, facias legẽ; & *faciendo legem, viuas in ea.* Hæc videlicet est *circumcisio* Rom. 2.
cordis in spiritu, cuius laus non ex hominibus sed ex Deo est. Hæc est propriè gratia Christi, non Phil. 3. 3.
lex data veteribus quàm nobis. *Nos sumus circumcisio* (ait alibi Paulus) *videlicet spiritu, non carne, qui spiritu seruimus Deo.* Huiusmodi igitur Iudæis iam corde circũcisis, Deumq; toto corde diligentibus, loquens Moyses, verissimè dixit: *Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo.* In illis quippe erat *verbũ fidei quod nobis prædicamus*; in illis erat gratia Christi, & *iustitia ex fide*, non ex lege tantùm. Vnde hæc verba de circuncisione cordis, quam Moyses scripsit, tractans B. Augustinus, ait: *Conuersus quisque, sicut ibi præcipitur, ad Dominum* De nat. & grat. c. 69.
Deum suum ex toto corde suo, mandatum Dei non habebit graue. Quomodo enim est graue, quum sit dilectionis mandatum? Aut enim quisque non diligit, & ideo graue est; aut diligit, & graue esse non potest. Hæc ille. Denique totum hunc præsentem Apostoli locum sapienter expendẽs idem alibi clarissimus Doctor, ita scribit: *Ideo proponitur iustitia legis, quòd, qui fecerit eam,* De Spir. & lit. cap. 28.
viuet in illa; vt cùm quisque infirmitatem suam agnouerit, non per suas vires, non per literam ip-

sius legis (quod fieri non potest) sed per fidem conci-
lians iustificatorem, præueniat, & faciat, & viuat
in ea. Opus enim, quod qui fecerit, viuet in eo,
non fit nisi à iustificato. Iustificatio autem ex fide
impetratur: de qua scriptum est, Ne dixeris in corde
tuo, Quis ascendet in cœlum? hoc est Christum deduce-
re. Aut quis descendet in abyssum? hoc est Chri-
stum à mortuis reducere. Sed quid dicit? Prope est
verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est (inquit)
verbum fidei quod prædicamus: quia si confiteris
in ore tuo quia Dominus est Iesus, & credideris in
corde tuo quia Deus illum suscitauit à mortuis, sal-
uus eris: intantum iustus, inquantum saluus. Per
Regeneratio duplex. *hanc enim fidem credimus, quòd etiam nos Deus à*
mortuis excitet interim spiritu, vt in nouitate vitæ
gratiæ temperanter, & iuste, & piè viuamus in hoc
seculo: pòst etiam in carne nostra ad immortalitatem
resurrecturi: quod meritum Spiritus est, qui eam
in resurrectione sibi congrua, hoc est, in iustificatione
præcedit. Hæc ibi Augustinus. Docet, iuxta explicationem à nobis præmissam, legem quidem proponi, non quòd ea propositâ & audita quenquam ad iustitiam, id est, ad legis obseruationem perducat; sed vt nostra per legis literam occidentem, non viuificantem, infirmitate perspecta, *per fidem in Christi conciliemus iustificatorem*; id est, eum nobis propi-
Rom. 4. tium faciamus, *qui solus iustificat impium*, & a iustificato legem impleri facit, vt viuat in ea. denique hoc isto loco Moysen & Paulum docuisse, legem ideo *esse iuxta nos* iam credentes

tus in Christum, quia credentibus datur nouitas gratiæ, vt iustè ac piè viuamus. Ita hic maximè locus iustitiam bonorum operum docet, sed quæ ex fide fiat, non ex sola audita & cognita lege. Hic huius loci sensus perspicuus atque germanus est.

Nunc, vt Caluinus hunc locum tractet, videamus. *Vt appareat* (inquit) *quantopere inter se pugnent iustitia fidei & operum iustitia, eas primùm inter se confert. Comparatione enim magis elucescit repugnantia quæ est inter res contrarias.* Hæc prima eius impostura est, eáque duplex, qua lectorem fallit. Non confert inter se Apostolus *iustitiam fidei, & iustitiam operum*; sed iustitiam ex fide, & *iustitiam quæ ex lege est*: quæ quantum à iustitia operum & iustitia legis differat, iam ex Augustino explicatum dedimus. Tum non hæc duo inter se confert veluti contraria aut repugnantia, sed vt diuersa, & veluti perfectum ab imperfecto distinguit, alteriusque præ altera excellentiam docet. Vox enim illa legalis, *Qui fecerit legem hominem, viuet in ea*, non est vox falsa aut mala, aut ad veram iustitiam impertinens (nam & Christus in Euangelio ita loquitur, *Hoc fac, & viues*) sed est vox adhuc imperfecta aut insufficiens ad veram iustitiam consequendam sine gratia & fide Mediatoris. *Israel, sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit. Quare?* An quia legem iustitiæ sectabantur, quasi hoc per se malum aut impertinens esset ad veram

Caluini impostura duplex.

1.

2. Iustitia ex lege non est contraria iustitiæ fidei.

Luc. 10.

iustitiam? Nihil minùs, sed quia malo modo sectabantur. Audiatur Apostolus. *Quia* (inquit) *non ex fide, sed quasi ex operibus*, id est, (ait B. Augustinus) *tanquam hanc legem iustitiæ per semetipsos operantes, non in se credentes operante Deum. Cur enim hoc dixerit, ipse Apostolus apertissimè exposuit dicens, Ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* Iustitiæ ergo fidei contraria est ipsa iniustitia: sedà iustitia fidei abest & deficit, qui humanam solùm iustitiã ex solis operibus sine fide & gratia Mediatoris exercet. *Aliud est non iustificari* (ait alibi Augustinus) *aliud non iustificari apud Deum. Qui omnino non iustificatur, nec illa seruat quæ temporale habent præmium, nec illa quæ æternum: qui autem in operibus iustificatur* (absque fide & gratia Mediatoris) *non apud Deum iustificatur, vt de Abraham dictum est ad Rom. 4. quia temporalem inde expectat mercedem, sed tamen etiam ista quædam, vt sic dicam, terrena est carnalisque iustitia.* Hæc rursum Augustinus. Iustitia igitur ex lege, quã homo ex sola doctrina legis suis naturæ viribus quoquo modo exequitur, non est mera iniustitia, væraq; ex fide iustitiæ contraria, sicut malum bono, sed est ab eo diuersa, imperfecta, & insufficiens ad iustificationem coram Deo. Dupliciter igitur Caluinus in primis his suis verbis lectori imposuit, sed grauiùs in eo quod priùs posuit.

De Spir. & lit. c. 28.

In epist. ad Gal. cap. 3

Pergit Caluinus: *Agit autem Paulus non Prophetarum*

...phetarum oraculis, sed ipsius Mosis testimonio, ob hanc vnam causam, vt intelligerent Iudæi non esse ...dum à Mose legem quæ ipsos in operum fiducia detineret, sed quæ ad Christum potius duceret. Nam quamsi Prophetas sanæ sententiæ citasset, hærebat tamen hic scrupulus, cur lex aliam iustitiæ formulam prescriberet. Hunc ergo optimè discutit, quum ex ipsa legis doctrina stabilit fidei iustitiam. Hoc totum ijsquæ nuper attigimus, ipsique veritati conforme est. Sed nunc venena aspergit ille. *Perrò quòd Paulus consentientem facit legem cum fide, & tamen illius iustitiam huius iustitiæ opponit, eius est intelligenda ratio.* Animaduertit nempe Caluinus id quod nuper dixerat, *Apostolum iustitiam fidei & iustitiam operum inter se ita conferre, vt appareat quantopere inter se pugnent,* absurdum inprimis hoc nomine videri, quòd Paulus ipse in hac eadem epistola *consentientem facit legem cum fide*: nempe in fine cap. 3. vbi dixit: *Quid ergo? legem per fidem destruimus? Absit: sed legem statuimus.* Hanc igitur veram & magnam absurditatem (quomodo enim inter se pugnant, quæ ita consentiunt, vt vna per alteram statuatur, lex per fidem impleatur?) remouere cupiens Caluinus, eam proponit, & eius rationem intelligendam esse ait. Vide nunc & attende, lector, an vllam eius rationem, quam intelligis, proferat. *Lex* (inquit) *bifariam accipitur. Nunc enim significat vniuersam doctrinam à Mose proditã, nunc partem illam quæ ministerij eius propria erat; quæ scilicet*

Lex cum fide consentit.

præceptis, præmijs, & pœnis cõtinetur. Demus Calvino hanc distinctionem, vt lex mãdatorum & ceremoniarum ad Moysis ministerium propriè pertineat, & lex Mosaica propriè dicatur: quod sanè quo ad literã forinsecus docentem, iubentem, terrentem, verissimum est. Quomodo ad rem præsentem hãc distinctionem (quam multis verbis prosequitur) accommodet tandem, atque concludat, videamus. *Quod ergo* (inquit) *de iustitia legis hic dicitur, referre conuenit non ad totã Mosis functionem (quæ totam pietatis regulam, ipsamq; fidem & pœnitentiam populum erudiebat) sed ad partem istam quæ peculiariter ei commissa fuit, quæ præceptis, & præmijs, & pœnis continetur, quæ restrictè legis nomen habet, & secundùm quam tacitè opponitur Moysi Christo: vbi Ioannes dicit, Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Christum facta est.* Placet inprimis hæc Caluini distinctio, & distinctionis factæ resolutio. Sed obiectioni propositæ Rom 3. neutra satisfacit. Paulus enim quando legem facit *consentientem fidei*, dicens, *Legem per fidem non destruimus, sed statuimus*, prorsus de lege loquitur strictè accepta, propriè Mosaica, de lege, inquam, mandatorum, *quæ præceptis, præmijs, & pœnis continetur*; quod ipsemet Calvinus eodem in loco his verbis affirmat: Ad Rom. 3. 31. *Hanc Pauli excusationem, quòd legem per fidem non destruit, sed statuit, neque de ceremonijs seorsim, neq; de mandatis (vt vocant) moralibus, sed in vniuersum de tota lege accipio.* Paulus ergo dum legem fidei

consentiente facit, de tota lege mandato-
loquitur, tã ceremoniali quàm morali.
eamque enim Christus impleuit per gra-
quam dedit, & veritatem quam fecit.
legem mandatorum per Moysen datam, sua
ritia facit impleri : legem ceremonialem
per Moysen latã, præstita in suo corpore ve-
tate impleuit. Si ergo tota lex mãdatorum
tota iustitia legis per fidem Christi statui-
ra roboratur, manet illa absurditas, *iusti-
tia legis & iustitiam fidei inter se pugnare.* Sed,
ut latiùs ostensum est, inter se ista duo non pu-
gnant : ea inter se pugnare affirmauit absur-
de Caluinus; & absurditatem recognoscens,
eam diluere non valet.

Gratia & veritas quomodo per Christum.

Difficultatem à se propositã Cal. nos soluit.

Hæc præfatus ad textum venit. *Nunc* (inquit) *ad verba ipsa venio. Ex verbis Moysi Leuit. 18. Qui fecerit ea homo, viuet in ipsis, Paulus sic arguit: Quum nemo iustitiam à lege præscriptam consequatur, nisi qui exactè omnes eius partes impleuerit, ab ea autem perfectione omnes homines semper longè abfuerint; frustra quis ad salutem hac via contendat. Perperam ergo fecit Israel, qui legis iustitiam sperauit se posse adipisci, à qua omnes excludantur.* Vide, Lector, quomodo Scripturam Apostolicam hæretici deprauant, quomodo ad sua placita eam impiè contorquent. Aduerte quàm multa hîc Paulo affingit in hoc textu Caluinus, quorum nullum in textu vestigium apparet. *Paulus* (inquit) *sic arguit.* Mentitur: Paulus hoc non arguit. Neminem

Paulo multa affingit Caluinus. Mend. 1.

nem in hac vita iustitiam à lege præscriptam consequi, nisi qui exactè omnes eius partes impleuerit, nec Paulus hoc loco dicit, nec verba Mosaica à Paulo citata dicũt. Verba Moysis, vel potiùs Dei apud Moysen, hæc sunt: *Custodite leges meas atque iudicia, quæ faciens homo viuet in eis.* Populum illum Dei leges atque iudicia facere oportere, & illa faciendo victurum per ea, Deus dicit. Deer. acta impletione, aut sine exacta impletione iustitiam neminem consequi, hęc verba non dicunt. Facit Dei leges ac iudicia, eaque faciens viuit in eis, iustificatur per illa, qui illa præstat sicut ea præstari oportet, sicut ab humana fragilitate ea præstari Deus iubet. Exactam per omnes partes adimpletionem in sensu Caluini, qui etiam quodliber prauum desiderium sine vllo consensu in mente exortum pro transgressione legis mortifera reputat, nec hic locus nec vlla alia Scriptura præscribit. Hoc eius de Paulo primum mendacium est.

Leuit. 18.

Legẽ facere iubemur, non exactè per facere.

Mẽdac. 2.

Sequitur crassius ac fœdius. Ait Paulum hîc arguere, *à perfectione legis, qualem Moyses hîc docet, omnes homines semper longè abfuisse.* Magnum & impium mendacium. Nam ne longè abeamus, hoc ipso in loco apud Moysen sic Deus populum suum alloquitur: *Facietis iudicia mea, & præcepta mea seruabitis, & ambulabitis in eis. Ego Dominus Deus vester:* supple, quo iubente & iuuante illa præstabitis. Sed con-

Leuit. 18. 4.

tra

hoc impium Caluini mendacium super his Apostolorum latè disputauimus. His Act. cap. 15. 10.
bus mendacijs superstructa conclusio ruat necesse est. Non ideo perperam fecit Paul, quòd legis iustitiam sperabat se posse adipisci; sed ideo perperam fecit, quia ex ea doctrina legis absq; fide & gratia Christi eam sperabat se posse adipisci; *quia non ex fide quasi ex operibus sectabatur legem iustitiæ*, quod nuper explicatum dedimus.

Pergamus cum Caluino. *Vide* (inquit) *quomodo Paulus à promissione ipsa arguat, nihil eam nobis prodesse, propter conditionem scilicet impossibilem.* Iterum mentitur, Paulum à promis- Mēdac. 3.
sione arguere, legem nihil nobis prodesse. Sic argueret Paulus, nihil aliud quàm promissionem esse fallacem, ridiculam, inanem, ipsa promissione argueret. Promissio de lege sic habet: *Qui fecerit eam homo, viuet in ea.* Iam qui ex ea sic arguit, Faciendo eā nemo viuet ex ea, quia facere legem nemo potest, ipsone ille ipsam promissionem fallacem, inanem, ac ridiculam faciet? Quæro à Caluino & Caluinistis omnibus, an hæc promissio inanis, ridicula, ac fallax non est, Qui euolat in cælum homo, euolando penetrabit illud, quia illuc euolare nemo mortaliū potest? An Dei promissiones toties in Scripturis repetitas huiusmodi fallaces, inanes, ac ridiculas promissiones facimus? An Paulū sic ex promissione arguere cogitabit

Promissionē Dei fallacē & ridiculā Cal. facit.

bit sanus quispiam? Imò B. Paulus disertis-
Rom.7. 10. & 12. simè affirmat, *mandatū esse sanctum & bonum, & datū ad vitam*; legisq; conditionem impossibi-
Rō.13.8. lē adeò non facit, vt disertè scribat, *Qui diligit proximū, legem implēuit*. De quibus eius verbis paulò pòst dicendum erit. Liquida ergo & manifesta est Caluini impietas, qui *ex ipsa Dei promissione arguere Paulum* ait, *illam Dei promissionem nihil prodesse, quia conditio promissum annexa impossibilis est*. Sanè si promissio aliqua magnæ mercedis propter conditionem impossibilem annexam inanis & inutilis foret, hæc eius inanitas non à promissione facta, sed à conditione annexa, inanis atque inutilis argui deberet. Causa, inquam, & ratio cur talis promissio nihil prodesset, non ab ipsa promissione, sed à conditione annexa petenda foret. Verbi gratia: Promittit pater hæreditatem filio, ea conditione vt regnum adiacens patris imperio subijciat. Hæc promissio propter conditionem annexam filio impossibilem nihil filio prodest. Sic in causa præsenti, quum conditio annexa non vitio promittentis, sed vitio illorum quibus promittitur vita, impossibilis reddatur (vt hæretici impiè supponunt) certè vt Deus promittens ab omni temeritatis specie ac suspicione liberetur, (promittere enim quod nunquā præstandum scias, in quouis homine temeritatis suspicionem & speciem habet) à conditione annexa arguere potuit Paulus, ab ipsa promis-

missione arguere non potuit Paulus. Sed
rditatis Caluinianæ demonstrandæ nul-
est finis.

Vide tamen, Lector, quàm multa, quàm Caluinus ex vno absurdo multa cõcludit.
ter, ex hac vna breui & concisa sententia,
varia absurditate grauida, concludit.
Quem ergo (inquit) *futilis argutiæ est, promissio-*
nes legales citare ad statuendam operum iustitiam!
Nam ijs enim manet nos certa maledictio: tantum
abest vt inde ad nos salus perueniat. Quo putidior
impudentiæ Papistarum, quibus satis est ad proban-
dam meritorum nudas promissiones arripere. Non frustra
inquiunt) vitam suis cultoribus promisit Deus:
illi interim non vident, ideo promissam esse, vt omni-
bus mortis terrorem incuteret suarum transgressio-
num sensus: atque ita defectu suo coacti, ad Chri-
stum confugere discerent. Fallax, & insidiosa,
vanâ impostura & nequitiâ hæc tota oratio
plena est. Primùm, illatio vana ac nulla est,
quia ex antecedente vanitatis ac dementiæ
pleno concludit. Deinde, ad statuendam
operum iustitiam, quoad eorum executio-
nem possibilẽ, non citantur legales promit-
missiones, sed legis præcepta. Legales pro- Promissiones legales mercedẽ probãt non executionem legis.
missiones ad statuendam mercedem bono-
rum operum citantur. Credimus enim pro-
nenti Christo: *Si seruaueritis præcepta mea, ma-*
nebitis in dilectione mea. Credimus promittenti Ioan. 15.
Paulo, *Si compatimur, & conglorificabimur*; & Rom. 8.
rursum, *Si Spiritu facta carnis mortificaueritis,* 13.17.
viuetis. Credere debuerũt Iudæi Deo promit-
tenti,

Esai. 1.19 tenti, *Si volueritis, & mandata mea seruaueritis; bona terræ comedetis.* Promissiones legales mercedem respiciunt ipsis operibus designatam. Illa promissio, *Qui fecerit legem, viuet in ea*, nō ipsam operum iustitiam quoad executionem, sed iustitiæ operum mercedem aut certè fructum respicit, vitam videl. seu temporalem, quia pœnam trāsgressionis euadit, seu potiùs æternam, quæ bonis operibus in Scripturis promitti solet; seu etiam spiritualem, vt sensus sit, Viuet vita iustitiæ, vt iustus coram Deo habeatur. In his omnibus aut merces aut fructus iustitiæ operum, non ipsa executio possibilis ex hac promissione legali colligitur. Ad statuendam ergo operum iustitiam possibilem, non huiusmodi promissiones legales (quæ nisi præmium proponunt, & forinsecus docent) sed aliæ promissiones Euangelicæ citari solent ac debent. Quales illæ sunt: *Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri; & auferam cor lapideū de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini.* Ad statuendam operum iustitiam quoad eius executionem possibilem, imò facilem, hæc citatur Dei promissio, non legalis, sed Euangelica. Similem quoque habet Ieremias de propria gratia filiorum noui Testamenti, vt Paulus ad Hebræos, eandem proferens, disertè docet: Hoc

Leuit. 18.

Iustit. operum possibilis ex quibus promissionibus.

Ezech. 36. 26.

Hebr. 8. 8. Ierem. 31. 33.

pactum quod facia cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam; & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Fallit igitur facile & impiè lectorem Caluinus, qui ad stabiliendam operum iustitiam quoad executionem possibilem, legales promissiones citari affirmat. Dixerit aliquis: Citatur ergo saltem præcepta legis ad stabiliendam operum iustitiam possibilem, & concludere solemus non esse impossibile quod Deus præcepit; ex ijs autem quæ Caluinus disputat, hāc collectionē refelli. Subiungit enim: *cum istis manere nos sub maledictionem; ideoque putidos esse Papistas, quòd satis est ad probanda merita nudas promissiones arripere*: legales videl. Sequitur enim: *Non frustra* (inquiunt) *vitam suis cultoribus promittit Deus.* Moxque addit: *Sed interim non volent ideo promissam esse* (legis cultoribus vitam) *vt omnibus mortis terrorem incuteret suarū transgressionum sensus; atque ita defectu suo coacti, ad Christum confugerent.* Hæc Caluinus. Cui respondeo: Cum solo præcepto legis, vel cum sola promissione vitæ aciustitiæ seu salutis (vt sic tam nunc cum Caluino intelligamus) stat adhuc certa maledictio, nisi ad Christū confugiatur; quia quod lex fieri iubet, & factoribus legis promittit, seu mercedem seu fructum seruatæ legis, hoc totum à gratia Christi promanat, quæ suo Spiritu facit impleri legem; & sic impleri, vt iustificet, iustum ac

Præceptū legis non facit legē possibilē.

rectum coram Deo illum constituat, qui ex Christi gratia legem seruat. Ac mentitur quidē apertè Caluinus, qui ait, *Papistus ad probanda merita nudas promissiones legales arripere*, quasi ex illis solis operum iustitiam ac merita statuerent, nec homines, qui legalia illa audiūt, ad Christum confugere docerent. In hoc apertè calumniatur. In eo autem quod addit, *ideo promissam esse legis cultoribus vitam, vt omnes terrore mortis perstricti, & suarum transgressionum conscij, ad Christum confugerēt*, lectori molliter imponit, eúmque mellitis verbis intoxicat. Apud Caluinum quippe, confugere ad Christum, nō est gratiam Christi per fidem implorare, qua lex impleatur, non est habere *Spiritum Christi in medio cordis, qui faciat* credentem *in præceptis Dei ambulare*, quem per Ezechielem se daturum Deus promisit; non est habere *leges Dei scriptas in cordibus*, vt simus *epistola Christi scripta Spiritu Dei viui in tabulis cordis carnalibus*, id est, mollibus, & ad ductum diuini Spiritus flexilibus; denique non est esse *nouam creaturam in Christo, quæ creamur in illo in operibus bonis, quæ Deus præparauit vt ambulemus in illis* (quæ omnia iustitiam operum statuunt quoad eius executionem possibilem, imò facilem ac suauem) sed est, vt manente perpetua legis transgressione (quæ videlicet impleri à nemine potest, quicquid de Spiritu Dei & gratia Christi Scriptura dicat) sola Christi iustitia, & quæ in illo personaliter

Legalis promissio sola non statuit meritum.

Mellitum Caluini toxicum.

Ezech. 36. 26.

2. Cor. 3. 3

Gal. 5.

Ephes. 2. 10.

Ad Christum confugere in sensu Caluini.

liter fuit, per fidem apprehensa, credentibus imputetur. Hoc sensu iuxta Caluinum ad Christum confugere, legis promissiones & comminationes docent, non vt lex à quoquam impleatur, sed vt solo Christo contentus quisque legem impleri à nemine posse omnissimè credat: quod quum crediderit, legem inane terriculamentum post tergum reiiciat. Hæc est hoc loco Caluini pestilens & venenata doctrina, fuco & colore *confugendi ad Christum* artificiosè incrustata. Tenemus interim cur nec ex solo præcepto nec ex promissione legali operum iustitiâ quoad eius executionem possibilem statuimus, sed ex promissionibus gratiæ. Solum quidem Dei præceptum legem nõ esse impossibilem conuincit, quia cogitari non debet, Deum bonum & iustum impossibilia præcipere: sed ratum non solum præceptum facit legẽ Dei possibilem, quia cogitari non debet, ea quæ Deus fieri præcepit, sic præcepisse, vt ea per nos ipsos absque eius adiutorio præstare valeamus: sed vt sapienter Augustinus scripsit, *quòd iubendo admonet & facere quod possumus, & petere quod non possumus.* Et iterum alibi: *Eo ipso quo firmissimè creditur, Deum iustum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Omnia quippe facilia sunt charitati, cui onus Christi sarcina leuis est.* Dicit pater filio, Da operam literis strenuam, & te præ cæteris liberis dili-

De nat. & grat. c. 43. Ibidem cap. 69.

ris diligam, te hęredem meum constituã. Hic filius, qui absque liberalitate paterna literis operam dare nón potest, de patris ita iubentis ac promittentis liberalitate ac subsidio perpetuo nihil dubitabit. De eo nõ dubitans strenuam literis operam nauabit. Idem de iubente ac promittente Deo credere, si nõ humana ratio, certè Scriptura nos docuit, quæ *Dei Spiritum, vt ambulemus in præceptis Dei*, tam luculenter, tam frequenter nos docuit. Dei igitur præceptũ solum tametsi non facit impleri legem, admonet nos tamẽ & conuincit, legem Dei non esse impossibilem, quia docet nos, eum, qui præcepit facere, vires & adiutoriũ gratiæ daturũ vnde fiat. Sic lex est pædagogus ad Christũ, eiusque gratiã. Sic ex ipso præcepto & promissione Dei, qua legis suę cultoribus vitam promittit, colligimus, hoc Deũ non frustra promisisse, sed & quod promisit, indubitanter præstiturũ; & quod ad obtinendã promissionẽ præcepit, vt id de facto exequamur, suæ gratiæ adiutoriũ, Spiritũ gratiæ suæ nobis largiturũ. Hæc hactenus contra Caluini corruptelas circa vocẽ illã legalẽ ab Apostolo citatam, *Qui fecerit homo, viuet in ea.*

Ezech. 36. Ierem. 31. Rom. 2.

Lex quomodo pędagogus ad Christum.

Nunc quid circa alteram *de iustitia ex fide* partem ad veritatem orthodoxam labefactandam adfert, dispiciendum est. *Hic* (inquit) *locus eiusmodi est, qui lectorem non parum torquere possit, idq; duabus de causis. Nam & impropriè vrgetur à Paulo detortus, & verba ipsa in alienum sen-*

sum

tum commutata: *sed de verbis postea videbimus; verbis animaduertamus ad applicationem.* Diligentem & veri studiosum interpretem agere videtur. Sed quàm egregiè impostorem agat, Deo dante aperiemus. *Locus est* (inquit) *Deuteron.30.12. vbi, quemadmodum in superiore, de legis doctrina loquitur Moyses, Paulus autem ad Euangelicas promissiones trahit.* Aduerte Lector. Moses quidem in illo capite de legis doctrina loquitur, quia de præmio & mercede agit obedientiæ mãdatorum Dei. Sed in verbis à Paulo citatis legis doctrinam non tradit, nec præceptũ dat, nec præmium aut pœnam comminatur (quibus omnibus *legale ministerium contineri* definit Caluinus) sed promissionis gratiam Euãgelicam illis tradit, quia cordis circunciſionem ſpiritualem, & exequendi diuini mandati facilitatem ac promptitudinem (quæ propriè ad Euãgelicam gratiam pertinet) Iudæis exponit. Quam non ea Paulus ad gratiam Euangelicam trahit, neque locus hic à Paulo detortus est (vt Caluinus improbè fingit) sed iuxta mentem Moyſis literam Moſaicam tractat, & verba planè Euangelica ad gratiæ Euangelicæ doctrinam accommodat. Nunc tamen, vt fictitiam hanc Pauli detorſionem excuſet Caluinus, videamus. *Hic* (inquit) *nodus sic bene expedietur. Moses facilitatem illic ostendit perueniendi ad vitam, quia iam Dei voluntas Iudæis occulta non est, nec longè disita, sed sub aspectum po-*

Gratiam Euangelicã Moſes docuit.

sita. Fallit iterum Caluinus. Non facilitatem perueniendi ad vitam directè & immediatè, sed facilitatẽ exequẽdi mandatum ostendit hîc Moyses. Ait enim: *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cælo situm, vt possis dicere, Quis nostrûm valet ad cælum ascendere?* &c. Rursum hanc facilitatem siue perueniendi ad vitam, vt Caluinus fingit; siue exequẽdi mãdatum; non in eo ponit Moyses, *quòd iam Dei voluntas illis occulta non est*, sed quòd, *circuncidente Deo cor eorum vt diligerent Deum*, ita demum beneficio circunciſionis ſpiritualis & dilectionis Dei (quæ aufert cor lapideum, durũ, immorigerum, & facit cor carneum, molle, *ad omne opus bonum paratum*) mandatum hoc *propè esset in ore eorum, & in corde* eorum (*& in manibus eorum* iuxta lectionem 70. Interpretum) *vt facerent illud.* De executione mandati loquitur, non de cognitione voluntatis Dei per mãdatum: quæ quidem notitia merè legalis est, & legis beneficio comparatur. Hoc posterius Caluinus ipse satis aduertit, ideoque sic prosequitur: *Si de sola lege* (scil. strictè accepta, vt antea distinxit) sermo esset, *frivolum fuisset argumentum; quum nihilo facilior sit facta lex Dei ante oculos posita, quàm si procul abesset:* (saltem sola legis notitia sine Dei gratia non facit legem facilem) *Ergo non solam legem designat, sed totam in genere Dei doctrinam, quæ Euangelium sub se comprehendit.* Vide vt iterum fallit Caluinus.

Deuter. 30. 11.

Caluini impostura egregia. Deuter. 30. 6.

2. Tim. 2. 21.

Deuter. 30. 14.

Ne

fateri cogatur de ipsa lege & mandato loquihîc Moysen, distinctione sua præmissa vsus, ait eum de tota in genere doctriloqui, quæ Euãgelium sub se comprehen-

Mandati executionem facilem Moyses docuit

it. Sed aduerte lector. Hæc verba, *Neque procul positũ, nec in cælo situm, vt possis dicere, Quis ascendet in cælum?* (quæ nunc Calvinus tractat) de ipso mandato quod præceperat illis Moyses, de ipsa lege iubente, promittente, comminãte, Mosen locutum fuisse, ipsa verborum aperta positio & constructio inuictè demonstrat. *Mandatum hoc* (inquit) *quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum*, &c. Falsum est igitur, in his verbis loqui Moysen de tota in genere Dei doctrina, cuius pars Euangeli um seu gratia Euãgelica est. Sed verò in sequentibus verbis, quibus hanc Iudæorum veluti obiectionem circa mandati difficultatẽ remouet, in illis (inquam) verbis, *Propè est verbum in ore tuo*, &c. doctrina Euangelica, gratia noui Testamenti docetur, non legale aliquid. Ita fallit egregiè lectorem Caluinus. Sed ideo fallit, ne, si hæc priora verba de ipsa lege, de ipso mandato, de obseruandi & faciendi mandati difficultate intelligãtur, necessariò consequatur id quod Moyses subiecit, *Propè est verbum in ore tuo*, &c. ad hanc difficultatem tollendam, & ad exequẽdi mandati facilitatem probandam, à Mose subiunctam fuisse. Ideo non vult hæc verba de ipso mandato

Impostũra Caluinianæ cautela.

dici (apertè contra textum) sed de vniuersa Dei doctrina, cuius Euangelium pars est. Aduerte nunc quomodo hanc tam apertam textus Moysaici inuersionem probare contendat. *Verbum enim* (inquit) *legis per se nunquam in corde nostro est, ac ne minima quidē eius syllaba, donec per fidem Euangelij inseritur.* Verissimum hoc est, ideoque Moyses tum præmiserat *de circumcisione cordis, & dono dilectionis*; tum subiunxit, *hoc verbum legis propè esse in ore & in corde, vt faciant illud*: beneficio videl. gratiæ, quam *fidem Euangelij* Caluinus vocat. Hoc si ita est, cur reluctatur Caluinus? Cur non agnoscit *iustitiam ex fide* (vt sine vlla deflexione optimè collegit Apostolus) & gratiam Euangelicam hîc à Mose prædicari, qua fit mandatum, *vt facias illud*. Aduerte Lector (vt Lutherani cuiusdam contra Caluinum verbis vtar) *quàm tortuoso reflexu & serpentinis gyris hic spiritus tenebrarum sese torqueat*, ne plenam hanc laudem Christi gratiæ concedere cogatur, inseri cordibus fidelium, eius beneficio, omnem Dei legem, vt opere compleatur. Sic sese nunc in alterā partem reflectit: *Deinde etiam post regenerationem verbum legis propriè in corde nostro non esse dicetur.* Mētitur ergo Moyses, mentitur Paulus, qui de ipso mandato & verbo legis dixerunt, *Propè est verbum in ore tuo, & corde tuo, vt facias illud.* Mentitus & tu quoque, Caluine, es qui *verbum legis per fidem Euāgelij in corde nostro inseri* iam iam fatebaris.

Deuter. 30. 14.

Aegidius Hunnius V Vittemberg. in libello, *Caluinus Iudaizans.* Caluinus serpens tortuosus

Sed

sed hic est reflexus eius serpentinus, & contra manifestæ veritatis lucem hæretica lucta. Loquare tandem, post ipsam etiam regenerationem nostram spiritualem, verbum legis in corde fidelium propriè non erit, vt fatuant illud? *Quia* (inquit Caluinus) *perfectionem requirit lex, à qua longè fideles quoque ipsi distant.* At hoc tuum, Caluine, mendacium est; diuinæ scripturæ hoc verbum non est. Vide, Lector, hæreticorum hodie summam impietatem. Quod apertè Scriptura dicit, Scripturam dicere nolunt; quia aliter se habent illorum placita, quàm Scriptura loquitur. Scriptura hîc apertè dicit, *Propè est verbum* (id est, mandatum legis, nam de eo Moyses loquebatur) *in corde tuo, vt facias illud.* Non est hoc verum, dicit hæreticus; & verbum legis sine mandatum legis non est propriè in corde nostro, quia (iuxta nostra placita) nec ipsi fideles seruant legem. Isti scilicet homines Euangelici sunt, isti Scripturam vt vnicam & perfectissimam omnis veritatis normam reuerentur, qui ad quodlibet ipsorum placitum firmandum audacter se Scripturæ opponunt. Non est verum (inquiunt) quod Scriptura dicit, quia nos aliter sentimus. *Verbum legis esse in corde regenerati & circuncisi spiritu fidelis, vt faciat illud*, non est verum; quia nostra sententia est, *legem à nemine posse impleri.* Agitur de dogmate grauissimo. Ideo paulò pluribus hunc locum

Hæreticorum summa impietas circa S. Scripturas.

premo. Pergamus adhuc cum astuto isto serpente, & *vt torqueat sese atque in gyros conuoluat hic coluber* (Lutherani aduersus Caluinum verbis iterum vtor) videamus. *At verbum Euangelij in corde sedem habet, etiamsi cor non impleat.* An non vides, lector, alium tortuosum reflexum? Si enim verbum legis per fidem Euangelij in corde nostro inseritur, & tamen in corde nostro verbum legis propriè non est; quomodo iam *verbum Euangelij*, seu fides Euangelij, *in corde sedem habet*, vbi verbum legis sedem non habet? Habet (inquit) verbum Euangelij sedem in corde, sed non plenam, quia cor non implet. Primùm, satis est quòd verbum Euangelij, seu fides Euangelij, seu gratia Euãgelica, seu Christi gratia, seu Spiritus regenerationis (hæc enim omnia idem valent) sedem in corde fidelis habeat, vt legem opere compleat. *Verbum legis propè est in corde tuo* (ait Moyses) *vt facias illud.* Et, *Qui fecerit legem, viuet in ea.* Sufficit ergo ad caulam præsentem quòd *verbum Euãgelij* (cuius beneficio *verbum legis cordi inseritur*) in ipso *corde* fideliũ *sedem habeat*, tametsi non impleret illud. Nunc autem cor fidelis etiã implet verbum Euangelij, seu Christi gratia, quod hæ in Scriptura voces docent: *Dilata os tuum, & ego implebo illud. Damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis. Qui diligit proximum, legem impleuit. Omnis lex in vno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut*

Gratia Euangelica implet cor.
Psal. 80. 11.
Rom 8. 4.
Rom 13. 8.
Gal. 5. 14.

tem ipsum. Christum habitare per fidem in cor- Ephes. 3.
dibus vestris. In charitate radicati & fundati, vt 10. Ephes. 5.
possimus in omnem plenitudinem Dei. Implemini 18.
Spiritu S. loquētes vobismetipsis in psalmis, & hym-
nis, & canticis spiritualibus. Denique hæc est
abundantia iustitiæ & donationis per Christum,
quam nuper contra Bezam ex Scripturis sta- Supra ad
tuimus. Sic *verbum Euangelij* non solùm *in* Rom. 5.
se fidē habet, sed & *cor implet*, vt lex impleat. 18.
Sed vtraque plenitudo talis est, quæ huic vitæ conueniat, quæ viatorum sit adhuc peregrinantium, non quæ beatorum sit, plenam illam puritatem, cui nihil adijci queat, comprehendentium.

Atqui verbo Euangelij cor impleri cur negat Caluinus? *Nam* (inquit) *imperfectionis ac defectus veniam offert.* Verissimū hoc est, quia perfectio aut legis impletio talis in hac vita non est, vt ei nihil adijci queat, vt nulla imperfectione, nullo defectu laboret, vt nihil sit quod venia indigeat. Omnis tamen ista imperfectio, omnis hic defectus, omnis hæc veniæ necessitas nihil impedit quò minùs & cor fidelium gratia impleat, & lex à fidelibus per adiutorium gratiæ impleatur, quatenus in hac vita cor impleri expediat, & legem impleri conueniat. Qua de re super dicta latiùs contra Caluinum egimus. Pergamus nunc cum Caluino suos iam gyros nō nihil explicāte, & paulò explicatiùs agēte: ita tamen, vt ad reflexus suos tortuosos

Imperfectione stā te lex impletur.

mox

mox rediturus sit. *Ac omnino* (inquit) *Moyses illo capite (quemadmodum & quarto) insignem Dei beneuolentiam populo commendare studet, ex eo quòd eum in suam disciplinã & magisterium susceperat: quæ commendatio à nuda lege sumi non poterat.* Verum hoc totum est, quia non solum nudum legis mandatũ in hoc capite Moyses proponit, sed præterea *cordis circunciſionem, & Dei dilectionem*; mediantibus quibus verbum legis non solùm foris sonabat quasi longè positum, résque supra eorum vires constituta, sed *prope eos valde erat, in ore & corde ipsorum, vt faciant illud.* An hoc nobiscum, imò cum ipsa Scriptura agnoscet Caluinus? Vide, lector,

Caluini gyri serpentini.

vt veritate cogente modò agnoscat, propria hæresi impellente; modò refugiat, atque in nouos rursum gyros sese conuoluat. *Nec obstat* (inquit) *quòd illic Moyses de vita ad legis regulam formanda concionatur.* Vidit ergo Caluinus hoc à Moyse in hoc capite agi, vt lex de facto seruetur, & opere compleatur. Sic enim & cap. 4. dixerat Moyses: *Scitis quòd docuerim vos præcepta atque iustitias, sicut mandauit mihi Dominus Deus. Sic facietis ea, & obseruabitis, & opere complebitis.* In vtroque capite de seruanda lege de facto, de vita ad legis regulam formanda, mediante gratia Dei & cordis circunciſione, concionatur. Hoc totum videt & agnoscit Caluinus. Sed ait, *hoc totum non obstare*, id est, non impedire quò minùs verum sit quod ille vult, legem

Deuter. 4. 5.

à nc-

neminem impleri, ideoque ex legis aut operum iustitia neminem vita viuere, neminem iustificari. Attende nunc quomodo, quod tam audacter affirmat, probet. *Nam* (inquit) *cum gratuita fidei iustitia cõiunctus est regeneratio Spiritus. Itaque alterum ex altero colligit, quia quæ obseruatio ex Christi fide est.* Hæc si vera sunt, si sunt verissima, profectò Caluinianæ doctrinæ, quòd nemo legem obseruat, & ex obseruatione legis nemo viuit, nemo iustificatur, maximum hîc obstaculum iniectũ est, maxima vis, imò certa pernicies illata est. Spiritus quippe regenerationis cum fidei iustitia coniunctus adeò facit legem, vt alterum ex altero necessariò consequatur, quia vt ipse iam Caluinus fatetur) *obseruatio legis in Christi fide est, cui iste Spiritus regenerationis semper coniunctus est.* Qui enim in Christum credunt, per Christi Spiritum regenerantur, renouantur, *noua creatura fiunt, creati in Christo in operibus bonis* (vel, vt Caluinus vertit, *ad opera bona*) *quæ Deus præparauit, vt ambulemus in illis.* Ita iam non solùm Scriptura attestante, sed & Caluino suffragante, *iustitia quæ ex fide est*, legis obseruationem coniunctam habet: quod adhuc magis prosequitur. *Nec dubium, inquit, est quin hæc sententia ex illo principio pendeat, Circuncidet Dominus cor tuum: quod paulò ante præfuerat eodem capite.* Pulchre admodum & egregiè confirmat, *obseruationem legis ex fide Christi fieri, cui Spiritus regenerationis coniunctus est,*

Legis obseruatio à Caluino agnita.

Gal. 5. Ephes. 2. 10.

est, quia (etiã ex Moysis sententia) *circuncidit Dominus cor fidelium suorum*, & Spiritu regenerationis purgat. Quid ad hanc nunc veram & liquidam confessionem tortuosus iste serpens? In quos nunc se gyros reflectet? Attende hominis audaciam. *Quare* (inquit) *nullo negotio refelluntur, qui Mosen illic de bonis operibus agere dicunt. Fateor id quidem esse verum: sed absurdũ esse nego, legis obseruationem ex suo fonte, hoc est, ex fidei iustitia deduci.* Hæc est tota hoc loco Caluini resolutiõ, in hunc tandẽ circulũ reuolutus his serpẽs cõquiescit. Cõcludit, *illos refelli, qui Mosen hoc capite de bonis operibus agere dicunt.* Moxque pedem referens, & in aliud se reflectẽs latus, *fatetur hoc verũ esse, quod Moyses de bonis operibus hîc agit.* Si verũ est, Mosen in hoc capite de bonis operibus agere, quomodo refelluntur qui hoc dicunt? Vel si refelluntur qui hoc dicunt, quomodo verum esse fateris quod dicunt? *Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?* Cæterùm Mosen de bonis operibus hoc capite agere, *vbi de vita ad legis regulam formanda* (ipso atteſtante Caluino) agit; *vbi de cordis circunciſione, vt Deus toto corde diligatur*, agit; vbi verbum *legis non procul positum, sed prope valde in ore & corde eorum esse* affirmat, *vt faciant illud*; adeò verum, clarum, & liquidum est, vt ipse Caluinus semel negans, eodem statim halitu pronunciare coactus fuerit, *Fateor id quidem esse verum.* Verum ergo & verissimũ hoc quum sit, quò

Caluinus vno halitu pugnantia dicit.

elaberis,

beris, Caluine, ne bonorum iustitia hoc
ro statuatur? *Absurdum* (inquit) *esse nego,*
gis obseruationem ex suo fonte, hoc est, ex fidei
stitia deduci. Rectè sanè istud absurdum esse
gas, negamus & nos; adeóque absurdũ esse
gamus, vt conuenientissimum planeque
cessarium esse credamus & affirmemus,
legis obseruatio ex suo fonte, hoc est, ex fidei iusti-
tia deducatur: vt (inquam) sine fidei iustitia, Legis obseruatio ex fidei iustitia deducitur
de Spiritu regenerante, sine cordis circun-
cisione, qua Deus toto corde diligatur, nulla
tenè obseruatio legis fiat quæ ad iustitiam
eram Deo faciat, & qualem facere oportet,
viuens legem viuat in ea. Sed sicut fontem
Caluinus agnoscit, ita riuulos ex fonte ma-
nantes cur non agnoscit? Sicut fidei iustitiã
prædicat, cur non & legis obseruationem ex
ea manantem profitetur? Bona opera, legis
iustitiam, obseruationem, adimpletionem,
non nisi ex hoc fonte agnoscimus. Hunc
fontem tam Paulus quàm Moyses hoc loco
designarunt. Huc ergo tota Caluini lucta, Caluini resolutio contra Cal. concludit.
tota concertatio, totus & tam varius eius
flexus ac reflexus recidit, vt bonorum ope-
rum iustitiam legisque obseruationem pror-
sus faceri cogatur, sed ex fonte iustitiæ fidei,
quod nemo illi Catholicus negat, quod om-
nes illi Catholici vltro dabunt.

Pergit iam ad verborum Pauli ex Mose explicationem, quæ, nisi cum Apostoli in-
iuria, & varijs adhuc sanæ doctrinæ corrup-

telis

telis coniuncta foret, omitti hoc loco potuisset: nunc prætermitti non debet. *Nunc* (inquit) *quærenda est verborum explicatio. Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cælum? Hoc est Christum deducere. Aut quis descendet in abyssum? Hoc est Christum ex mortuis reducere. Moses cœlum & mare nominat, tanquam loca remotiora & aditu difficilia.* Verum hoc est, quia difficultatis opinionem circa mandati exequutionem Iudæorum animis eximere voluit. *Paulus autem* (ait Caluinus) *perinde ac si aliquid spiritualis mysterij lateret sub his vocibus, ad mortem & resurrectionem Christi trahit. Si quis istam interpretationem nimis coactam & argutam esse causetur, intelligat non fuisse Apostolo propositum, Moysis locum anxiè tractare, sed ad præsentis causæ tractationem duntaxat applicare. Non ergo syllabatim recenset quid sit apud Moysen, sed expositione vtitur qua instituto suo testimonium Moysis propius accommodat. Ille de locis inaccessis locutus erat: Paulus ea loca expressit, quæ & ab aspectu nostro maximè omnium sunt abscondita, & fidei tamen nostræ respicienda sunt. Quare si per amplificationem vel per expositionem hæc dicta accipias, non poteris dicere quòd Paulus violenter aut importunè detorserit verba Moysis: sed potiùs fateberis, citra vllam sensus tacturam eleganter ad vocabula cœli & maris alluisse.* Tota hęc veluti apologia minimè necessaria erat, nisi quòd insidias struit Caluin. ad futuram textus Apostolici deprauationé. Paulus quidem Moysis verba syllabatim non rec en-

ensset: neque id Apostolo necesse fuit: nec ad vocabula cæli ac maris allusit, aut inde ac si aliquid mysterij sub his vocibus teret, ad mortem & resurrectionem Christi rba Mosis trahit. Sed Paulus vocabula *cæli* *maris*, quæ Mosis verba erant, simpliciter legat, tametsi breuius ac succinctius: plane in eodem sensu quo Moyses; videlicet docerat per iustitiam ex fide tolli difficultatem seruandi mandatum, vt non sit opus ea difficultate conqueri, quasi aut cælum conscendere aut mare transmeare debeant ad illud mandatum opere complendum. Quòd autem Paulus verbis Mosaicis interserit, *Hoc est Christum deducere*, non sic ea interponit, veluti aliquid mysticũ in verbis Mosaicis latens aperirent; sed ideo ea interposuit, vt illius querimoniæ Iudaicæ, quam ibi per hypotyposin commemorat Moses, absurditatem & indignitatem (maximè iam post aduentum Christi, in quem credere Iudæos oportebat) clarius demonstraret. Sic quippe nunc de mandati difficultate conqueri, nunc (inquam) accepta ex fide iustitia, nihil aliud esset, quàm Christum incarnatum, Christiq; à mortuis resurrectionem negare. Paulus igitur Mosis verba in priori membro nullo modo immutauit, in posteriori membro descensum in maris profundum ponit pro transfretatione maris (*abyssus* quippe mare, seu maris profunditatem, in Scriptu-

Paulus à sensu Moysis nõ defle-ctit.

ris passim significat) nec pro alijs inaccessis locis accipit quàm accepit Moses, nec denique vllum in illis mysticum latentem sensum reuoluit. Pergamus nunc cũ Caluino. *Simpliciter nunc* (inquit) *verba Pauli enarremus.*

Caluinia figmẽta Paulo attributa.

Quia duobus fundamentis salutis nostræ securitas incumbit, dum & acquisitam vitam intelligimus, & mortem deuictam, vtrumque per verbum Euangelij fidem suffultã esse docet. Christus enim moriendo mortẽ absorbuit, resurgendo vitam in potestatem suam accepit. Iam Euangelio mortis ac resurrectionis Christi beneficium nobis communicatur: ergo non est quòd vltrà quippiam appetamus. Itaque vt constet fiducia iustitiam abunde ad salutem sufficere, duo illa membra contineri sub ea docet, quæ sola ad salutem desiderantur. Hæc ille. Atqui non est hoc *Pauli verba simpliciter enarrare*, sed est sua somnia fraudulenter narrare. Nihil horum omnium in Pauli verbis apparet. *De salutis nostræ securitate* nec vnum hîc verbum, atque adeò nec tota hac epistola Paulus facit. Eius *securitatis fundamẽta* multò minùs exponit. Salutis quidem nostræ fundamenta hæc duo sunt, mors peccati, & vita iustitiæ, vt in sexto huius epistolæ capite latiùs ex Apostolo disputatum est. Quod de salute dicitur, ad salutis securitatẽ detorquet. Securitas salutis, qualem Caluinus somniat, in hac vita nulla est, tametsi *spes gloriæ* non desit. Nec Euangelij fide hęc spes, quam securitatem esse vult, Caluinus nititur: sed *vt spes ista non confundat, patientia in tribulatione*

Salutis fundamẽta in securitatis fundamẽtũ vertit Caluinus

Rom. 5. 2. Col 1. 27 Rom. 5. 4.

ne probatio facit, vt Apostolus docet, iterum
cens; *Si compatimur, conglorificabimur* Et quia Rō. 8. 17.
us non est, nisi qui in finem perseuerauerit, secu- Mat. 10. 22
in hac vita nemo, quantumlibet pius, esse
test. Deinde, de Christi morte Paulus in
is verbis (quæ se *simpliciter enarrare* impostor
Caluinus affirmat) nihil loquitur. *Christum è*
is deducere, non est Christi mortem quoquo
modo turbare, sed aduentum & incarnatio-
nem eius attingere. Iam verò mortis ac resur- Mortis Christi beneficium quomodo communicatur.
rectionis Christi beneficium non Euangelio
sensu Caluini, id est, solis promissionibus
Euangelicis, sed pœnitentia, fide, chari-
tate, baptismo, alijsque virtutibus ac Sacra-
mentis nobis communicatur, vt ter impium
ſ quod addit, *non esse quòd vltra Euangelicas*
promissiones aliquid appetamus. Tandem duo
hæc membra, Christi incarnationem & re-
surrectionem, Paulus hoc loco posuit, vt
doceat quidem *sub fidei iustitia illa contineri*, at-
que adeò ita contineri, vt constet nobis, *fidei* Fidei Iustitia quo modo abunde iustificit.
iustitiam abunde ad salutem sufficere, sed non vt
doceat hæc duo sola membra aut sola fidei
capita ad salutem desiderari: quando & mul-
talia necessariò credi debeant præter hæc
duo capita, & *fidei iustitia, quæ ad salutem abūde*
sufficit, omnia in vniuersum complectatur,
quæ, vt in Christo iustificemur, fides aut do-
cet, aut impetrat, aut promittit. Tam mul-
ta in his verbis falsa & inania effutiuit Calui-
nus, non Pauli verba simpliciter enarrans,

sed sua venena pestilenter instillans, quibus Pauli verba fraudulenter inuertat. Quod nunc vide quàm dextere faciat, suis veluti prolegomenis consequentem epitasin subijciens: *Quis ergo ascendet in cælum? tantundem valet, ac si dicas, Quis scit an nos hæreditas illa æterna & cælestis vitæ maneat? Quis descendet in abyssum? ac si dicas, Quis scit an mortem corpoream sequatur etiã sempiternus animæ interitus? Vtramque dubitationẽ docet esse fidei iustitia sublatã. Nam altera Christum è cælo deduceret, altera è morte reduceret. Christi enim in cælum ascensio fidem nostram de æterna vita sic firmare debet, vt Christum penè ipsum è cælorum possessione detrahat, qui dubitat an cæli hæreditas parata sit fidelibus, quorum nomine & causa illic ingressus est. Similiter q̃uum inferorum horrores subierit, vt nos inde liberaret; reuocare in dubium an adhuc huic miseriæ obnoxij sint fideles, est irritam facere eius mortem & veluti abnegare.*

Caluini figmenta textui Apostolico assuta.

Habes nunc, lector, totam huius loci tam prolixam tam accuratam Caluinianam deprauationem. Vides quã demum ob causam tam multa præfatus, tam diu parturiens, tam varium & versipellem impostorem egerit. Sanè vt hanc tandem absurdissimam & impiam textus Apostolici deprauationem, fœtum monstrosum, pareret. Totam Apostoli literam ad cælestis vitæ securitatem persuadendam, ad mortis sempiternæ periculum remouendum contorquet. Verum quidem est, qui negat reponi fidelibus vitã æternam,

aut

æ mortis æternæ periculum illis imminere
ur, Christi resurrectionem & ascensionem
rritam & inanem facere. Sed hac de re nec
Moyses in Deuteronomio nec Apostolus hîc
disputat. *De fidei iustitia* disputat Apostolus, quæ iustitiæ, quæ est ex lege, imperfectionem & debilitatẽ corrigat. Vult ex Mose docere, *finem legis ad iustitiam esse Christum omni credenti.* Vult ex Mose docere, Iudæos *Dei iustitiæ subiectos non fuisse*, quia suam ex sola lege iustitiam volebant constituere. Denique vult ex Mose docere, *Israelem, sectando iustitiã, in legem iustitiæ non peruenisse, quia non ex fide, sed quasi ex operibus* sine fide, eò peruenire volebat. Totum hoc ex Mose docet, quia iustitia ex lege iubet & promittit tantùm, iustitia ex fide propinquitatem & facilitatem exequendi mandati beneficio circuncisionis spiritualis in corde (quæ est iustitia ex fide) ipse Moses hoc loco docuerat, sicuti vbertim iam contra Caluinum ostẽdimus. Ita & tota Apostoli præsens disputatio, & ipse contextus Mosaicus ab Apostolo citatus, luculenter demonstrant, sensum à Caluino excogitatum prorsus commentitium & inanem esse, à mente Mosis atque Apostoli remotissimum. Quod adhuc sequentium verborum fœdissima deprauatio luculentiùs docebit.

Apostolica disputatio explanatur.

Verba Mosis ac Pauli, *Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo*, huncin modum tractat: Primò (inquit) *hoc notandum est, ne ambagibus ab-*

Caluini alia figmenta Paulo mẽdaciter assuta.

ductæ hominum mentes à salute aberrent, verbi metas illis præscribi, intra quas se contineant. Perinde enim est ac si iuberet vno verbo contentas esse, & moneret in hoc speculo contemplanda esse celorum arcana, quæ & aciem oculorum perstringerent suo fulgore, & aures obstupefacerent, & mentem ipsam redderent attonitam. Itaque insignem ex hoc loco consolationem percipiunt fideles animæ de verbi certitudine, quòd scil. in eo non minùs tutò acquiescant, quàm in præsentissimo rerum aspectu. Deinde notandum est, proponi verbum à Mose, in quo stabilis & tranquilla salutis fiducia nobis consistet. Hæc impostor iste audax, & mendax magister. Quid enim audacius fingi, quid mendacius proferri potuit, quàm hæc à Caluino cõtexta fabella? Garrit de verbi metis intra quas se homines cõtineant, &, vt vno verbo contenti esse debeant, hoc loco iuberi affirmat. Addit proponi verbum à Mose, in quo salutis fiducia consistet. Mentitur ac fallit. Nec de verbo scripto, intra cuius metas homines contineri, & quo vno contentos esse fideles Caluinus vult, nec de verbo Euangelij in sensu Caluini (quod certam salutem fidei promittat) sed de verbo mandati, de verbo & sermone mandatorum Dei, ac de facilitate seruandi hoc mandatum, apertissimè loquitur Moses: *Propè est verbum in ore & corde tuo, vt facias illud. Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non est vltra te, aut procul à te positum,* non excedit vires. *Propè valde est verbum, & manda-*

Caluini mendacia duo.

Verbum mandati in verbũ scriptũ & verbũ fiduciale transformat Cal.

mandatum istud, *in ore tuo, & corde tuo*, ἐν τῷ στόματί σου, *& in manibus tuis*, vt est apud 70. Isaias illud. De faciendo & exequendo Dei verbo, Dei mãdato, loquitur Moses, loquitur Paulus, non de aliquo verbo Scripturæ, aut verbo fiduciali, quale fingit Caluinus. In catena verér. Græcorum. Ita Græci Patres annotarunt in illa sententia Mosaica, *legis facilem sensum facilemque obedientiam demonstrari.*

Neque verò, quod apud Paulum sequitur, audax Caluini figmentum quicquam iuuat: *Hoc est verbum fidei quod prædicamus.* Propinquitas nempe & facilitas exequẽdi mandati, quam Moses illis verbis docuit, idque propter circunciſionem cordis, de qua priùs locutus Moses fuerat (*Nec enim dubium est*, ait ipse Caluinus, *quin hæc sententia ex illo principio pendeat, Circuncidet Dominus cor tuum*) est verbum fidei quod Paulus prædicauit; est iustitia ex fide, nõ ex lege tãtùm; est gratia Christi, credentibus in eum concessa; est dilectio Dei ex toto corde, quam Deum, circuncidendo corda suorũ, dare Moses dixerat, quã per Spiritum S. *in cordibus nostris diffusam* Paulus apertiùs scripserat. *Hoc est verbum fidei*, ait Paulus: id est, hæc doctrina Mosaica de propinquitate mandati in corde, vt fiat illud, est doctrina fidei, seu gratiæ ex fide, *quam nos prædicamus.* Vnde subiungit: *Quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum*, id est, Iesum esse Dominum ac Deum tuum, *& in corde tuo credideris quòd*

Verbum fidei quid & quale. Rom. 5.

ris quòd Deus illũ ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris; id eſt, ad veram ſalutem, ad veram vitam ex iuſtitia fidei conſequẽdam, hæc tua in Chriſtum, eiusque reſurrectionem, fides perducet.

Act. 15. Hæc enim *fides & cor tuum purificabit*, vt depulſis tenebris, omnia quæ de Deo credenda ſunt, credas, & gratiam ſeu Spiritum regenerantem (qui non niſi credentibus datur)

Rom. 8. tibi impetrabit: quo Spiritu vitæ accepto, *liberaberis à lege peccati, facta carnis mortificabis, ſolutus eris à lege mortis in qua detinebaris, vt ſeruias in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate literæ.* Hic eſt clauſulæ Apoſtolicæ de verbo fidei, quod prædicabat, ſenſus apertus, fluens, germanus; reliquæque Apoſtoli diſputationi in hac ipſa epiſtola conformis.

Nunc, vt illam deprauet Caluinus, videamus. *Meritò* (inquit) *id aſſumit Paulus: nam legis doctrina pacatam ac tranquillam conſcientiam minimè reddit, nec ei ſuppeditat quibus contentam eſſe oporteat.* Rurſum de pacanda ſua inquieta conſcientia garrit homo inquietæ (vt apparet) & ſordidæ ſemper conſcientiæ. At Paulus de ea ne gry quidem hoc loco. Sic extra chorum ſaltat, vt ludat ac ludificet.

Caluinus extra chorum ſaltat

Audiamus tamen reliqua: *Interim tamen non excludit reliquas verbi partes, ac ne præcepta quidem ipſa legis: ſed vult ſtatuere peccatorum remiſſionem pro iuſtitia, etiam citra exactam obedientiam, quam lex requirit. Sufficit ergo ad pacandas mentes, & ſtabiliendam ſalutem, Euangelij verbum: quo non*

iubemur

debemur operibus iustitiam promereri, sed gratuitò illam fidem amplexari. Eundem semper volut lapidem, quem ipse sibi voluendum & agitandum delegit, cuius in textu Apostolo nulla apparet particula; quum non de verbo Euangelij in sensu Caluini, sed de verbo fidei, de verbo gratiæ ad sensum Moysis, locutus hîc Paulus fuerit, vt suprà explicatum dedimus. De verbo quoque Euangelij suo more mentitur, quæ olim satis refutata reliquimus. Videamus quæ sequuntur, vbi ipsa Apostoli verba explicare velle videtur. Nam hactenus ab eis longissimè diuagatus est. *Verbum* (inquit) *fidei pro verbo promissionis, hoc est, pro ipso Euangelio μετωνυμικῶ dictum est, quoniam relationem habet cum fide. Subaudienda enim est antithesis qua discernitur lex ab Euangelio: atque ex hac distinctionis nota colligimus, sicuti lex opera exegit, ita Euangelium nihil aliud postulare, nisi vt fidem afferant homines ad recipiendam Dei gratiam.* Prodit hîc Caluinus artes & technas quas in promptu habet ad deprauandas, quoties volet, diuinas Scripturas. Metonymias fingit, antitheses subornat, distinctionis notas fabricat, vbi harum omnium nullus prorsus locus, nullum vestigium apparet. Hîc vt lectorem à vero, germano, perspicuo verborum Pauli sensu longissimè abducat, primùm in verbo *fidei* metonymiam fingit. *Verbum* (inquit) *fidei pro verbo promissionis, hoc est, pro ipso Euangelio per metonymiam accipitur.*

Caluini artes ad deprauãdas Scripturas.

tur. Et vnde hoc commentum ab huius loci sensu alienissimum? Quomodo probat per verbum fidei hoc loco verbum promissionis significari? An fides & promissio synonyma sunt, aut apud Paulum æquiualent? An nihil creditur nisi promissio? Aut quæ tandem ista est promissio? An vnica in Scripturis legitur promissio? An non promissiones variæ leguntur, non solùm remissionis peccatorum gratuitæ, quam solam intelligit Caluinus, vt antithesis eius subiuncta manifestat, sed etiam *renouationis internæ charitatis in cordibus diffusæ, legis in cordibus scribendæ, Spiritus Dei regenerantis, inhabitantis, à lege peccati liberantis*, gratiæ Dei *effusæ abunde, nouæ creaturæ in Christo*, mercedis vitæ æternæ? Si tot & aliæ adhuc multæ in Scripturis promissiones leguntur, non secus ad salutem firmiter credendæ quàm illa vna promissio gratuitæ remissionis peccatorum, cur vnam solam promissionem nominat? Deinde, cur illam vnam promissionem per epexegesin Euangelium vocat? *Hoc est* (inquit) *pro ipso Euangelio*. Euangelium quoque nihil quam vnam hanc promissionem docet? At (inquit) μετωνυμικῶς ita dicitur, quia videl. in Euangelio hæc vna promissio continetur. Sit ita. Nunquid tamen in Euangelio, eiusque prædicatione, illa sola continetur? Nunquid prædicatio Euangelica aliud nihil adfert præter vnam promissionem, seu antedictam,

Fides & promissio non sunt synonyma

Promissiones variæ.

Tit 3. Rom. 5. Ierem. 31. Rom. 8. Tit. 3. Gal. 5.

dictam, seu aliam quamlibet? Quid portè-tosius contra vniuersam Scripturam cogitari potuit? Deinde hîc esse metonymiæ locum quis Caluino concederet? Aut si metonymiæ locus hîc sit, vt in verbo fidei vnum aliquod fidei aut Euangelij obiectum intelligatur; cur verbum promissionis antedictæ hoc erit, de qua promissione totus hic textus nihil loquitur, nihil insinuat, & non potius verbum gratiæ Christi regenerantis, ac intus renouantis; verbum (inquam) circũcisionis spiritualis, quam facit gratia Christi, hoc verbum fidei erit propter quam & ex qua mandati verbum, *Propè est in ore & corde nostro, vt faciamus illud*? Sanè illud verbum fidei ab Apostolo hîc intelligi, ex Augustini verbis nuper prolatis, nostraq; antegressa explicatione, liquidò cõstat. Sed Caluinianæ impostur̃ technas magis aperiamus. Cur in verbo fidei promissio, hoc est, Euangeliũ metonymicè intelligetur? *Quoniam* (inquit) *relationem habent cum fide*, id est, quia hanc promissionem fides respicit, Euãgelium prædicat. Atqui multas alias promissiones (vt iam ex parte recensuimus) fides respicit, Euangelium prædicat: quæ omnes idcirco relationem habent cum fide. Nihil ergo hæc techna metonymica ad Scripturæ huius deprauationem Caluinum iuuat. Qua submota, corruit quoque quam illi substernit antithesis. *Subaudiendam*, ait, *antithesim qua lex*

Antithesis subaudiẽda euertitur.

lex discernitur ab Euangelio. Atqui talem hîc antithesin subaudire necesse non est, quando verbum fidei Euangelicæ tametsi à doctrina purè legali distinctum sit, eaque multò perfectius & excellentius, vt nuper explicuimus, tamen hoc loco non per modum distinctionis aut comparationis, sed positiuè & simpliciter ab Apostolo enunciatur, veluti enunciatiuum eius quod Moyses obscuriùs dixerat, *Propè est verbum in ore tuo*, &c. Sed nota distinctionis, quam ex hac antithesi Caluinus fabricat, ad vniuersum Apostoli textum deprauandum efficacior est. *Ex hac* (inquit) *distinctionis nota colligimus, sicuti lex opera exigit, ita Euangelium nihil aliud postulare, nisi vt fidem afferant homines ad recipiendã Dei gratiam.* Huc videlicet & ad hunc scopum tota hactenus tam prolixa tam, varia in hunc locum Caluini disputatio collineauit. Hac tandem arte totã Apostoli disputationem subuertere se posse confidit. Hæc quippe *distinctionis nota*, si vera esset, omnem hîc Pauli sententiam, quam ex Mose desumpsit, funditus euerteret. Apostolus hactenus iuxta Mosen docuit, iustitiam ex lege hanc vocem habere, *Qui facit eam homo, viuet in ea*: nihil quàm docere ac promittere: iusticiam autem ex fide longè aliam vocem habere, *Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illud*: quæ sententia *ex illo principio pendet* (ait ipse Caluinus) *Circuncidet Deus cor tuum, vt diligas*

Legis & Euangelij distinctio Caluiniana Pauli disputationem euertit.

1.

2.

3.

gaeum toto corde. Talis autem non habebit man- 4.
data Dei graue, subinfert Augustinus. Ita
iustitia ex fide, & verbum fidei quod Apo- 5.
stolus se prædicare dixit, hunc inprimis ef-
fectum habet, ad hoc præcipuè valet, vt lex
mandatorum Dei opere compleatur. Nunc
Caluini maledicta distinctio totũ hoc euer-
tit, totum beneficium gratiæ Christi homi-
nibus Christianis eripit. *Lex* (inquit) *opera*
exigit: Euangelium nihil aliud quàm fidem postu-
lat ad recipiendam Dei gratiam. Pernicioſissimè
fallit. Lex opera requirit: Euãgeliũ gratiã ad-
fert, qua hæc opera præstẽtur. Euangeliũ in-
numera alia docet, postulat, requirit, quàm
fidẽ. Ipsa quoq; fides nõ ad recipiẽdã Dei gra-
tiã veluti olla quædã, vt alibi Caluinus loqui-
tur (quã alibi cõminutã reliquimus) sed ad dis
ponendũ peccatorẽ vt corã Deo iustificetur,
in Scripturis cõmẽdatur. De hac re tota ali-
bi multa disputauimus, & quidẽ in capite ac
fõte ipsa Antidotorũ nostrorũ. Hoc loco id
tantùm notare conuenit, sic Caluinum con-
cludere, vt totam Apostoli disputationem
presentem funditus euertat.

Restant adhuc paucula, quæ tribus verbis
expediemus. *Particula ista* (ait Caluinus) *Quod*
prædicamus, *ideo adiecta est, ne quis suspicaretur*
Paulum à Mose dissidere. Testatur namque, in Euã-
gelij ministerio sibi cum Mose optimam esse consen-
sionem: quandoquidem ille quoque non alibi quàm in
gratuita promissione diuinæ gratiæ felicitatem no-
stram

ſtrã locauerit. Huius adiectæ particulæ obſeruatio adeò Caluini corruptelæ nõ fauet, vt eã prorſus jugulet. Quantò enim certior & arctior eſt Pauli cũ Moſe in Euangelij miniſterio cõſenſio, tantò certiùs & fortiùs probatur, verbũ fidei, ſeu iuſtitiã ex fide quã Paulus prædicauit, eſſe bonorũ operũ iuſtitiã ex fide & gratia Chriſti. Moſes enim non alium ob finem nec alio ſenſu dixit, *Verbum mandati diuini propè eſſe in ore & in corde*, adeoque *in manibus*, quàm (quod ſubiunxit) *vt facias illud.* Mandati exequutionem reſpexit; promiſſionem gratuitam, quam Caluinus ſibi fingit, non attingit. Aſſeuerat quidem homo ad quidlibet aſſeuerandum audax, *Moſem quoque non alibi quàm in gratuita promiſſione diuinæ gratiæ felicitatem noſtram locare*; ſed vbi tãdem, aut quibus verbis, non deſignat, quia deſignare non potuit, ſed aſſeueranti hoc ſibi ſuperbus hæreticus credi voluit. Sanè ex aduerſo Moſes in verbis proximè ſequentibus hoc modo populum affatur: *Conſidera quòd hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum, & econtrario mortem & malum, vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & cuſtodias mandata illius ac ceremonias atque iudicia, & viuas, atque multipliceris, benedicátque tibi in terra ad quam ingrederis poſſidendam.* Collocat clariſsimis verbis *vitam & bonum*, felicitatem populi Dei, non in fictitia promiſſione Caluiniana, ſed in iuſtitia bonorum operum

Paulus cũ Moſe conſentiens, operũ iuſtitiam ex fide docet

Caluinus aſſertor audax nihil probat

Deuter. 30. 15.

perum ex fide, in dilectione Dei, in obser-
uatione mandatorum eius. Sic vndique ap-
paret, locum hunc insignem, qui Caluino
visus est ad astruendam solius fidei iustifica-
tionem, & ad omnem bonorum operum iu-
stitiam à causa salutis longissimè remouen-
dã accõmodatissimus; quique, vt loquitur,
maiùs difficultatibus eum ac suos expediret; pror-
sus è contrario iustitiam bonorum operum
ex fide clarissimè astruere, & inuictè proba-
re. Non sine fastidio huic vni loco tam diu
immoratus fui: sed ad id me coëgit partim
tam necessarij dogmatis orthodoxa expli-
catio, partim importuni & versipellis aduer-
sarij tam prolixa & accurata deprauatio. In
sequentibus locis breuiores, Deo donante,
erimus.

10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

PErspicuè & inuictè docet hic locus, non ex sola fide Christianos iustificari aut sal-
uari, sed præter ipsam fidem, quæ corde te-
netur, externam quoque oris confessionem
(quæ sanè multiplex est, & latè patet, multos-
que pietatis actus coniunctos habet) ad sa-
lutem quoque valere, & salutis nostræ per
Christum vnam causam, vnum medium es-
se, nõ secus quàm fidem. Nam si hæc propo-
sitio, *Corde creditur ad iustitiam*, probat perspi-
cuè, ex fide homines iustificari, & vnam iusti-
tiæ

Fides sola ad salutẽ non sufficit.

tiæ causam fidem esse; pariformiter altera propositio, *Ore fit confessio ad salutem*, probat perspicuè, ex confessione fidei homines saluari, & vnam salutis causam esse ipsam fidei confessionem: quam videlicet non illi tantùm faciunt, qui quauis data occasione fidē Christi ore profitētur, etiam propositis tormentis, vitæque ac fortunarum discrimine, sed etiam qui quolibet opere bono, & quolibet cultu externo Christianis hominibus proprio, Christianos se esse, Christi fe fidem tenere ac nomen colere, opere profitentur. Ita hæc omnia pietatis opera iuxta Paulum ad salutem valent, non secus quàm fides ad iustitiam. Inter iustitiā autem ac salutē aliquid discriminis esse, aut iustificari in Scripturis aliquid aliud esse quàm salutē adipisci, nemo (quamlibet hæreticus) negauerit; & vt neget, ex varijs Scripturis facilè refutabitur, quas alio in loco produximus. Sed & hoc ipso in loco quum priùs Apostolus dixisset, *Si confitearis in ore tuo D. Iesum, & in corde tuo credideris quòd Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris*, vbi fidei in corde salutem tribuit; nunc dicit, *Corde creditur ad iustitiam*: apertè docens, iustitiam & salutem apud illum pro eodem haberi. Iustificamur ergo iúxta hæc Pauli verba non secus ex bonis operibus quæ fidei confessio facit, quàm ex ipsa fide qua corde creditur.

De Iustificat lib. 5. cap. 7.

Salus & iustitia idem valent.

Nunc vide vt clarissimam Apostolicæ doctrinæ

ſtinæ lucem omnibus ingenij ſui viribus offuſcare, premere, extinguere contendit Caluinus. *Mirum* (inquit) *videri queat, cur nunc ſalutis noſtræ portionem fidei tribuat, toties antehac teſtatus ſola fide nos ſaluos fieri.* Hoc Apoſtolum antehac & ſæpe teſtatum eſſe fingit & aſſeuerat audacter Caluinus. Sed Apoſtolum antehac nunquam hoc teſtatum eſſe, contra Caluini corruptelas, vbi hoc Apoſtolum teſtari voluit, luculenter oſtendimus. Nunc ad præſentem difficultatem quid reſpondeat, vide. *Sed*, inquit, *ex eo colligi non debet, confeſsionem ſalutis noſtræ cauſam eſſe: tantùm ſignificare voluit quomodo ſalutem noſtram Deus perficiat; nempe dum fidem, quam pectoribus noſtris indidit, emergere per confeſsionem facit.* Vide vt hæc euaſio incaput impoſtoris recidat. Iuxta eam quippe nec fides vlla cauſa ſalutis erit. Sic enim cum Caluino Apoſtolum gloſſabimus: Quod Apoſtolus hîc ait, *Corde creditur ad iuſtitiã*, vel toties alibi, *Ex fide iuſtificamur*; ex eo colligi non debet fidẽ ſalutis noſtræ cauſam eſſe; tantùm ſignificare Apoſtolus voluit quomodo ſalutem noſtram Deus perficiat; nempe vt fidem pectoribus noſtris inſerat antequam ab ea iuſtificamur. Si enim cauſa ſalutis confeſsio fidei non eſt, nec cauſa iuſtitiæ fides erit; quando eodem modo Apoſtolus loquitur de confeſsione fidei reſpectu ſalutis, quo de ipſa fide reſpectu iuſtitiæ. Hæc igitur euaſio aut nulla eſt; aut, ſi

Caluini euaſio in caput ſuũ recidit.

aliquid est, non secus cōtra fidem iustificantem valet. Aliam nunc decipulam impostor tendit, si prior non succedat. *Imò* (inquit) *notare Apostolus voluit quæ sit fides vera, ex qua hic fructus emanat, ne quis inanem fidei titulum pro eâ prætenderet. Nam cor ita accendere debet studio gloriæ Dei, vt flammam suam extrà egerat.* Sed nec hæc decipula vigilantibus imponet. Non quæ sit fides vera, sed quid præter fidem veram ad salutem requiratur, Apostolus docere voluit. Non dicit, Corde creditur ad iustitiam &, si verè creditur, oris confessio necessariò nascitur, vt fides ad salutem valeat; qui sermo figmento Caluini conueniret: sed ait Apostolus duo distincta. Vnum, *corde credi ad iustitiam*: alterum, *ore confessionem fieri ad salutem*. Deinde, tametsi confessio fidei sit veræ fidei fructus, & cor ita accendere fides deberet, vt flammam suam extrà egerat; aliud tamen est radix, aliud fructus ex ea progerminans. Diuersæ actiones ac virtutes sunt, quarum vtraque suam habet certā ac propriam vim: sanè vt vtraque coram Deo iustificet, vtraque salutem adferat. Cuiusq; boni operis radix est bona voluntas, quam *arborem bonam* Christus vocat. Et vt vnius radicis atque arboris multi sunt fructus; ita non solùm à radice distinctam, sed & quilibet seorsim fructus distinctā ac propriam domino vtilitatem, propriū gustum, propriā delectationem affert. Ita bonæ voluntatis quodlibet opus

Impostura Caluiniana.

Fidei confessio virtus à fide distincta.

Matth. 7.

opus bonum suam apud Deum mercedem habet. Tandem & hoc ipsum falsum est, confessionē oris esse solius fidei fructum, quum multò magis charitatis sit fructus, & ex charitatis radice magis nascatur quàm ex fide: quod suprà contra Caluinum de omni opere bono in genere demonstrauimus. Postremò, fides vera est, tametsi non viua, quæ hoc fructu caret, de quo mox plura. Tertiū nunc effugium fabricat sibi Caluinus: *Et sanè qui est iustificatus, salutē iam obtinet. Nō ergo minus corde creditur ad salutem, quàm ore fit confessio. Vides sic distinxisse, vt iustificationis causam ad fidē referret; deinde ostenderet quid ad salutē consummandam sit necessariū. Neque enim corde credere quis potest, quin ore confiteatur: & necessitas quidem est perpetuæ consequentiæ, non quæ salutem confessioni ascribat.* Vide & attēde, Lector, quid Caluinus cōcludat. Videl. *salutem confessioni oris non ascribi*, id est, nō esse verū sed planè falsum quod Apostolus dixit, *Ore fit confessio ad salutē*. Hæc quippe verba, *salutē confessioni ascribunt*, non secus profectò quàm iustitiam fidei ascribit altera Pauli propositio, *Corde creditur ad iustitiā* Ita Caluiniana resolutio est textus Apostolici manifesta contradictio. An isto impostore aliquid magis impium hæc ætas vidit?

Supr. c. 8. ver. 6.

Effugium Caluini tertium.

Caluinus Apostolo contrariū concludit

Sed expendamus nunc qua arte ad hanc conclusionem peruenit. *Qui iam iustificatus est, salutem obtinet.* Verum est: sed quam nūc obtinet salutem, eam conseruare & ad finem

cum ea perseuerare debet. *Atqui* (ait Caluinus) *sic inter vtraque distinxit Apostolus, vt causam iustificationis & salutis poneret in fide; postea ostenderet quid ad eam consummandam sit necessarium.*

Sola fides salutē non perficit.

Optimè. Confessio fidei, aliaque bona opera post primam ex fide iustificationem, ad consummandam salutem sunt necessaria; ergo sola fides ad consummandam salutem non sufficit. Si ad consummandam salutem sola nō sufficit, ergo nec simpliciter ad salutē sola sufficit: nisi fortè saluus esse possit, cuius salus inchoata quidē sit, sed non cōsummata. Pulchre Caluinus suā solā saluatē fidē ipsemet euertit. Dices Caluinū in proximis verbis huic malo occurrere, subiūgit enim: *Corde credere nemo potest, quin ore cōfiteatur. Ita necessitas quidē est perpetuæ cōsequētiæ*; vna ab altera diuelli non potest; *sed ista necessitas*, aut ista perpetua cōsequētia, *salutē cōfessioni nō ascribit.* Respondeo: Tametsi vera hæc esset necessitas perpetuæ cōsequentiæ quā Caluinus fingit; tamen falsum penitus est quod addit, *quæ confessioni salutē nō ascribit*, quia verū certissimè est quod Apostolus dicit, *Ore fit cōfessio ad salutē.* Vides vt hæc oris confessio, siue necessariò ex fide sequatur siue non, siue perpetuam consequentiam cum fide habeat siue non, ipsamet ad salutem valet; & ipsi confessioni salus ascribitur. Ita inanis est tota Caluini luctatio, inanis & vana cōtra perspicuam verbi Apostolici veritatem tota & tam varia eius tergiuersatio.

giuersatio.

gnerſatio. Tandem ſtultitiæ ac dementiæ plenum eſt quod aſſeuerat, & non probat; neminem poſſe corde credere, quin ore confiteatur. Credidit in Chriſtum Petrus, quando eum ad vnius ancillæ vocem ore confiteri noluit. An mentitur Ioannes quum ſcripſit: *Veruntamen & ex principibus multi crediderunt in eum; ſed propter Phariſæos non confitebantur, vt è ſynagoga non eiicerentur, dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm Dei?* Poſtremò, ſi omnis qui credit in Chriſtum, neceſſariò confitetur illum, vt quid in Euangelio Chriſtus Apoſtolos ſuos in eum credentes tam vigilanter ac ſeriò hortatur, vt eum coram hominibus confiteantur? *Dico vobis amicis meis, ne terreamini ab his qui occidunt corpus*, &c. *Dico vobis, Omnis quicumque confeſſus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei.* Omnes illas ad fidei confeſsionem hortationes ceſſare oportuit, veluti ſuperuacaneas, & ad ſolam fidē hortari ſuos Chriſtus debuit, quando qui corde credit, ex neceſſaria & perpetua conſequentia ore confitetur. Sed ineptias & inſanias Caluinianas refutandi nullus finis foret. Tenemus interim Apoſtoli ſententiam: non ſolam ex corde fidem ad iuſtitiam ac ſalutem valere, ſed & oris confeſsionem, aliáque pietatis opera ei coniuncta, adeóque quodlibet opus bonum (quando non eſt eorum

Credere poteſt quis non confitetur. Luc. 22.

Ioā. 12. 42.

Luc. 12. 4. & 8.

rum, quæ eiusdem generis sunt, diuersa habenda ratio) ad iustitiam quoque & salutem coram Deo magnam vim habere; adeóque ex illis, non secus atque ex fide, homines iustificari ac saluari.

14. *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt?*

SÆpe monui, vocem fidei quoties hæretici in Scripturis legũt, suã eos specialem fidem, fiduciam, securitatẽm, impiam præsumptionem semper somniare. Facit id hoc loco Caluinus strenuè: cuius ineptia paucis refutabitur. *Vult hîc* (inquit) *coniungere Paulus inuocationem cum fide, vt sunt profectò res inter se coniunctißimæ. Qui enim Deum inuocat, se quasi ad vnicum salutis portum recipit: &, quod certißimi refugij genus est, velut filij in optimi atque amantißimi patris sinũ se confert, vt eius cura protegatur, indulgentia ac charitate foueatur, benignitate subleuetur, virtute fulciatur.* Hæc hactenus vera ac bona sunt; mel & lac Caluinianum, quo lectorum ora primò suauiter illinit ac lactat, vt mox sine vlla amaritudine pestilens venenum infundat. Sic enim prosequitur: *Id facere nemo poterit, qui non antè de paterna Dei erga se beneuolentia tantam persuasionem animo conceperit, vt ab eâ qui duus ausit expectare.* Ecce tibi, Lector, pro fide Euangelica, quam Paulus hîc designat, fides Caluiniana, sola diuinæ beneuolentiæ indubitata persua-

Fidẽ Euãgelicã in suam fidẽ transformat Cal.

ta persuasio, sine qua nemo Deum vt filius patrem inuocare potest Id si ita est, mentitur Scriptura quæ dicit, *Sentite de Domino in bonitate*; quod est in Dei bonitatem veluti in salutis portum se recipere ; *& in simplicitate cordis quærite illum : quoniam inuenitur ab his qui non tentant illum*. Sic igitur de Domino in bonitate sentire oportet, vt non in securitate, sed in simplicitate & humilitate cordis, *cum timore & tremore salutem nostram operantes*, quæramus illum : quia ab his inuenitur qui non tentant illum ; quod sua fiducia & præsumptione hæretici faciunt, qui in medijs sceleribus ac flagitijs fiducia hac sua carere nolunt, vt alibi explicatum dedimus. De hac persuasione & fiducia Apostolus hîc nihil loquitur. De fide loquitur Euangelica, & quam tota Euangelij prædicatio de Deo, de Christo, de gratia, de peccato, de Sacramentis, de vitę nouitate, suo ambitu complectitur. Sed cum Caluino pergamus : *Ergo qui Deum inuocat, in eo præsidium sibi esse repositum confidat necesse est*. Confidere sanè & optimè confidere oportet, sed absque persuasione illa Caluiniana, quæ simplicitatem cordis, timorem & tremorem, sui ipsius probationem & examen (à Scripturis desiderata) longissimè remouet. Aliud spes bona fidelium, quæ pietatis conditionem adiunctam habet (*probatio enim spem adfert, quæ non confundit*) aliud certa persuasio Caluiniana, quæ om-

Sap. 1.

Philip. 2.

In Antid. Euangel. ad Ioā. c. 20. v. 28.

Rom. 5. 4.

nem à noſtra parte pietatis cõditionem peni-
Suprà pag. 32. tus excludit, vt alibi ex eius verbis patefeci-
mus. Sed nunc, vt ſuã certam perſuaſionem
Caluinus ex hoc loco velut ex igne aquam
elicere contẽda, tvideamus. *Siquidem*, inquit,
de ea inuocatione loquitur Paulus quæ à Deo appro-
Iac. 1. *batur*. Haud dubiẽ: nã *qui poſtulat in ſpe nihil*
hæſitans, ita inuocat, vt eius inuocatio à Deo
approbetur: quod eius in Euangelio oratio
Mat. 8. 2. docuit: *Domine, ſi vis, potes me mundare*. De po-
tentia Dei nihil hæſitauit, de voluntate Dei
bene ſperauit. Pergit Caluinus: *Nam hypocritæ*
quoque inuocant, ſed nõ in ſalutẽ, quia ſine vllo fidei
Caluiniſt. fides inuocationem parit hypocriticã. *ſenſu*. Hypocritæ ſine fructu inuocant, non
quia ſenſu fidei Caluinianæ carent, ſed quia
illo ſenſu nimis abũdant. Suis enim adhuc in
flagitijs ac ſceleribus manẽtes, inuocare au-
dent, & Deum ſibi propitium confidunt,
quod Caluiniſtarum fides facit. Ille enim
Matth. 15 verè hypocrita eſt, *qui labijs ſuis Deum honorat,*
voce inuocat, *cor autem eius longè à Deo eſt*, cor
habet affectu & reatu peccati plenũ. Conclu-
dit iam Caluinus: *Vnde apparet quàm nihil ſa-*
piant omnes Scholaſtici, qui Deo ſe dubitanter of-
ferunt, nulla fiducia ſubnixi. Calumniatur & fal-
lit. Scholaſtici cum bona & firma ſpe ſe Deo
offerunt, omni dubitatione remota ex parte
bonitatis diuinæ, ſentientes de illo in boni-
tate, ſed ſentientes de ſeipſis in humilitate, à
fiducia & certa perſuaſione Caluiniana ve-
luti à certo præcipitio & altero deſperationis

extre-

extremo abhorrent. *At* (inquit Caluinus) *longè aliter Paulus, qui illud tanquam confessum axioma sumit, non posse nos rite precari, nisi de successu certo persuasos.* Vide frontē meretriciam audacissimi impostoris. Dixit Paulus, *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt?* ergo docet non aliter posse nos Deum rite inuocare, nisi de successu certo persuasos. Ita credere apud Paulum hoc vnum & propriè Caluino significat, *esse de successu certo persuasum.* Sed expectamus vt hanc suam prophanam & nouellam glossam confirmet ac probet. *Neque enim* (inquit) *fidē implicitam designat, sed eam certitudinem, quam de paterna eius benevolentia cōcipiunt animi nostri, vbi per Euangelium reconciliat nos sibi, & in filios adoptat.* At hæc probatio nulla est, sed mera petitio principij qua idem per se ipsum probatur. *Credere* (inquit) *significat de successu certo esse persuasum, quia significat certitudinem de paterna Dei benevolentia conceptā.* Atqui hæc ipsa certitudo concepta nihil est aliud quàm de successu certa persuasio. Non secus illam quàm hanc negamus: non secus illa quàm hæc prophana & impia nouitas est. Vide igitur & attende Lector. Caluinus vt Scripturas deprauet, nouósque illis & peregrinos sensus affingat, sua placita sumit, illa affirmat, asseuerat, ponit, repetit, inculcat. Sic exponendæ Scripturæ nec loci circunstantia, nec aliarum Scripturarum collatio, nec antiqua fidei regula,

Caluinus idē per se ipsum probat.

Scripturas deprauādi ars Caluiniana.

gula, nec veterum Patrum iudicia, sed sola cuiusque hæretici propria placita, priuata dogmata, regula deinceps & norma (Caluini exemplo) erit. De qua fide Paulus hic loquatur, & quid apud eum vox *credere* hoc loco significet, tota eius disputatio manifestum facit. De fiducia aut certitudine beneuolentiæ diuinæ, de certi successus persuasione, ne gry quidem hoc loco Paulus. Præmiserat generalem sententiam: *Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit.* Hæc inuocatio omnem Dei cultum legitimum ac necessarium significat. De Enos dicitur, Gen. 4. *Hic cœpit inuocare nomen Domini*, quia primus Psal. 98. post impiũ Cain seruire Deo cœpit. *Samuel inter eos qui inuocant nomẽ Domini*, ait alia Scriptura, id est, inter veros Dei cultores. Atqui nullus Dei cultus absque fide est, & omnis Dei cultus à fide orditur. Sed hæc fides ad inuocationis & cultus exordiũ generalissima quædam fides esse potest, nondum per quosliber fidei articulos distinctè traditos instructa. *Accedentem ad Deum* (ait Apostolus) *oportet credere quia est, & quia inquirentibus se remunerator est.* Hæc fides satis adhuc generalis & implicita est. Hac tamen ad Deum acceditur, hac Deus inuocari potest. Prima enim ad Deum accessio per inuocationẽ fit, quæ vt sine fide esse non potest ad omnia credenda parata, ita fidem plenissimè de omnibus instructã nõ exigit. Quũ

Inuocatio esse potest cũ fide generali & implicita.

Hebr. 10.

Ana-

Ananias Paulo diceret, *Exurge, & baptizare,* Act.22.16
& ablue peccata tua, inuocato nomine Iesu; an Paulus inuocare iussus, omnem tunc & explicitam, claram atque distinctam eorum, quæ credenda sunt, notitiam aut reuelationem habuit? Imò verò hoc vnum de cælo edoctus, *Iesum Nazarenum* Dominum ac Messiam *esse quem persequebatur*, ad reliqua perdiscenda Ananiam audire iubetur: *Surge vade Damascum, & ibi tibi dicetur de omnibus* Act.22. 10.
quæ te oporteat facere. Christus quoque ei dixit: Ad hoc apparui tibi, vt constituam te ministrum & testem eorum quæ vidisti, & eorum quibus apparebo Act.26.
tibi, id est, eorum quæ te postea per inspirationes & visiones docebo. Paulus ergo cum 16.
fide adhuc implicita, & multarum rerum, quæ ad fidem pertinebant, ignara; cum fide tamen quæ ad omnem reuelationem credendũ parata fuit, inuocare nomen Iesu iubetur. Sic igitur Paulus hoc loco manifestè docet inuocari Deũ non posse, nisi ab eo qui iam in Deum credit, seu fide plena & explicita, seu generali aliqua fide & implicita. De certitudine fidei Caluinianæ nihil aut Paulus hîc aut alia vlla Scriptura insinuat. Fidem implicitam vt non apertè hoc loco designat Apostolus, ita sub generali fidei nomine eam designari, ipsius Pauli prolatum exemplum manifestè conuincit.

Alia nunc ex parte hæreticis hoc loco occurrendum est. His quippe Pauli verbis alij abutun-

abutuntur, vt Sanctorum inuocationem impietatis arguant, quia in Sanctos, quos inuocamus, nequaquam credimus, nequaquam credere oportet. Sed in promptu solutio est, quæ apud Scholasticos trita est, inuocationem cum fide cõiunctam, eam esse, quæ, quod petit, ab eo implendum petit quem inuocat; quæ soli Deo propria est, bonorũ omniũ authori & largitori: Sanctorum inuocationẽ huiusmodi esse, vtnõ per eos impleri roget quæ petimus, sed tantùm per eos impetrari velit quæ desideramus.

S. Thom. 2. 2. q 83. art. 4.

14. *Quomodo credent sine prædicante?*
15. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?*

LVculenta est hoc loco Apostoli gradatio. Sicuti radix inuocationis est fides, & sine fide nulla est Dei inuocatio, sicuti fidei radix & principium externum (nam interna & præcipua radix, Dei gratia est) auditus doctrinæ fidei, seu prædicatio Euangelij est; & sine externa prædicatione (ordinariè loquendo) fides non addiscitur: sic radix legitimæ prædicationis est missio: nec prædicandi Dei verbum vlla legitima potestas est, vbi legitima missio non præcellerit. Valet hic locus contra hæreticos omnes fures ac latrones, qui ascendunt aliunde, qui prædicandi officium sibi arrogarunt à nemine missi, quia nec à Deo extra ordinem (vt ex eo patet, quòd extraordinariæ missionis

Missio legitima prædicãti necessaria

bonis signis carent) nec ab Ecclesia iuxta ordinem à Christo institutum missi sunt: de qua re tota latè & copiosè disputauimus in Promptuario nostro Catholico. In festo S. Andreæ, & S. Mar. & in fer. 3 Pentec.

Quid ad hunc locum Caluinus, qui se siíque similes, verbum Dei prædicantes, & omni legitima missione destitutos, hîc perstringi facilè sentiebat? Habet in promptu qua elabatur. De missione diuina loqui Paulum vult, non Ecclesiastica. *Nequaquam*, inquit, *de legitima cuiusque vocatione agit Paulus. Tantùm hoc docet, non fortuitò pluere Euangelium ex nubibus, sed per manus hominum afferri, quò diuinitus missum est: denique nullum esse verbi Dei præconem, quem non peculiaris sua prouidentia Deus suscitarit.* Sanè quia Ecclesiastica missione hic latro caruit, qualem Christus in Ecclesia sua instituit, de diuina tantùm vocatione ac missione veluti ad verbi prædicationem necessaria loqui Apostolum vult. Sic pecuniarius latrunculus furti redargutus, quia bonæ fidei possessionem, qualem leges instituunt, allegare nō potest, arte tamen Caluiniana (si fides ei habeatur) facilè elabetur; dicens bonorum temporalium possessionem legitimam nec ab humanis legibus pendere, nec fortuitò pluere ex nubibus, sed per manus hominum comparari, in quorum manus diuinitus mittuntur: nec vllum esse pecuniarum legitimum possessorem, cui non peculiari sua prouidentia Deus

Caluinus sicut latro euasiones quærit.

Deus eas largitus sit. Sanè non secus latrò ad rei furto sublatæ legitimam possessionem Dei prouidentiã & Dei largitionem, seclusis humanis legibus, allegare potest, quàm iste animarum latro ad verbi Dei legitimam prædicationem (cui se intrusit, legitimo detruso Geneuensi Episcopo, cum Pastoribus illic Catholicis) Dei prouidentiam & Dei missionem, secluſa Ecclesiastica, allegat. Atqui contra hanc diuinam (quam sibi Caluinus finxit) missionem, alio in loco, quod satis videri potest, disputauimus, vbi & ostendimus, eos, qui à Deo extra ordinem tempore Apostolico vocati sũt, Ecclesiastica tamẽ ordinatione, manuũ impositione ac missione vsos fuisse. Paulus verò hoc loco vt de prædicatione verbi ordinaria loquitur, quæ ad fidem propagandam ordinarium medium est; sic de missione ordinaria, quæ non solùm diuina sed & Ecclesiastica est, nemine hactenus dubitante, locutus est.

Ad Act. c. 13. v. 3.

17. *Ergo fides ex auditu : auditus autem per verbum Christi.*

COnclusio hæc est gradationis Apostolicæ antegressæ; fidem, tametsi Dei donum sit, qui spirat vbi vult, & quomodo vult, ordinario tamen & constituto quodam modo ex auditu prædicantis Ecclesiæ, cuius ministerio Deus vtitur, hominum animis inge-

regenerari. Hanc Apostoli conclusionem
libertè agnoscit Caluinus. *Est* (inquit) *nota-* Eccl. prædicationis efficacia.
bilis hic locus de efficacia prædicationis, quoniam ex
ea fidem nasci testatur. Confessus nuper quidem est,
nil semihil proficere (quia non omnes obediunt Euã-
gelio) sed vbi Domino operari placet, hoc instrumen-
tum est potentiæ ipsius. Et certè vox hominis vsque
in animam penetrare sua virtute non potest; & ni-
mium extolleretur mortalis homo, si diceretur vim
habere nos regenerandi. Lumen etiam fidei subli-
mius quiddam est, quàm vt humanitus conferri pos-
sit. Verùm hæc omnia nõ obstant quin Deus per homi-
nis vocẽ efficaciter agat, vt eius ministerio fidẽ in no-
bis creet. Hæc omnia sana & orthodoxa sunt,
ipsissimámque Apostoli conclusionem ex-
plicant. Sed vide nunc quale venenum in-
fundat. *Præterea*, inquit, *notandum est, non*
aliã quàm Dei doctrina fidem fundari. Neque enim
ex qualibet doctrina fidem oriri tradit Paulus, sed
nominatim ad Dei verbum restringit: quæ restrictio
absurda foret, si in hominum placita recumbere fi-
des posset. Quare faceſſant omnia hominum com-
menta, vbi de certitudine fidei agitur. Hoc modo
etiam concidit Papale illud phantasma fidei implici-
tæ, quod fidem à verbo auellit: ac multo magis exe-
cranda illa blasphemia, suspensam manere verbi fi-
dem, donec eam fulciat Ecclesiæ authoritas. Habes
Caluini toxicum, sanæ doctrinæ (quam præ-
miserat) pestilenter admixtũ. Sed vide pau-
cis fraudem & impietatem. Paulus docet,
fidem esse ex auditu prædicantis Ecclesiæ, per cuius
mini-

ministerium efficaciter agit. Addit hunc *auditum esse per verbum Dei*, quia non nisi verbum Dei Ecclesia prædicat, docet, annunciat. Duo ergo fidei generandæ externa media ponit Paulus, Ecclesiam prædicantem, Dei verbum prædicatum. Vnum ab altero diuelli non debet. Nec verbum ab Ecclesia separari potest, quia illa Dei verbum infallibiliter & perpetuò habet; iuxta apertissimas & varias Christi promissiones, quod & ipse dati ministerij finis necessariò conuincit; nec Ecclesia à verbo separari debet, quia per Ecclesiæ ministerium hoc verbum omnes audire Deus voluit. Nunc Caluinus, alijque hodie hæretici, sic verbi auditum vrgẽt, vt ab illo quomodocumque vel lecto vel audito, siue per Ecclesiæ vocem siue non, fidem esse pertinacissimè velint. Nos Catholici sic verbi auditum vrgemus, vt ex illo fidem quidem esse libentissimè agnoscamus, sed ex illo ab Ecclesia prædicante (cuius ministerio Deus vti voluit) nobis tradito & explicato; à verbo, inquam, per os Ecclesiæ audito. Duplicem auditum ponit Paulus; vnum verbi Dei, alterum verbi Dei ab Ecclesia prædicati. De priori dixit, *Quomodo credent quem non audierunt?* id est, cuius verbum non audierunt? de altero dixit, *Quomodo audient sine prædicante?* id est, ipsum Dei verbum vnde vel à quo audient, nisi à prædicatore legitimè misso? Aduerte, Lector, hunc duplicem

Fidei generandæ medium externum auditus duplex.

Ephes. 4. 12. & 13.

tum auditum. Nec solum per se verbum, nec solam per se Ecclesiã, sed verbum & Ecclesiam, verbum per os Ecclesiæ audire oportet, vt fidem habeas. Nunc attende Caluini venena. *Fidem* (inquit) *ad Dei verbum summatim restringit Paulus.* Fallit impostor. Non ad Dei verbũ simpliciter ac quomodocumque prolatum, aut vbicumque vel lectũ vel inuentum, sed ad *Dei verbum auditum*, & à prædicante Ecclesia auditum (*Quomodo enim audient sine prædicante?*) fidem restringit Paulus. Addit Caluinus, *hanc restrictionem absurdam fore, si in hominum placita recumbere fides posset.* Iterum fallit. Hæc restrictio ad verbum Dei in suo ambitu complectitur verbũ Dei auditum ex ore prædicantis. Nunc, qui verbum prædicant, homines quidem sunt, sed homines Dei sunt, à Deo iuxta ordinem ab ipso constitutum missi (*Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur?*) à Deo testes veritatis constituti, à Deo *ad consummationem Sanctorum dati.* Nec isti homines sua placita sed ipsum Dei verbũ docẽt. Quia nõ sua placita sed Dei verbũ docẽt ac docebũt, ideo Apostolus dixit, *Quomodo audiẽt sine prædicãte?* ideo credituros ad vocẽ prædicãtis Ecclesiæ misit. An cõtra Paulũ sic obgãniet Caluinus? Cur dicis, *Quomodo audiẽt sine prædicãte?* Cur ad homines prędicãtes audiẽdos nos mittis? Cur in hominũ placita fidẽ nostrã recũbere doces? Cur illã restrictionẽ non tenes, *Fides est ex auditu*

Eph. 4. 12.

Ecclesiæ prædicatio nõ est humana aut fallax doctrina.

ditu verbi Dei? Cur addis, *audito prædicante?* Atqui optimè sciebat B. Apostolus Christum pro sua sapientia prædicantes in Ecclesia ita posuisse, ita misisse, ita dedisse, vt ad omnem diuini verbi veritatem docendam *Spiritum S. apud se in æternum manentem haberent, vt verba sua in ore eorũ & in ore seminis eorũ ponerent,* non recessura ab eis, vt ad hunc finẽ cum illis prædicantibus ac docentibus *omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi,* futurus esset, ideóq; non sua placita sed Dei verbũ semper & infallibiliter doceret. Nunc igitur cum Caluino rectissimè nos dicimus: Hæc restrictio, *Fides est ex auditu verbi Dei, prædicante hoc verbum Ecclesia,* absurda foret, si in aliud recumbere fides posset quàm in verbum Dei ex ore prædicantis Ecclesiæ auditum. Ita sanè est. Qui verbum Dei ab alio quàm ab Ecclesiæ prædicantis ore accipit, ordinem à Christo constitutum inuertit, & mille se periculis exponit. Itaque (vt reliqua Caluini venena expediamus) *facessant sanè oportet omnia hominum commenta,* hominum sanè vel infidelium, vel hæreticorum, vel priuatorum quæcumque iudicia, vbi de fidei certitudine agitur, & eam petere oportet *à verbo Dei ex ore prædicantis Ecclesiæ audito.* Nec execranda blasphemia, sed Apostoli hoc loco doctrina est, *suspensam manere verbi fidem, donec eam fulciat Ecclesiæ authoritas.* Ait enim: *Quomodo verbum audient*

Ioan. 14. Esai. 59. Mat. 28.

Ecclesiæ prædicãtis certa authoritas.

lent sine prædicante? id est: Donec accesserit prædicatis Ecclesiæ vox, suspensus, dubius, incertus omnis auditus est. Sanè hæc prædicantis Ecclesiæ vox si nullam authoritatem haberet, quæ audientium fidem fulciat; nunquam idem Apostolus Ecclesiam vocasset *columnã & firmamentum veritatis*. Sanè si veritatis colũna est Ecclesia, fulcit veritatem. Si veritas est verbi Dei fides, fidem verbi fulcit Ecclesia. Non ergo execrãda blasphemia est hoc dicere, sed execrãda blasphemia est hoc negare. Rursum hęc prædicãtis Ecclesiæ vox si nullã authoritatẽ habet, quæ audiẽtiũ fidẽ fulciat; cur eius necesitas ab Apostolo hoc loco tã luculẽter asseritur? Illa verba Apostoli, *Quomodo audiẽt sine prædicãte?* hũc omnino sensũm, hãc vim habẽt, Verbũ Dei audire nõ possunt, nec debent (ordinariè loquẽdo) nisi ex voce prædicantis Ecclesiæ. Sanè sicut illa verba, *Quomodo prædicabũt, nisi mittantur?* hunc sensum, hanc vim habẽt, Verbum Dei prædicare nec possunt, nec debent, nisi legitimè mittantur. An non igitur eorum est in causa fidei certa authoritas, quos necessariò audire oportet vt credamus? Execranda igitur rursum est Caluini blasphemia, qui hoc negat. De implicita fide quod hîc iterum garrit, nihil ad rem præsentem. Fides Christianorum quæ audit prædicantem Ecclesiam, siue, quum illam audit, implicita adhuc & minùs perfecta generetur, siue

1. Tim. 3. 15.

Fides Ecclesiæ data à verbo Dei non diuellitur

siue explicita, plena atque perfecta capiatur, nunquam à verbo Dei auellitur, quia Ecclesia docens nunquam verbo Dei destituitur. In summa, tenenda tota Apostoli sententia, *Fides est ex auditu prædicantis Ecclesiæ*; & auditus ille, quem qui audit, Ecclesiam habet, est per verbum Dei: quia neque sine prædicante Ecclesia verbum audiri debet (*Quomodo enim audient sine prædicante?*) neque Ecclesia prædicãs ac docens, aliud quã verbum Dei docere potest, quia hæc verbi Dei *custos, testis, columna, & firmamentum est.* Videat Lector quæ de hoc verbi & Ecclesiæ docentis nexu indiuiduo & inseparabili in alijs Antidotis nostris, varia data occasione, contra Caluinum disputauimus, tam in Euangelia quàm in Acta Apostolorum. Verbi prætextus hæreticorum asylum est: Ecclesiæ à Christo data authoritas, columna & firmamentum orthodoxorum est. Verbum, neglecta Ecclesia, volunt illi: verbum nisi cum Ecclesia & per vocem Ecclesiæ volumus nos. Doctrinam cælestem clamant illi: doctrinam cælestem ex ore docentium, qui docere iubentur, profitemur nos. Vide potissimùm quæ ad Ioann. cap. 19. ver. 23. scripsimus.

In Matth. c 5. v. 13. Luc. c. 10. v. 16. Ioan cap. 7. v. 48. & c. 10 v. 16. & c. 19. v. 23. In Act. c. 15. v. 28. & c. 16. v. 17.

Verbi prætextus hæreticorũ asylum.

6. Tota

Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem mihi.

DOcet hic locus, gratiam diuinam sic in homine operari, vt ei homo vicissim liberè cooperetur aut non cooperetur. Hic enim Apostolus volens docere Iudæos sua culpa reiectos à Deo esse, eò quòd in Christum nō crediderunt (saluari enim non posse nisi qui credunt, siue sit Iudæus siue Græcus) postquam dixisset illos audiuisse Euangelium (nam *in omnem*, inquit, *terram exiit sonus prædicantium*) quo audito credere potuissent, si voluissent; nunc docet de hac eorum voluntaria incredulitate olim prædixisse Esaiam; docet hunc esse veterem huius populi morbum, quòd cum maximis auxilijs gratiæ Dei conuerti tamen noluerint, sed semper cō tradixerint, &(vt S. Stephanus illis in os dixit) *Spiritui S. semper restiterint*. Illud enim, *Expandi manus meas*, copiosam & præsentem illis Dei gratiam significat. Illud, *tota die*, perseuerantem & perpetuò pulsantem Dei gratiam docet; dum interim ipsi Deo non crederent, sed contradicerent. Quòd si hæc Dei gratia tam copiosa & tam perseueranter oblata non fuisset auxilium sufficiēs, & gratia ex se efficax; profectò nec illi contradicendo peccassent, nec illorum incredulitatem vel per Esaiam Deus conquerēdo redarguisset, vel

Gratiæ Dei increduli resistunt.

Act. 7.

Apostolus in sequenti capite ruinæ eorum causam fuisse docuisset. Peccatum enim incredulitatis positiuæ seu pertinaciæ (quale hoc Iudæorum erat) sicuti absque externa prædicatione sufficienter facta non fuisset (ideoque, qui de Euangelio nunquam audierunt, illo infidelitatis positiuæ peccato non peccarunt) sic absque interna gratia sufficienti, (sine qua externa prædicatio nihil ad salutem operatur) idem peccatum nõ fuisset. Nam vt qui ex prædicatione manca aut imperfecta, aut falsa & corrupta, fidem totam & integram non didicit, à peccato infidelitatis positiuæ excusatur (vnde Paulus, vt suos Ephesios inexcusabiles redderet si in tota vera fide post eius discessum non
Act. 20. persisterent, dicit illis: *Non subterfugi quò minùs annunciarem omne consilium Dei vobis*) sic planè per auxilium gratiæ insufficiens, qui non fuit conuersus, ab eodem peccato excusatur. Vnde Christus in Euangelio de Iu-
Ioan. 15. dæorum incredulitate sic loquitur: *Si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberẽt, nunc autem excusationem non habẽt de peccato suo. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit* (hæc fuerunt opera gratiæ, externis miraculis coniuncta) *peccatum non haberent*; magnum videl. hoc infidelitatis & pertinaciæ peccatum. Qui ergo auxilio gratiæ contradicendo, pertinaciæ & positiuæ incredulitatis peccato peccauit, ille haud dubiè gratiæ sufficien-

sufficiēti & per se efficaci cōtradixit. Contradixit autem, quia credere & obedire noluit. Sic de Iudæis iterum Christus profitetur: *Quoties volui congregare vos, vt gallina congregat pullos suos, & noluistis!* Illud *quoties* multiplicationem auxiliorum notat. Illa *gallinæ similitudo* tenerrimam dilectionem ex parte Dei, & synceram gratiæ inspirationem significat. Sed congregari ad Christum noluerūt, cōtradicere voluerunt. Sanè auxilij gratiæ sufficientia, &, quantum ex se est, efficacia, sed ex hominum malè libera voluntate inefficacia, ex illis Scripturis manifestè colligitur, quæ docent cum æqualibus gratiæ auxilijs alios conuersos non fuisse cùm illa haberent, alios conuerti voluisse si habuissent. Apud Ezechielem dicit Deus: *Non ad populum profundi sermonis & ignotæ linguæ tu mitteris; & si ad illos mitteretis, ipsi audirent te. Domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me.* Hæcille. Patet, ex illa prædicatione alios conuertendos fuisse, ex qua Iudæi conuerti noluerunt. Sic in Euangelio Christus dicit, *Tyrios & Sidonios in cilicio & cinere pœnitentiam acturos fuisse*, si illa signa vidissent quæ in Bethsaide & Capharnaū facta fuerant: cum quibus tamen ipsi Bethsaiditæ & Capharnaitę cōuerti noluerunt. Nempe hoc est quod Apostolus hîc dicit, *Non omnes obediunt Euangelio*, quia ad eandem prædicationem cum eadem excitāte gratia (alioqui

Mat. 23.

Ezech. 3.

Mat. 11.

qui, non obedire, nullum esset nouum peccatum, quia naturæ vires excedit fidei donum) alij captiuare intellectum in obedientiam fidei gratiæ ductum sequentes nolunt, alij volunt.

Argumentum Cap. XI.

DOCET reliquias Iudæorum saluatas esse beneficio gratiæ Christi, reliquos in sua cæcitate mansisse: Gentes tamen ad fidem vocatas illis insultare non debere, ne & illi excidantur. Denique & ipsos Iudæos tandem ad fidei notitiam & complexum peruenturos exemplo Gentium, sicut Gétes ob incredulitatem Iudæorum venerunt. In qua gratiæ dispositione altitudinem diuinæ sapientiæ admirando concludit.

2. *Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit.*

Prædestinatio cur modò electio modò præscientia vocetur.

QVum ad prædestinationem cuiusque adulti duo necessaria sint, nempe & Dei electio secundùm propositum suum per gratiam (hoc est, voluntas conferendi ea auxilia gratiæ, quibus præuidet prædestinatum ad vitam æternam peruenturum) & præterea ipsa Dei præscientia, quòd talibus gratiæ auxilijs

nilijs prædestinandus ipse de facto ita sit vsurus, vt ad beatitudinem perueniat, quorum prior vera & vnica causa est prædestinationis, ratione ipsius prædestinati; altera nec causa nec origo, sed ei coniuncta: propterea Scripturæ sanctæ prædestinationem hanc diuinam modò ex vno capite appellant *electionem secundùm Dei propositum*; modò ex alio capite eam nominant *præscientiam*, & prædestinatos appellant præscitos à Deo, vt hic Paulus Iudæos electos vocat *præscitos*: præscitos nempe, quòd in beatitudinem (mediantibus certis gratiæ auxilijs, & eorum recto vsu) liberè peruenirent. Caluinus hoc loco ab hoc legitimo sensu abhorrens, ita scribit: *Præcognoscendi verbo non intelligo speculationem nescio quam, qua præsciuerit Deus qualisquisque futurus esset; sed beneplacitum, quo sibi delegit in filios, qui nondum nati in eius gratiam se insinuare non poterant.* Ita ille præscientiã cum electione confundit, nec alteram ab altera distingui patitur. Atqui eas distinguit Paulus, distinguit & Petrus. Paul. his verbis: *Quos præscijt, & prædestinauit cõformes fieri imagini filij sui*: quæ verba, quomodocũque cõstruantur, præscientiã à prædestinatione distinguunt; atque ita distinguunt, vt vel eam designent quæ secundùm nostrũ intelligendi modum prædestinationem præcedit, de qua cap. 9. dictum est; vel eam quæ cum ipsa prædestinatione coniuncta est, de qua mox dicemus,

Præscientia & electio distinguuntur. Rom. 8.

Præscientia in Deo duplex.

1. Pet. 1. & de qua Petrus hoc modo loquitur, *Electis aduenis secundùm præscientiam Patris.* Manifestè affirmat electos secũdùm quandam Dei præscientiã tales esse, id est, esse in diuina electione vel circa ipsos electos quandã Dei præscientiam, non quæ ipsa sit electio, sed cui electio conformis respondeat ac conueniat. Quæ qualis sit, quia de ea loquitur hoc loco Apostolus, paucis explicabo.

Præscientia prædestinationi cõiuncta quæ.

Præscientia in Deo, secundùm quam fit electio, est cooperationis humanæ futuræ & perseuerantiæ simul electorum præuisæ, non illa simplicis intelligentiæ, qua nouit cooperationem vt possibilem, aut vt futurã conditionaliter, si hæ aut illæ circũstantiæ ponãtur (quæ, vt dixi, secundùm nostrũ intelligendi modũ ipsam prædestinationem præcedit, & ad Dei prouidentiam electis ac reprobis communem, non ad ipsam prædestinationem propriè pertinet, vt suprà cap. 9. explicatum est) sed est illa quæ visionis dicitur, qua Deus nouit cooperationẽ futuram in actu absolutè, ideóque præscientia quædam non simpliciter speculatiua sed practica est, sine qua nullos adultos prædestinat. Hãc præscientiã futuræ cooperationis actualis in quolibet prædestinato (à qua tantopere abhorret Caluinus, cum ipsa Dei prædestinatione perpetuò coniunctam esse, ne à nobis fingi videatur) à S. Augustino, qui vnus maximè causam prædestinationis aliquam

quam quoad omnes eius effectus in præuisis electorum bonis operibus sapientissimè semper negat, agnitam ac traditam fuisse docebo. Sanè in libro de prædestinatione Sanctorum ita scribit: *Quod Apostolus dicit de bonis operibus, quæ præparauit Deus vt ambulemus in illis, prædestinatio est, quæ sine præscientia non potest esse. Prædestinatione quippe Deus ea præscit quæ erat ipse facturus.* Cap. 10. Et iterum paulò pòst: *Cùm nos prædestinauit, opus suum præsciuit, qui nos sanctos & immaculatos facit.* Cap. 19. Hæc ille. Rursum in libro de bono perseuerantiæ: *Hæc dona Dei, in quibus est incipere credere, & in fide perseuerare, si nulla est prædestinatio, non præsciuntur à Deo. Præsciuntur autem. Hæc est igitur prædestinatio quam defendimus.* Cap. 17. Atqui hæc dona Dei, & hæc opera Dei, in electis suis non fiunt absque electorum suorum cooperatione libera, vel saltem (vt Caluinistæ volunt) actione spontanea. Vtrumque igitur Deus prædestinando præsciuit, & præsciendo prædestinauit. Vnde alibi idem Augustinus: *Qui omnes rerum causas præsciuit, profectò in eis causis nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas esse præsciuit.* De libero arb. lib. 3. cap. 4. Quare iterũ atque iterum hanc doctrinam, vt indubitatè clarissimam, idẽ celeberrimus gratiæ diuinæ Doctor tradit. *An quisquam* (inquit) *dicere audebit, Deum non præscisse quibus esset daturus vt crederent? aut quos daturus esset filio suo, vt ex eis nõ perderet quẽquam? Quæ vtique si præsciuit* (non personas De bono perseuer. cap. 14.

tan-

tantùm, sed & fidem atque opera) *profectò beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, præsciuit.* Móxque ipsam prædestinationem ita definit, vt præscientiam cũ ea indiuiduo nexu coniungat: *Hæc prædestinatio sanctorum nihil aliud est, quàm præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicunque liberantur.* In prædestinatione non solùm est præparatio ex beneplacito, sed etiam præscientia cum beneplacito. Tandem hunc ip-
Ibid c. 18. sum Pauli locum pertractans B. Augustinus, vbi disertè docet ex his Pauli verbis præsciẽtiæ nomine significari prædestinationem, quia *Dei dona, quæ electis conferuntur vt salui fiant, à prædestinante Deo præsciuntur*, post aliquâ disputationem ita concludit: *Nullus igitur, qui hæc intelligit, negare vel dubitare permittitur, vbi ait Apostolus, Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit, prædestinationem significare voluisse. Præsciuit enim reliquias quas secundùm electionem gratiæ fuerat ipse facturus: hoc est ergo, prædestinauit. Sine dubio enim præsciuit, si prædestinauit: sed prædestinasse, est hoc præsciisse quod erat ipse facturus.* Opera gratiæ intelligit, quæ in suis electis operatur Deus, vt ad salutẽ per-
Cap. 11. ueniant. Vnde paulò pòst ita scribit: *Hæc omnia, initium scilicet fidei, & cætera vsque in finem dona sua, Deus largiturum se vocatis suis esse præsciuit.* Hæc ille. Deus ergo, quoscunque prædestinat, non solùm ex beneplacito prædestinat, quoad personas ipsas electas; nec vt

abso-

absolutè saluandos, quia electos; sed cum præscientia eorum omnium quæ Deus in illis operaturus est; cum præscientia, inquam, beneficiorum gratiæ, fidei, charitatis, perseuerantiæ, eos prædestinat: quibus mediantibus saluantur, quicunque adulti saluantur. Sic non finem præcisè, sed finē per media, nec priùs finem quàm media, Deus prædestinat. Hac de causa ipsa prædestinatio, non solùm electio, sed & interdum præsciētia in Scripturis vocatur, vt ex hoc ipso Pauli loco B. Augustinus loco nuper citato accuratè probat. Cap. 18. suprà.

Quæ sanè omnia idcirco contra Caluinum ex B. Augustino hoc loco accumulaui, quia *præscientiæ velo electionem non modò obscurari, sed & aliunde quàm ex Dei beneplacito originem accipere*, Caluinus conqueritur; ideoque Deum *absque vllo respectu ad hominum futuram cooperationem quascumque voluntates, consilio ac decreto suo, quod earum omnium considerationem antecedat, prædestinare* affirmat, in hanc suam sententiam vnum Augustinum trahens, quum *seculis omnibus alios magnos authores sibi aduersari* fateatur. Atqui ex præcedentibus apparet, non secus Beatum Augustinum quàm alios Doctores omnes, præscientiam fidei, charitatis, perseuerantiæ, aliorumque bonorum operum & beneficiorum Dei, quibus ad salutem prædestinati perueniunt, cum ipsa prædestinatione diui- Instit. l. 3. c 22. n. 1. & seqq.

diuina intimè & indiuiduo nexu cõiunctam agnoscere ac docere. Qui huius præscientiæ doctrinam à Scholasticis Theologis latius explicatam & solidè confirmatam videre cupit, legat Gregoriũ à Valentia in Sanctum Thomam.

Valen. in 1 par. q. 23. puncto 4.

4. *Reliqui mihi septem millia virorum qui non curuauerunt genua ante Baal.*

INeptè & pertinaciter his verbis & hoc exemplo abutuntur horum temporum hæretici, vt similem Christianæ Ecclesiæ statum esse hodie ostendant, postquam illi suas hæreses, Ecclesiæ Christianæ ante tot secula incognitas, propalare & propagare cœperunt. Caluinus, cum cæteris insaniens, ita in hunc locum scribit: *Hoc animaduertant lectores: quòd Paulus temporis sui statum diligenter cum vetusta Ecclesiæ conditione tum hoc loco tum etiam alibi comparat, non mediocriter hoc ad fidei confirmationem valere, dum reputamus nihil nobis hodie accidere, quod non olim experti sint sancti Patres. Scimus enim quàm grauis machinâ sit ad turbandos infirmos animos nouitas.* Sed & in sua pestilenti Institutione idem exemplum his verbis premit: *Quamuis tristis vastitas quæ nobis vndique occurrit* (Catholicæ Ecclesiæ toto orbe diffusæ faciem suorumque paucitatem intelligit) *nihil residuum esse clamet, sciamus tamen fructuosam esse Christi mortem, Deumq; mirabiliter Ecclesiam suam quasi in latebris seruare;*

Inst. lib. 4. cap. 1. n. 2.

sicut

sicut Eliæ dictum est, Seruaui mihi septem millia virorum, &c. Sed hoc de Eliæ tempore exemplum, tametsi ad primordia nascentis Ecclesiæ, vel potiùs ad gentis Iudaicæ seruatas reliquias, sapienter ab Apostolo accommodatum fuit; tamen ad Ecclesiam Christi iam propagatam, & ad plenitudinem Gentium quæ ex delicto Iudæorum intrauit, idem exemplum nullo modo accommodari potest aut debet. Primùm, quia non in Samaria, vbi ista paucitas occulta erat, & Elias sibi solus, qui legem Dei teneret, videbatur, vera Iudæorum Ecclesia erat, aut publicus aliquis Dei cultus, vel Synagogæ status, sed in regno Iudæ & Ierusalem: idque tanta frequentia, vt cùm in idololatrica Samaria penè solus videretur Elias qui verum Deum coleret, in illo tamen regno, Rege Iosaphat tum tẽporis regnante, pio admodum Rege & diuini cultus studiosissimo, præter vniuersam plebem plusquam decies centena millia pugnatorum fuerint, qui omnes veram Synagogam satis amplam & copiosam & spectabilem constituerunt. Imò hoc exemplum aduersum hæreticos hodie valet. Nam vt Lutherus in Saxonia, Cinglius in Heluetia, Caluinus in Sabaudia, quum suas hæreses primò propalabant, penè soli videbantur qui illas nouitates amplecterentur (ob quam maximè causam hoc Samaritanæ vastitatis exemplum auidè arripiunt) ita eodem tempore

Eliæ exẽplum ecclesiæ Christi propagatæ accommodari nõ potest.

2. Par. 17.

pore in Catholica, Apostolica, & Romana Ecclesia numerosissimæ gentes Christum coluerunt, & veram Christianam Ecclesiam florentem & spectabilem reddiderunt, sicut in regno Iuda ac Ierusalem credentes & pij Iudæi Samaritani schismatis tempore. Et obseruandum, nostros hodie hæreticos ac schismaticos à schismate Samaritano exemplum capere Deinde, defectus iste seu eclipsis Synagogæ non solùm ex parte Samariæ iam tum à vero Dei cultu abalienatæ, sed etiam ex parte reliquarum tribuum, atque ipsius adeò Hierosolymæ, (quod non adeò diu pòst sub Manasse impio Rege accidit) in exemplum trahi non debet, vt eadem vastitas in Ecclesia Christi per totum semel orbem propagata, futura videatur; tum quia *in melioribus repromissionibus noui Testamenti status* sancitus est, dicente Christo ipso de Ecclesia sua per omnes gentes diffundenda, *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam*; tum quia (quod ex hoc ipso capite aduertere hæretici debuerunt) non sicut delictum Iudæorum salus erat Gentibus, & per ruinam eorum plenitudo Gentium intrauit (quod Prophetarum vaticinijs prædictum Paulus hîc demonstrat) sic Catholicæ per orbem Ecclesiæ delictum salus futura est nescio quorum aut Lutheranorum, aut Caluinistarũ, aut alicuius alterius sectæ; aut per ruinam Catholicorum, plenitudo quorun-

Synagogę eclipsis Ecclesiæ non præiudicat.

Hebr. 9.

Mat. 16.

quorundam, qui se Euangelicos, Reformatam Ecclesiam, Protestantes venditarent, similiter intraret; aut vlla de hac re vaticinia prophetica extant. Terret quidem salubriter & sapienter Apostolus hoc ipso capite Christianos Gentiles, qui *veluti oleaster inserti sunt in oliuam*, ne glorientur aduersus veræ oliuæ ramos, ne & ipsi propter incredulitatem frangantur; & qui nunc excisi erant, propter incredulitatem Gentium iterum inserantur: potens est enim Deus iterum inserere illos. Sed tota hæc commination Iudeis quidem patrocinari poterit propter variarum Gentium apostasiam (quam oculis nostris cernimus) ad Christi fidem conuertendis, nostris autem hodie Lutheranis, Caluinistis, aut alijs quibuscunque Euangelicis patrocinari non potest; nisi se Iudæos esse profiteantur, qui Gentibus propter incredulitatem excisis, easque æmulati, Euangelium regni tandem complectentur. Tandem, adeò hoc exemplum de tempore Eliæ quamlibet hodie Protestantum sectam non iuuat, vt quum illi in orbe musitare cœpissent, magnámque illam vastitatem cernerent de qua Caluinus loquitur, nec septem millia nec septem homines toto orbe, numerari potuerint ipsorum religioni per omnia conformes, quos Deus veluti puras & immaculatas reliquias seruauerit. Quam ob causam quū nisi quatuor essent qui anno

1521. à duce Saxoniæ Ioãne Frederico Missæ abolitionem peterẽt, illéque paucitatem illã exhorreret, quatuor illi, de reliquijs occultis nihil somniãtes, Duci fortiter persuadent, *quòd numero superentur, nihil esse noui; semper inde à mundo condito maiorem hominum partem restitisse veræ doctrinæ, ac veritatem paucorum esse.*

Sleidanus lib. 3.

5. *Reliquiæ secundùm electionem gratiæ saluæ fa-*
6. *ctæ sunt. Si autem ex gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia.*

QVæ de præscientia bonorum operum seu futuræ cooperationis humanæ, diuinæ prædestinationi coniuncta, nuper hoc ipso capite & suprà cap. 9. diximus, ex his Apostoli verbis, à corrupte la Caluiniana repurgatis, fortiùs & solidiùs stabilientur. Sanè omnem in negotio prædestinationis, adeóq; totius iustificationis ac salutis humanæ, bonorum operum præscientiam, respectum, considerationem, ex hoc loco valde refutari posse iudicauit Caluinus, qui idcirco multis verbis hunc locum premit: quorum nihil prætermittemus; ac breuiter tamen (Deo dante) expediemus, quia de tota causa in præcedentibus vbertim satis disputatum est. *Amplificatio* (inquit) *hæc est sumpta ex comparatione cõtrariorum. Sic enim habent inter se Dei gratia & meritum operum, vt, qui alterum statuit, alterum euertat.* In causa electionis diuinæ ad primã gratiam, de qua hîc Apostolus loquitur,

tur, verisimum hoc est. Quid ex eo inferet Caluinus? *Porrò si nulla operum consideratio in electione admitti potest, quæ nõ obscurat gratuitam Dei bonitatem, quam nobis tãtopere in ea commendatam voluit; viderint phrenetici quid Paulo respondeãt, qui cãusam electionis faciunt quam in nobis dignitatem Deus præuidet.* Vide impostoris fraudem. Ab exclusis operum meritis transit astutè ad omnem operum considerationem excludendam. A simplici operum præscientia cũ ipsâ electione coniuncta, transit astutè ad causam electionis in ipsis operibus ponendã. Atqui iã ostẽdimus, esse quidẽ bonorũ operũ (quæ Dei dona sunt) in Deo præscientiã electioni coniunctã, non tamẽ quæ ipsius electionis aut causa, aut origo sit, aut conditio sine qua non Deus tales eligeret; sed huiusmodi, vt stante tali præscientia, ex solo tamẽ suo beneplacito tales Deus delegerit quos ex suę gratię donis credituros & perseueraturos præsciuit: posset́que tales ex suo beneplacito non eligere. Ita hæc operũ consideratio & præscientia in Deo, vt nulla electionis causã est, sic gratuitã Dei bonitatem nullo modo obscurat, sed eius admirabilem iustitiam ac sapientiam excellenter commendat. Pergit Caluinus: *Nam siue futuris siue præteritis operibus locum aliquem dederis, reclamabit hæc Pauli sententia, quæ dicit gratiam operibus nihil facere reliquum.* Pauli sententia hæc est: *Si ex gratia est electio, iam non ex operibus.*

Caluini astutia retegitur.

Operum præscientia, Dei beneplacitum non obscurat.

Opera electionis causa non sunt.

id est: Si causa electionis ex parte Dei est gratia, profectò causa eiusdem electionis ex parte Dei non possunt esse opera hominum, seu futura, seu præterita. Illa particula, *ex*, apud Paulum causalis est. Hæc sententia nostræ non reclamat, qui non alium operibus locũ damus in electione diuina, quàm quòd ea singula à Deo præcognosci & à Deo præuisa fuisse asserimus, iuxta apertissimam B. Augustini doctrinam ex Scripturis deductam, vt nuper explicatum reliquimus. Pergit Caluinus: *Non hic de nostra cũ Deo recõciliatione disputat Paulus, nec de medijs vel propinquis salutis nostræ causis; sed altiùs conscendit, cur Deus ante conditum mundum quosdam elegerit, alijs præteritis.* Vera sunt hæc: agit Paulus de electione Dei æterna, quæ ex pura gratia & ex solo eius beneplacito facta est, quatenus vel ipsam primam vocantis & præuenientis Dei gratiam significat, vel omnes simul electionis effectus complectitur; non de iustificatione aut glorificatione in tempore seorsim acceptis, quæ alias medias & propinquas causas ex parte nostra habent; quas & singulas Deus præuidit, quia singulę ipsius Dei opus sunt, quatenus ex eius gratia, donis, & auxilijs promanant. Pergamus: *Deum aliunde adductum esse negat ad hoc discrimen, quàm mero suo beneplacito.* Non aliunde, id est, non ex alia causa, verum est. *Nam si quis operibus detur locus, tantundem gratiæ detrahi contendit.*

Omni-

Omnino si opera ponantur vt causa electionis, quæ prorsus gratuita est, tantũdem gratiæ detrahitur. Sed hoc dato operibus loco, vt ea à Deo præuideantur, veluti vnus partialis effectus (non causa) electionis diuinæ, quæ vicissim alterius effectus eiusdem electionis causa quædam sint, gratiæ diuinæ nihil detrahitur, sed gratia diuina plurimũ illustratur; quæ sic suos electos ab æterno saluare decreuit, vt eisdem gratiæ suæ auxilia ab æterno præordinauerit; atque vt ipsi suæ salutis cooperatores essent, incredibili bonitate disposuerit. Cõclùdit Caluinus: *Vnde sequitur, operum præscientiam cum electione perperam misceri.* Ex operum consideratione antedicta, eorum præscientia adeò cum electione perperam non miscetur, vt (quemadmodum disputat S. Augustinus) *si nulla esset operum præscientia, nulla esset prædestinatio.* De prædestinat. SS. cap. 17. Sed premit adhuc & vrget magis Caluinus: *Nam si Deus alios eligit, alios reprobat, prout salute dignos vel indignos fore præsciuit; iam posita operum mercede, non regnabit sola Dei gratia, sed dimidia tantùm ex parte causa electionis erit. Nam sicuti antea Paulus in iustificatione Abrahæ disseruit, vbi rependitur merces, non vltro conferri gratiam; ita nunc ex eodem fonte argumentum ducit, si in rationem veniant opera, vbi Deus certum numerum in salutem adoptat, deberi mercedem: itaque non fore gratuitum beneficium.* Respondeo: Præscientia operum in Deo prædestinãte si ita ponatur,

vt certos homines prędeſtinauerit, prout eos dignos vel indignos fore præſciuit, intelligendo illud, *prout*, per modum cauſę, aut originis, aut conditionis ſine qua non; ſequeretur ſanè quod Caluinus dicit, non ſolam Dei gratiam in cauſa electionis regnaturam, ſed quòd ex aliqua tantùm parte cauſa electionis gratia foret. Nunc verò hæc operum præſcientia non ita in Scripturis citatis aut à D. Auguſtino ponitur, vt ſit ipſius electionis aliqua cauſa, origo, aut conditio, ſine qua Deus non prædeſtinaret quos prædeſtinauit, ſed tantùm vt ſit ipſi prædeſtinationi coniuncta; quando quæ Deus in electis ſuis facturus erat, ignorare non potuit, ſed neceſſariò ab æterno præſciuit. Hoc modo ſola Dei gratia in Dei electione regnat, & operum tamen præſcientia in Deo neceſſariò ponitur. Semper Auguſtinus, vt præſcientiam cauſalem & quorumlibet operum à Dei electione remouet, ita præſciętiam de facto & operum gratiæ cum ea coniungit. Quod vno adhuc in loco diſtinctiùs facit: *Quod Apoſtolus dicit, Elegit nos ante mundi conſtitutionem, ſi propterea dixit, quia præſciuit Deus credituros, non quia facturus erat ipſos credentes, contra iſtam præſcientiam* (ſcilicet partim cauſalem, &, quia præſciuit, partim quorumlibet operum) *loquitur Filius dicens; Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos: cùm hoc potiùs præſcierit Deus* (hæc eſt iam alia præſciętia ope-

Gratia ſola in electione regnat.

De prædeſtinat. SS. cap. 17.

operum gratiæ & de facto) *quòd ipsi eum fuerant electuri, vt ab illo mererentur eligi.* Tollit vnam præscientiam, causalem scilicet, fideiq; & operum ex proprijs viribus, in electione gratiæ; & ponit statim aliã præscientiam operum gratiæ; de qua etiam addit, quòd rationem meriti habeat respectu alterius electionis; scilicet ad gloriam. *Quòd ipsi eum erant electuri,* est opus gratiæ in Apostolis, *vt ab illo mererentur eligi;* supple ad gloriam, quæ cadit sub merito; non ad ipsam primam gratiam, quam nemo mereri potest.

Præscientiam operũ quam admittit, quam reiicit Augustinus.

Iam verò disputatio Pauli de iustificatione impij, quam ex iustificatione Abrahæ deducit, cum hac præsenti hoc cõmune habet, quòd neque illius iustificationis neq; huius electionis opera aliqua humana sint causa, sed sola Dei gratia vera vtriusque causa existat. Hoc tamen discrimen est, quòd quum ibi de prima iustificatione in tempore agatur, quæ ex primis est prædestinationis effectibus, hîc verò de electione æterna in mente diuina: in illa, opera præcedentia excluduntur, partim veluti iustificationis meritum, (eò quòd primam iustificationem nemo mereri queat) partim vt opera sine fide & gratia Christi; quibus si iustificatio coram Deo penderetur, merces esset, nõ gratia: in hac verò, opera præuisa remouentur; propter quæ si electio fieret, non illa esset

Rom. 4.

Opera à prima iustificatione & ab electione vario sensu remouentur.

gratuita, sed per modum iustæ mercedis rependi videretur. Vtrobique opera à ratione causæ remouentur: sed illic opera de facto præcedentia, hîc de futuro præuisa; illic quo ad rationẽ meriti, hîc quoad causam quamcunque mouentem; illic opera sine auxilio gratiæ merè humana, hîc opera ipsius gratiæ Dei. Illorum enim præscientia cum electione diuina coniuncta est. Sed vafer Caluinus de mercede operum in hac causa electionis diuinæ loquitur, quasi diuina electio quomodocunque considerata omnem mercedem operum remoueret; sic enim prosequitur, locumque tandem concludit: *Tametsi autem hîc de electione sermo est; quia tamen generalis est ratio qua Paulus vtitur, ad totam salutis nostræ rationem extendi debet: vt intelligamus toties pronunciari, nulla esse operum merita, quoties salus nostra Dei gratiæ tribuitur: vel potiùs vt credamus toties in nihilum redigi operum iustitiã, quoties gratia nominatur.* Hic fuit Caluinianæ hoc loco disputationis scopus, hic finis, hæc meta ad quã hactenus collineauit. Quod Paulus de electione dixit, vult ad totam salutis nostræ rationem extẽdi, id est, de singulis diuinæ electionis effectibus seu medijs ad salutem intelligi. Sed quis hoc ei dabit? aut quomodo hoc probat? *Quia* (inquit) *generalis est ratio qua Paulus vtitur.* Intelligit propositionem Pauli esse generalem qua sic arguit: *Si ex gratia, iam non ex operibus.* Est quidem,

dem, est propositio generalis, & perpetuò vera; sed pro ratione subiectæ materiæ, de qua effertur, aliter & aliter intelligenda. Electio æterna, de qua hîc Paulus agit, *non ex operibus est, quia ex gratia*, hoc sensu: Nulla opera, vel futura, vel præterita, electionis Dei æternæ causa esse potuerunt: de quo iam satis diximus. Iustificatio impij de qua ad Rom. 4. Paulus agit, *non ex operibus est, quia ex gratia*, hoc sensu: Nulla præcedentia opera causa esse possunt meritoria iustificationis impij: vel (quod idem est) iustificatio impij nunquam redditur operibus præcedentibus tanquam merces. Sic in æterna Dei electione, & in prima hominis iustificatione, sola regnat Dei gratia, vt sola & vnica efficiens causa vtriusque. Atqui in tota salutis nostræ ratione alius adhuc est diuinæ gratiæ nobilissimus effectus præter hæc duo: nempe ipsa in tempore glorificatio. *Quos enim prædestinauit, hos & vocauit: quos autem vocauit, hos & iustificauit: & quos iustificauit, hos glorificauit.* Ad glorificationem electorum sic concurrit gratia, vt etiam concurrãt opera: opera quidem ipsius gratiæ, cuius auxilio fiunt, ipsorum tamen glorificandorum opera, qui *Dei gratiam in vacuum non acceperunt*, sed, acceptis gratiæ talentis, *sicut boni serui ac fideles superlucrati sunt*; & fideliter in vinea Domini sui laborantes, recipiunt mercedem. In hac glorificatione, electionis diuinæ

Gratia diuerso sensu opera excludit.

Rom. 8.

2. Cor. 6. 1.

Matth. 25

uinæ vltimo effectu, non habet præcisè & generaliter locum hæc consequentia, *Si ex gratia, non ex operibus*; dico non præcisè, quia & ipsa opera, gratiæ Dei opera sunt; vt sic operum mercedem accipientes, *gratiam pro gratia accipiamus*: quæ propterea, vt à Dauide *corona misericordiæ & miserationis*, sic à Paulo *corona iustitiæ* vocatur; & vt ab ipso Paulo *Gratia Dei*, sic à Christo *operariorum merces* nũcupatur. Quare plenum fallaciæ ac dementiæ est quod concludit Caluinus, *toties in nihilum redigi iustitiam operum, quoties Dei gratia nominatur*: de qua re iam sæpius & vbertim contra Caluinum in hac epistola disputatum à nobis est. Sanè operum humanorum iustitia quæ sine fide Christi, & solis naturæ viribus, aut ex sola doctrina legis fiunt, toties in nihilum redigitur, quoties Dei gratia prædicatur: sed operum iustitia quæ in fide Christi & ex gratia Christi fiunt, per gratiæ Christi prædicationem non secus statuitur, ac stabilitur, quàm effectus per causam, aut quodlibet mouens per principium sui motus, aut denique quodlibet agens per actionis suæ adiuuantes & cooperantes causas. Denique non hîc de operum iustitia ratione vitæ æternæ consequendæ, sed de operibus reliquiarum Iudaicarum vocationem ad fidem præcedentibus agit Paulus; ex quibus negat eos vocationem hanc adeptos, quia *secundùm electionem gratiæ*, siue gratuitam, vocati

Gratia & opera in glorificatione electorum cõueniũt. Ioann 1. Psal. 102. 4. 2. Tim. 4. Rom. 6. Matth. 12.

cati sunt. *Quòd si ex gratia, non ex operibus* hanc vocationem præcedentibus. Ita *non ad omnes salutis nostræ partes* hæc Apostoli disputatio trahēda est, quę de prima tantùm eius parte, primaque gratuita vocatione ad fidem agit.

8. *Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant, vsque in hodiernum diem.*

IMpius & execrabilis Caluinus, vt horrendam suam in Deum Optimum Maximum blasphemiam tueatur, esse Deū actiuam peccati causam, & sola sua voluntate homines ad exitium destinasse, idem ex hac Apostoli disputatione non minori cum impudentia quàm impietate probare contendit. Quod Apostolus in præcedenti sententia de incredulis Iudæis dixerat, *Cæteri verò excæcati sunt*, hoc Esaiæ vaticinio, alioque Dauidico, confirmat. *Sicut* (inquit) *scriptum est, Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos vt non videant, aures vt non audiant. Et Dauid dicit: Fiat mensa eorum in laqueum, & in captionem, & in scandalum, & in retributionem illis. Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua.* Hæc autem omnia partim de futura Iudæorum incredulitate veniente Christo, partim de huiusmodi incredulitatis certissima pœna, Prophetæ vaticinantur. Esaias de ipsa futura incredulitate prædicāte Christo loquitur, quæ ab ipsorum propria & voluntā-

luntaria pertinacia ortum accepit. Vnde Matthæus, Ioannes, & Paulus illam prophetiam quasi hoc modo impletã allegauerunt. Ac apud Matthæum quidem & Ioannem huius eorum incredulitatis nullam in Deo causam resedisse, contra impium Caluinum in istis nostris Antidotis demonstrauimus. Dauid de futura Iudæorum post Christi glorificationẽ cæcitate loqui, quam hîc Apostolus sicuti & aliam designat (de eorum quippe incredulitate disputat tam prædicante Christo quàm prædicantibus Apostolis) quæ in pœnam crucifixi Messiæ illis inflicta est, non illos actiuè excæcante Deo, sed illos iustè deserente Deo, proximè præcedentia apud Dauidem verba luculenter docent: *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Fiat mensa eorum*, &c. Vtroque igitur in loco Dei bonitas ab omni huius cæcitatis Iudaicæ causa liberatur.

Matth. 13 11. Ioann. 12. 39. Actor. 28. 26.

Rom. 10.

Psal. 21.

Vide nunc vt Paulum ac Prophetas impius Caluinus ad suas execrandas blasphemias detorqueat. *Hoc* (inquit) *vult Paulus, quantum ad reprobos spectat, principium ruinæ ac damnationis esse ex eo quòd sunt à Deo derelicti.* At aliud Prophetæ à Paulo citati docuerunt. Esaias quidem, quòd Iudæi *suos oculos clauserunt*, vt cæci fierent, sicuti Esaiæ verba Matthæus & Paulus proferunt; Dauid quòd propter crucifixum Christũ *obscurati sunt oculi eorum*, sublato & denegato gratiæ lumine.

Damnationis causa suprema Deus non est.

Matth 13. 12. Actor. 28. 26.

Princi-

Principium ergo ruinæ ac damnationis in ipsorum Iudæorũ propria malitia, propter quam à Deo deserti sunt, non in ipsa primitus Dei derelictione, iuxta Prophetas quos allegat, Paulus ponit. An Pauli sententia meliùs explorari potest, quàm ex Scripturis quas ad eius confirmationem allegat? Quid ad hanc allegationẽ Caluinus? *Quæ* (inquit) *Paulus adducit testimonia, quanquam ex varijs potiùs Scripturis collecta quàm ex vno loco desumpta sunt* (quid hæc exceptio ad rem, quũ sint duo integra testimonia, Esaię vnum, Dauidis alterum, qui & nominatim citantur?) *omnia tamen videntur aliena esse ab eius proposito, si ex circumstantijs suis ea propria expendas. Vbique enim videas excæcationem & indurationem commemorari, tanquam Dei flagella quibus admissa ab impijs flagitia vlciscitur. Paulus autem probare hic contendit, excæcari non eos qui sua malitia iam id meriti sunt, sed qui ante mundi creationem reprobati sunt à Deo.* Hanc sibi hoc loco difficultatem Caluinus proponit. Contra Pauli consilium, à se confictum, apertè pugnare videt Scripturas à Paulo citatas. An propterea sententiam mutabit suam, & manifestæ veritati locum dabit? Paulum videl. non de æterna Iudæorum reprobatione à sola Dei volũtate profecta, sed de temporali illa Iudæorũ reiectione (prędicato primùm Euangelio) disputare, cuius ipsorum propria pertinacia & nequitia ab Esaia ac Dauide prædicta,

Scripturarum apertis verbis Cal. non cedit.

dicta, vera & vnica causa fuerãt? Illud nunc videbimus. *Hunc* (inquit) *nodum ita breuiter soluas, quòd origo impietatis, quæ ita in se prouocat Dei furorem, est peruersitas naturæ à Deo derelictæ.* Vide, lector, ne te fallat Caluinus. Aliquid hîc pietati consonum dicere videtur; sed mentitur ac fallit. Verum sanè est, remotam quandã omnis impietatis causam esse peccatum originale, & depraua tam ex eo naturam humanam sibi derelictam. Sed propria cuiusque impietatis causa vera, & proxima, est mala cuiusque voluntas; quæ non à Deo sed ab ipso impio ortum suum & originem suam accipit. Impiè hoc loco ac fraudulenter Caluinus impietatis Iudaicæ, quæ tantum in se Dei prouocauit furorem, originem peruersitati naturæ tribuit; quando hæc naturæ peruersitas non nisi remotissima & maximè impropria causa huius impietatis fuerit. Imò hæc naturæ peruersitas in Iudæis, in fœdus filiorum Dei mediante circuncisione cooptatis, aut correcta fuit, aut corrigi potuerat; nisi proprio suo vitio obsistentes, huiusmodi impietatis fructus postea protulissent, qui irã Dei & derelictionem tantam prouocauerunt. Hæc prima Caluini impostura est. Quid ex ea deducat, videamus: *Quare non abs re Paulus de æterna reprobatione hæc citauit, quæ ex ea prodeunt vt fructus ex arbore, & riuus ex sua scaturigine.* Vide vt iterum magis improbè fallat. Ait Paulum de æter-

Caluini impostura retegitur.

de æterna reprobatione hæc citare, quum tota disputatio manifestè doceat, eũ de vasta illa præsentium Iudæorum reiectione, sicut & de præsenti paucorum Iudæorum ac innumerorũ Gentilium ad fidem vocatione, hoc loco & hoc capite agere. *Sic* (inquit) *in hoc tempore reliquiæ* (scil. Iudæorum credentium) *secũdùm electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Quid ergo? Quod quærebat Israël, hoc non est consecutus? Electio quidem* (id est, pauci electi) *consecuta est: cæteri verò excæcati sunt, sicut scriptum est*, &c. Quis nõ videt Paulum de præsenti tunc temporis Iudæorũ ex maxima parte excæcatione agere, & ad præsentem illius temporis excæcationem vaticinia illa prophetica applicasse, quæ Caluinus fatetur huiusmodi esse, vt excæcationem Iudæorum prædicent ex propria eorum impietate ortam, & iusto Dei iudicio illis inflictam? Hîc ergo semel apertè mentitur & fallit. Adhuc iterum in eisdem verbis fallit dicens; *hæc Dei flagella, ab Esaia & Dauide commemorata, ex æterna Dei reprobatione prodire, sicut fructus ex arbore, & riuum á scaturigine*: quod est dicere, excæcationis & indurationis Iudæorum ab illis Prophetis commemoratæ radicem ac fontem esse, non iam Iudæorum partim maleuolentiam & pertinaciam, vt Esaias, partim Messiæ crucifixionem, vt Dauid scripserunt; sed ipsam æternam Dei reprobationem, quà ab æterno decreuit & voluit sua solà voluntate eos ita ex-

Apost. interitum Cal. inuertit.

Peccata Iudæorum Deo imputat Cal.

ita excęcare & indurare. Vides ergo, lector, quod Caluinus nodū non soluit, sed arctiùs constringit. Vaticinia prophetica cum suo figmēto adeò conuenire nō docet, vt suum figmētum illis ex diametro repugnare manifestè appareat. Vide tamē quēadmodum suas adhuc blasphemias euomit: *Impij quidē propter sua scelera iusto Dei iudicio puniūtur. sed si fontem exitij eorum quærimus, eò deueniendū erit, quòd à Deo maledicti, nihil omnibus factis, dictis, consilijs suis quàm maledictionem accersere & accumulare possunt. Imò æternæ reprobationis ita abscondita est causa, vt nihil aliud nobis superst, quam admirari incomprehēsibile Dei consilium, sicuti tandem ex clausula patebit.* Est horrenda & apertè blasphema doctrina. *Fontem exitij impiorum* ponit *in ipsa Dei maledictione*, quæ facit vt homines impij nihil nisi maledictionem & impietatem proferant. Ita tametsi causam proximam iusti Dei iudicij, quoad pœnam, agnoscat impiorum scelera, ipsorum tamen scelerum fontem, quoad culpam, ipsius impietatis primam causam ponit in ipso Deo maledicente quibus vult maledicere, & ad omnem impietatem impellente quos vult esse impios. Vnde & alibi sic scribit: *Egreditur populus ex Ægypto. Prodeunt obuiam infesti regionis incolæ. Vnde excitati? Moyses certè populo asserebat Dominum fuisse qui corda eorum roborasset: Propheta verò, eandē historiam recitans, dicit ipsum vertisse corda eorum, vt odio haberēt populum suum.*

Nodum Inū Cal. non soluit.

Blasphemia aperta & horrēda Cal.

Culpæ causam in Deo, pœnę causam in homine, ponit Cal.

Inst. lib. 2. cap. 4. num. 4.

Iam

lam dicere non possis destitutos Domini consilio impegisse. Nam si roborantur & vertuntur, destinatò inflectuntur ad id ipsum. Adhæc, quoties in populi transgressiones vindicare illi placuit, quomodo opus suum in reprobis adimpleuit? Vt videas efficaciam agendi penes ipsum fuisse, illos ministerium dumtaxat præbuisse. Hæc ille impius. Sic fontem impietatis in Dei maledictione ponit, vt efficaciam impiè agendi penes ipsum Deum statuat; ipsos impios ministros tantùm & executores esse illius impietatis, quã Deus in illis efficaciter operatur. Sic impios Chananæos non Dei consilio destitutos, sed *ab ipso Deo destinatò huc inflexos* affirmat, vt populum Dei odio haberent. Ita hæc duo loca manifestam & luce meridiana clariorẽ reddunt execrabilẽ Caluini blasphemiã (quam toties palliare contẽdit) Deum esse propriè & efficaciter authorem peccati in impijs: nam & adhuc paulò pòst ita scribit: *Nõ recitat hic Paulus quæ apud Prophetã habẽtur, sed tantùm sententiã colligit spiritu, amarulentiæ esse diuinitus imbutos, vt videndo & audiendo stupidi permaneãt:* Ecce, ait *impios spiritu amarulentiæ diuinitus esse imbutos*: id est, ab ipso Deo spiritum amarulentiæ accepisse. Quo enim diuinitus imbuti sumus, id haud dubiè à Deo accepimus. Et iterum: *Iubetur quidem Propheta obdurare cor populi: sed Paulus ad fontem ipsum penetrat, quòd scilicet sensus omnes occupet brutus stupor, postquam in hanc amentiã traditi sunt homines, vt contra ve-*

Deũ authorẽ peccati manifestè docet Calu.

ritatem virulentis ſtimulis (exempli cauſa Caluinus) *ſe acuant*. Rurſum fontem amarulentiæ & ſtuporis in pertinacibus incredulis ponit in Deo, eiuſq; æterna reprobatione, de qua hîc Paulum agere ſuſtinet. Denique vide quanto ſtudio hanc omnis impietatis primâ in Deo cauſam vrgeat. *Stultè autem faciunt, qui, ſimul ac verbum factum eſt de propinquis cauſis, earum prætextu hanc primam, quæ ſenſum noſtrum latet, obtegere tentãt: ac ſi Deus non liberè ante Adæ lapſum ſtatuiſſet de toto humano genere quod viſum eſt, quia damnat vitioſum ac prauum eius ſemen; deinde, quia peculiariter ſingulis, quam meriti ſunt, ſcelerum mercedem rependit.* Vide vt homo planè impius totius impietatis primam cauſam, *tametſi ſenſum noſtrum lateat*, in Deo ponat; alias in ipſis impijs propriæ impietatis veras & proprias cauſas, quas quotidie cernimus, *propinquas* vocet; quaſi alia altior ac remotior eſſet. Damnationis quidem & ſupplicij impiorum propinqua cauſa eſt cuiuſque impietas, altior cauſa iuſtum Dei iudicium: ſed ipſius impietatis actualis, ipſius amarulentiæ cordis, ipſius pertinacię, cęcitatis, incredulitatis, (de qua tota hic diſputat Caluinus) nulla planè cauſa actiua aut operatiua Deus eſt; vnica & vera cauſa actiua & operatiua cuiuſq; increduli & pertinacis hominis propria mala voluntas eſt. Addit adhuc magis apertè magiſque impiè, *Deum ante Adæ lapſum homines liberè, & prout*

ipſe

ipsi visum est, reprobasse, id est, ex libera sua voluntate, absq; futuri lapsus consideratione, quos voluit, damnationi æternę adiudicasse. De qua eius horrenda blasphemia cap. 9. diximus. Hanc suam blasphemiā fucare conatur, addens, *prauum ac vitiosum semen damnasse, posteaq; singulis scelerum mercedem rependisse.* Atqui si prauum ac vitiosum semen damnauit, quod verum est; non ante Adæ lapsum (vt modò dixerat) videl. à Deo præcognitum & præuisum, sed post Adæ lapsum, præuisum dico & præcognitum, statuit de toto humano genere Deus quod ipsi visum est; alios ex bonitate & beneplacito suo ad gratiam & gloriam eligens, alios ex iustitia sua propter damnationis statum, in quo erant, & quem adhuc deteriorem facturi plerique erant, iusto iudicio suo æternę damnationi addicens. Sed hęc orthodoxa Caluino doctrina displicet, & *fontem omnis impietatis, primam causam omnis excœcationis ac damnationis, solam Dei voluntatem ab æterno, quos voluit, damnantę, & in tempore, quos vult, ad impietatis actus efficaciter impellentem*, esse vult; impietate quidem maiori quàm dici queat; sed hoc loco aperta magis & patenti pertinacia quàm de more: dū Pauli verba iuxta prophetica, quæ Paulus citat, vaticinia intelligenda, à sensu prophetico (quē & ipse Cal. recognouit) penitus diuulsa atque abstracta, nefandis & execrādis suis blasphemijs cogit subseruire.

Caluini fucus abstergitur.

19. *Dicis ergo: Fracti sunt rami vt ego inserar.*
20. *Bene: propter incredulitatem fracti sunt; tu autem fide stas. Noli altum sapere, sed time.*
21. *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat.*

Certitudo gratiæ & fides Caluin. euertitur.

QVod tam seriò, tam acriter, tam multis verbis (vt totus inspectus locus docebit) Gentes ad fidem conuersas Apostolus monet, hortatur, docet, ne ad Christi fidem veritatisque agnitionem misericordissima Dei gratia (Euangelica mediante prædicatione) perducti, perfidis interim Iudæis in sua incredulitate relictis, inde efferantur aut insolescant, aut sibi placeant, tanquam de salute adepta securi, & extra omne amittendæ salutis discrimen positi ac constituti, sed potiùs timeant; & hoc ipsum timeant, ne à salute excidant; ne propter incredulitatem frangantur, & illi in oliuam inserti; (Deo illis non magis parcente, quàm Iudæis pepercerat) sicut propter incredulitatem, Iudæi, qui ipsi oliua erât, ac naturales rami, excisi fuerant: hoc sanè totum ad commentitiam Caluinianã fidem, quæ est *diuinæ beneuolentiæ nunquam amittendæ certa persuasio*, & ad ipsam electorum fidem indelebilem (quam conformiter finxit Caluinus) denique ad totam illam certitudinem gratiæ ac salutis, quam veluti propriã Christianismi notam omnes hodie hæretici ar-

tissimè complexi sunt, penitus euertẽdam, & certissimè refutandam, manifestè & inuictè valet. Vbi enim homini iam credenti ac fide stanti timor adhuc futuri casus supereſt, ibi nec persuasio illa commentitia, nec indelebilis fides, nec certitudo præsumpta vllum locum habere potest: quando nihil magis securitati aduersatur quàm timor, nihil certiùs salutis certitudinem tollit quàm facilè possibilis à salute lapsus: nec denique indelebile dici possit, cuius delendæ & amittendæ certum periculum imminet.

Vidit hoc totum Caluinus, & omnibus ingenij viribus doctrinam Apostolicam obscurare, deprauare, penitusque euertere contendit. *In Gentium*, inquit, *persona profert Apostolus quicquid illæ prætendere pro se poterant.* Hoc primum falsum est. Non quicquid prætendere Gentes poterant, sed quod verisimiliter prætexturi erant, vel fortè iam eos prætendisse Apostolus aduerterat, hoc in eorum hîc persona Apostolus profert. *Id autem tale erat* (ait Caluinus) *quòd adeò inflare illos non deberet, vt potiùs humilitatis præberet materiam.* Verum sanè istud est, si illud quale & quantum Dei beneficium esset, rectè intelligerent, & attentè aduerterent: quod vt Gentes facerent, beneficij magnitudinẽ multis hactenꝰ verbis tractauit Apostolus, & nunc pertractat magis. Sed quomodo hoc totum intelligat Caluinus, videamus.

Nam (inquit) *exsectio Iudæorum si ob incredulitatem facta est, Gentium verò insitio per fidem; quid restat, nisi vt Dei gratiam recognoscendo, inde ad modestiam ac submissionem formentur?* Verum quidem & istud. Sed Paulus non ex principio & radice fidei ad submissionem Gentes hortatur hoc loco, sed ex natura fidei quatenus amitti potest (sicut Iudæi eam amiserunt) ad timorem & tremorem Gentes hoc loco hortatur. Qua in re fallit lectorem Caluinus. Sed cætera videamus: *Siquidem istud ex fidei natura consequitur, & proprium illi inest, vt deiectionem nostri generet ac timorem.* Est hoc non soli fidei sed omnibus Dei donis ac beneficijs commune, vt nostri deiectionem (quatenus Dei dona sunt) & timorem (quatenus à gratuito perseuerantiæ dono eorum in nobis conseruatio pendet) in nobis generent. Idcirco Paulus quum dixisset Philip. 2. *Cum metu & tremore salutem vestram operamini*; subiecit, veluti huius timoris iustam causam, *Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere.* Non est igitur hoc fidei proprium, vt fingit Caluinus; sed omnibus bonis operibus commune. Imò fidei Caluinianæ, vt timorem generet (quicquid sit de animi deiectione) prorsus repugnat: quum illa sit certa & indubitata salutis persuasio, timor autem aliquam dubitationem coniunctam habeat. Sed quid? An disputationi Paulinæ concedet Caluinus? An patietur

Impostura Caluini retegitur.

tietur Christianorum hominum fidem cũm timore esse coniunctam, cum timore (inquam) non perseuerandi? quia à fide possunt excidere; nec omnis qui fidei donum accepit, perseuerantiæ quoque donum accipit; quod vel hic maximè locus docet? An hoc iuxta perspicuam Apostoli doctrinam admittet Caluinus? Nequaquam. Sua habet effugia, quibus honestè reluctari videatur. *Sed* (inquit) *timorem intellige qui cũ fidei securitate minimè pugnet.* Atqui talem timorem quomodo possum intelligere, quando Apostolus eum explicans & exponens addit, *ne fortè nec tibi parcat?* Quid est hoc aliud dicere, quàm, Time ne à fide tua per incredulitatem excidas; & vbi excideris, à Deo reproberis, & penitus excindaris, sicuti Iudæi propter suam incredulitatẽ excisi sunt? Attende tibi Lector. Iubet te Caluinus Apostoli verbis non credere, sed suis. Iubet te *timorẽ intelligere* non qualem Apostolus docet, qui securitatem fidei semper cõseruandæ apertissimè tollit; sed timorem intelligere *qui cum fidei securitate non pugnet.* Nunc etiam attende quomodo id probare conetur quod suadet. *Non enim* (inquit) *vult Paulus vt vacillet fides nostra, aut aliqua dubitatione alternet: tantũ abest vt cõsternari nos aut trepidare velit.* Fallere nos vult in æquiuoco Caluinus. Non vult sanè Paulus vt fides nostra vacillet circa aliquod proprium suum obie-

Cal. iubet suis verbis credere, nõ Pauli.

obiectum, vel vt aliqua dubitatione alternet circa id quod credere debet. Sed securitas salutis particularis, quam fingit Caluinus, fidei obiectum non est, quia nullo Dei verbo reuelata est. Deinde, non vult ipsam fidem in nobis vacillare, sed vult nos stantes timere ne ea excidamus. Iubet timere non circa ipsam fidem quam tenemus, vt de illis, quæ fides docet, dubitemus; sed de conseruatione fidei, ne ea tandem excidamus, vt adhuc paulò post expressiùs docet, sicut mox videbitur. Talis igitur timor cum securitate conseruandæ salutis prorsus pugnat. At alium timorem hîc significari, alia adhuc arte suadere Caluinus vult. *Qualis ergo*, inquit, *erit iste timor? Nimirum vt in duarũ rerum consideratione versari nos iubet Dominus, ita duplicem inde affectum generari necesse est. Vult enim miseram naturæ nostræ considerationem à nobis perpetuò reputari. Illa nihil quàm horrorem, tædium, anxietatem, desperationem parere potest: atque ita sanè expedit prosterni nos penitus ac conteri, quò tandem ad ipsum ingemiscamus. Cæterùm nihil obest horror ille à nostri recognitione conceptus, quin animi nostri, eius bonitate freti, placidè resideant: nihil obstat tædium illud, quò minùs plena in ipso consolatione fruamur. Itaque hunc, de quo loquitur, timorem non nisi fastuoso contemptui tanquam antidotum opponit: quia vt quisque sibi plus æquo arrogat, nimis securus est, & tandem contra alios mansuescit: ergo eatenus timendum est ne cor nostrum*

superbiã

superbia inflatum se attollat. Aduerte, Lector, tam prolixæ fabulæ (de qua mox plura) cõclusionem, quod disputationem Apostolicam adhuc non attingit. Nam Apostolus iubet quidem eos, *qui tam fide stant, non aliud sapere*; non sibi ex fide, quam habent, placere, non ex ea inflari; denique ne cor superbia inflatum se attollat; sed ideo hoc totum iubet, ne per talem superbiam & securitatem ab ipsa fide, quam habent, excidant. Hic est propriè timor quem Apostolus docet. Timere iubet ne superbiendo contra alios à Deo derelictos, ipsi quoque à Deo deserendi à fide excidant. Quid ad huius excisionis timorem à fide Caluinus hoc loco? Dissimulare tam apertam Apostoli disputationem non potuit. Ait igitur, & aduersus se ipsum excipit: *Sed videtur Apostolus salutis dubitationem iniicere, dum cauendum admonet ne illis quoque non parcatur.* Prorsus talem dubitationem inijcit, talem timorem docet Apostolus. *Respondeo* (inquit) *cùm hæc exhortatio ad carnem domandam pertineat, quæ semper in filijs Dei insolescit, fidei certitudini nihil derogare.* Vides iam, Lector, quorsum fabulam illam suam *de duplici consideratione, hinc naturæ nostræ, illinc bonitatis diuinæ*, antea texuerit. Sanè vt per hanc rimam euadat, documentum hoc Apostoli, *Time ne & tibi non parcat*, ad solam carnem domandam pertinere, non ad aliquod fidei amittendæ periculum. Sed hîc

Timorem salutis amittendæ docet Paulus.

Timor ad fidei amittendæ periculum pertinet.

quæro à Caluino, an filij Dei, qui iam fide stant, carnem domare debeant vt ab hoc periculo immunes sint, an non debeãt? Item, an carnem domare sit res necessaria, vt in fide stent filij Dei, vel non necessaria? Si non debent carnem domare filij Dei, vt ab hoc periculo immunes sint; nec ad fidei perseuerantiam (vt in fide stent filij Dei) necessariũ est carnem domare; quorsum illud Apostolus dixit? quorsum hortatus est? Facilè enim respondetur: Ego fide sto. Siue altum sapiam, siue non sapiã; siue carnem domauero; siue nõ domauero; excidere à fide aut salute nõ possum. Ita tua exhortatio inane terriculamentum est. At si debẽt carnẽ domare filij Dei, vt in fide stantes in fide perseuerent, & ne à fide excidant; itẽ si Apostoli exhortatio ad carnẽ domandam sic pertinet, vt, si verè caro non domatur, futurũ sit quòd à fide excidã, & per incredulitatẽ excidẽti nõ parcat Deus; iam habemus (etiã stante Caluini effugio) contra solã Caluini fidẽ saluantem, contra fidem eius indelebilẽ, contra firmam eius & infallibilem diuinæ beneuolentiæ persuasionem, contra certitudinem gratiæ, & salutis securitatem, inuictum ab Apostolo argumentum. Vbi enim tam certa conditio edomandæ carnis apponitur (quæ vna res multa in se complectitur ex parte nostra ad salutis nostræ certitudinem præstanda) profectò nulla salutis ex sola fide securitas, nulla certitudo

Caluini euasio cõtunditur.

Caluini fides, stãte eius effugio, euertitur.

ſtitudo qualis hodie conficta eſt, conſiſtere poteſt. Atqui Caluini ſententia eſt, carnem hanc edomari à nemine poſſe. Dixit enim diſertis verbis, de carne edomanda loquens, *Quæ ſemper etiã in filijs Dei inſoleſcit.* Ita Caluini reſponſio, eſt ſententiæ Apoſtolicæ mera deluſio. Cæterùm impia & execranda doctrina eſt, *carnem à nemine domari poſſe*, aut carnem etiam in filijs Dei inſoleſcere, & contra Apoſtolicæ doctrinæ in hac ipſa epiſtola crebra & luculenta teſtimonia: *Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt: Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini: Peccatum vobis non dominabitur: Lex Spiritus vitæ liberauit me à lege peccati & mortis: Nihil damnationis ijs qui nõ ſecundùm carnem ambulant.* Rom. 8. 8. 13. Rõ. 6. 14. Rõ 8. 1. 2. Imò, ait Caluinus, ſaluari poſſunt, & filij Dei ſunt, qui ſecundùm carnem ambulant, & in quibus *caro ſemper inſoleſcit.* Quare tota prior eius fabula falſa ac pernicioſa eſt. Regeneratos quippe in Chriſto non iubet Dominus *miſeram naturæ ſuæ conditionem perpetuò reputare*, ſed ſpiritualem naturæ ſuæ reformationem perpetuò cogitare. *Hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſãctificati eſtis, iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, in Spiritu S. Vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati, vt vltrà non ſeruiamus peccato. Noua creatura ſumus in Chriſto. Liberati à peccato, ſerui facti ſumus iuſtitiæ. Poſtquam Filius Dei liberauit nos, verè liberi facti ſumus*: certè à peccato, *quod qui facit, ſeruus eius eſt*; certè à carnis dominio, cui 1. Cor. 6. 11. Rom 6. 6. Gal. 6 15. Rom. 6. 22 Ioan. 8. 36

Rom. 8. 6. cui qui seruit, in morte est. Nam *prudentia carnis mors, & inimica Deo.* Impius Caluinus cum tota sua secta totam hanc liberationem à Filio Dei factam, totam hanc nouitatem spiritus, totam in Christo regenerationem impiè tollit. Apostoli igitur exhortatio timorem docet, non solùm *qui fastuoso contemptu quasi antidotus opponatur* (est quippe talis cõtemptus eorum qui ad impietatis pro-

Prou. 17. fundum delapsi sunt, iuxta illud, *Impius, quum in profundum venerit, contemnit*) sed etiam qui ipsis filijs Dei adhuc *infidelibus*, & *facta carnis* studiosè *mortificantibus*, salubre

Philipp. 2. documentum sit, vt *cum timore & tremore sa-*

1. Petr. 4. *lutem suam operentur, vt satagant per bona opera vocationem suam & electionem certam facere.* Hactenus igitur nihil quàm proteruè contra Apostolum, impiè contra Christianam pietatem, reluctatus Caluinus est.

Aliud adhuc effugium commentus est: hac enim Pauli disputatione valde se coarctatum sensit. *Præcipuè verò* (inquit) *notandum ac memoriæ repetendum est, quod nuper dixi, Pauli sermonem non tam ad singulos homines quàm ad totum Gentium corpus dirigi; in quo multi esse poterant frustra inflati, fidem profitentes magis quàm habentes. Horum causa Paulus excisionem Gentibus non abs re minatur, vt postea iterũ videbimus.* Nempe in proxima ferè sententia, quam nunc propterea expendemus, & huic secundo Caluini effugio occurremus.

23. *Vide*

22. *Vide ergo bonitatem & seueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem; in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris.*

Certitudo gratiæ euertitur.

COnfirmat Apostolus quod priùs dixerat, *Noli altum sapere, sed time ne & non tibi parcat*: paulóque apertiùs docet cur meritò hoc timeri debeat, etiam ab ijs qui iam in fide stãt. In Iudæis reprobatis apparuit Dei seueritas, id est, iustum iudicium: in te Gẽtili ad fidem vocato apparuit Dei bonitas, χρηστότης, clemẽtia, lenitas, benignitas: sed si apparuit, vt in hac Dei bonitate & clemẽtia, id est, in hoc statu gratiæ, ad quẽ Dei bonitas te euexit, permanere debeas. Alioqui, si in eo statu non permanseris, si eius gratiam abieceris, aut in vacuum acceperis, tu quoque per Dei seueritatem & iustum iudicium excidẽris. Confirmat hîc igitur Apostolus iustum illum timorem, quem in præcedentibus verbis incussit: docetque tum circa quid hic timor versetur, nempe circa status gratiæ perseuerantiam; tum propter quid hic timor suadeatur, nempe ne fortè non perseuerans in Dei bonitate & in statu gratiæ, ad quem Deus euexit, ab eodem statu excidat. Sic contra certitudinem Caluinianam, & vnicam electorum fidem indelebilem, fortiùs & expressiùs hic locus facit.

Nunc ad eum eludendum vt totis ingenij neruis

neruis intendit Caluinus videamus. Primùm ipsius loci breuem & magna ex parte salutarem explicationem ponit, vt hoc melle propinato, suum postea venenum incauto lectori oportunius instillet. *Hæc* (inquit) *verba perinde valent, ac si diceret: Si illorum calamitati insultas, cogita primùm quid fueris. Eadem enim Dei seueritas tibi imminebat, nisi gratuita eius lenitate ereptus esses. Deinde reputa quid nunc etiam sis: non enim aliter tibi salus constabit, quàm si Dei misericordiam cum humilitate recognoscas. Quòd si tui oblitus insolenter exultes, manet te eadem, in quã prolapsi sunt, ruina. Non enim satis est, Dei gratiam semel fuisse amplexum, nisi perpetuo vitæ tenore eius vocationem prosequaris. De perseuerantia enim semper cogitandum est ijs qui fuerint à Domino illuminati. Nam in bonitate Dei minimè permanent, qui postquam aliquantum temporis responderint Dei vocationi, tandem regnum cælorum fastidire incipiunt, sicque sua ingratitudine merentur iterum excæcari.* Tota hæc oratio paucis exceptis (vt parem Dei seueritatem Gentibus impendisse ac Iudæis, quum Iudæorum incredulitas & pertinacia (maximè qui Christum audierunt & viderunt) multò fuerit Gentilium ignorantiâ grauior, item quòd de insolenti exultatione iterum narrat, quasi illa ruinæ futuræ sola esset causa, bona ac salutaris videtur, & alijs Caluini placitis euertendis (saltem vt verba sonant) apprimè idonea. Si enim *de perseuerantia semper cogitandum ijs*

Perseuerãtiæ & gratæ obediẽtię necessitatẽ docere videtur Caluinus.

quĩ

qui fuerũt à Domino illuminati; *si sua ingratitudine homines merentur iterum excæcari*; profectò sola fides semel accepta saluare non potest; & ad salutis certitudinem grata mãdatorum Dei obseruatio, grata dilectio, grata obedientia necessaria est. Hoc, inquam, Caluini verba sonant. Nam alium ille sensum tacitè coquit, quem Beza hoc loco more suo audaciùs expressit. Secta quippe Caluiniana magis inualescente, audaciùs & liberiùs loqui Beza voluit. Ait igitur Beza: *Ita nos de nostra salute securos esse vult Dominus, vt tamen de retinenda fide dies ac noctes laboremus.* Perseuerantia igitur quam Caluinus hîc intelligit, non nisi fidei perseuerantia videtur: ingratitudo & fastidium regni cælorum, de quo loquitur, nihil aliud est, quàm fiducia remissa; nec satis audacter ac confidenter salutem sibi polliceri, sed animo ingrato ac fastidioso oblatam gratuitam salutem veluti fastidire. Hæc si Caluiniana hoc loco perseuerantia & ingratitudo est, suis quidem placitis conformiter scripsit, sed egregium impostorẽ egit, sub verbis Catholicis (quod omnes solent hæretici) sensum hæreticum porrigens.

Sed repetit nunc secundã huius difficultatis solutionem ad priorem sententiam datam, eique tenaciùs inhæret. *Porrò* (inquit) *non seorsim compellat vnumquemque priorum* (*vt antè diximus*) *sed Gentes cum Iudæis simul comparat.*

parat. Et iterum paulò pòst: *Tenenda est quam adduxi solutio, Paulum hîc non de speciali cuiusquam electione disserere, sed opponere Gentibus Iudæos: ideoque his verbis non tã electos alloqui, quàm eos qui falsò gloriabantur se Iudæorũ loca occupasse. Imò ad Gentiles simul verba facit, & totum corpus in commune appellat, in quo multi erant titulo tenus duntaxat fideles & Christi membra.* Sed tota Caluini euasio, de qua & Beza multum hoc loco gloriatur, affirmans *ideo ad hunc locum, veluti ad scopulum, nonnullos fœdè naufragium fecisse, quia Caluini datam solutionem non rectè attenderant*; ex ipsis Apostoli verbis perspicuè refutatur. Docent quippe Apostoli verba, sic eum ad Gentes in commune sermonem dirigere, vt tamẽ ipsos non fictos fideles, fidẽ magis profitentes quàm habentes, aut falsò gloriantes de sua in fidem vocatione, aut denique titulo tenus duntaxat fideles, vt Caluinus ineptissimè garrit, sed ipsos verè pios ac fideles alloquatur. Ait enim: *Tu fide stas.* Non stat autem fide fictus Christianus; quia fidem, qua stet, non habet, sed simulat. Rursum ait: *Dices: Fracti sunt rami vt ego inserar. Bene.* Si, qui hoc dixit, falsò gloriaretur se Iudæorum locum occupasse; non respondisset Apostolus, *Bene*: hoc est, verè dicis; verum est, & illos propter incredulitatem esse fractos, & te ex fide stare; sed contrà dixisset, Malè loqueris, quia vtcũque illi fracti sunt, tu tamen adhuc insertus non es, sed videris tan-

Paulus verè fideli ruinã minatur nisi perseuerent.

tàtùm de numero eorũ esse qui inserũtur; tu fide non stas, quia, quam profiteris, non habes. Apostoli ergo responsio, confirmansillum, qui quòd insertus esset in oliuã gloriatur, bene & verè hoc dixisse, ac fide stetisse, manifestè conuincit, non ad hypocritas sed ad veros pios ac fideles hæc Apostoli verba pertinere: *Si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris.* Tertiò, hoc ipsum verbum, *Si permanseris in bonitate*, idem non minùs luculenter conuincit Permanere in bonitate Dei hoc loco, est (ipso Beza interprete) *in ea conditione manere, ad quam Deus te euexit.* Cui ergo ista dicuntur, iam fuit de facto euectus ad conditionem & statum filiorum Dei. Non fuit hypocrita, non fuit de numero eorum qui fidẽ profitebantur quam non habebant, non fuit titulo tenus dumtaxat fidelis, non falsò gloriabatur Iudæorum locum se occupasse. Sic ipsa Apostoli verba non semel, sed sæpius, glorioſum hunc Caluini Achillem, toties ab ipso repetitum & inculcatum, liquidissimè prosternunt.

Videamus nunc cætera. *Quia* (inquit) *de singulis electis non disputat, sed de toto corpore, additur conditio, Si in lenitate permãserint* Lenitatẽ vertit quam noster interpres bonitatem. Nempe de Dei seu bonitate, seu lenitate, seu, vt Beza vertit, *benignitate*, Paulus loquitur. In ea permanet, qui in ea conditione, ad quam Dei bonitas, lenitas, benignitas eum euexit,

Paulus singulos alloquitur.

euexit, manet. Ineptè ei dicitur, *Si permanseris in conditione*, qui eam conditionem necdum est adeptus. Iuxta Caluinum autem conditionem filij Dei nemo adipiscitur nisi electus. Vnicam enim statuit electorum fidem, qua sola fiunt filij Dei. Ergo iuxta Caluinum ipsos electos necessariò Paulus alloquitur; & quia nulla est ratio cur magis hos quàm illos alloquatur, alloquendo electos in genere, singulos alloquitur.

Pergit Caluinus: *Fateor quidē, simul ac Dei bonitate quispiam abutitur, dignum esse qui priuetur oblata gratia: sed impropriè de aliquo piorum hoc specialiter dictum foret, Deum eius misertum esse, quum eum elegit, si modò in misericordia permaneat.* Respondeo: Qui Dei bonitate, de qua hîc Paulus disputat, abutitur, non solùm *oblata* sed & accepta *gratia vt priuetur dignus est.* Dicit enim ei Paulus, *Si permanseris in bonitate.* Iam ergo in illa erat. Rursum, Deus eius, quem elegit ad primam gratiam, verè insertus est & simpliciter; ei tamen sic electo non impropriè sed proprijssimè & verissimè dicitur, *Si permāseris in misericordia.* Apostolis verè electis ad primā gratiā, imò etiā & ad gloriā, propriè & verè dixit Christus: *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.* Et iterum: *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Hoc de illis dicitur, qui iam cœperunt esse filij Dei. Perseuerare enim non potest, nisi qui cœpit. Sic & Apostolus:

Ioan. 15. Mat. 10. 22.

tolus: *Participes sumus Christi, si tamen initium substantiæ eius vsque ad finem firmum retineamus.* Hebr. 3

Sed probare vult Caluinus totum hoc de electis impropriè dici. Attendamus. *Nam* (inquit) *fidei perseuerantia, quæ effectum gratiæ Dei in nobis complet, ex electione ipsa manat.* Respondeo: manat ex electione ad gloriam, ad quam sine perseuerantia non venitur; sed non manat ex electione ad primam vocationē & gratiam, de qua hîc Paulus disputat. *Multi enim vocati,* scil. ad primam gratiam; *sed pauci electi,* nempe ad gloriam, de qua ibi Christus disputat. Agnoscit tandem Caluinus, etiam ad ipsos electos hæc Pauli verba pertinere posse. *Tametsi* (inquit) *electis euenire hoc non potest vt excidant, opus tamen habent tali exhortatione ad edomandā carnis superbiā: quæ vt est reuera contraria eorum saluti, sic meritò damnationis formidine terreri debet. Quatenus ergo illuminati sunt fide Christiana, audiūt ad cer.itudinem suam, sine pœnitentia esse dona Dei; quatenus verò carnem circumferunt, quæ lasciuit contra Dei gratiam, hac voce ad humilitatem erudiuntur, Cāue ne excidaris. Cæterū tenenda est,* &c. vt supra. Matth. 20

Hîc repetit Caluinus quę de carne edomāda in præcedenti contextu dixerat, quam iterum in ipsis actu filijs Dei (tales enim perpetuò sunt Caluini electi) lasciuire vult contra gratiam Dei: quam epicuream impietatem in eodem contextu iugulauimus. Electi autem opus habent exhortatione Supra pag 792.

Electi cur necessariò ne excidâtur admonendi.

ista, *Caue ne excidaris*, non solùm ad edomandam carnem, quæ iam per Dei gratiam in illis ita edomita est, vt non regnet amplius peccatum in eorum mortali corpore; sed multis etiam alijs de causis. Primùm, vt in ipsa carnis & peccati victoria perseuerent: tum quia nemo, an de numero electorum sit, in hac vita cognoscit; tandem, quia vt hoc cognoscat, pariter tamen necessariò intelligat oportet, se non nisi per talia media electum ad gloriam esse; quæ propterea media necessariò illi tenēda sunt. Sic Christus suos Apostolos in vltima concione post vltimam cœnam habita, qui iam carnē domauerant, & se à Christo electos cognoscebant, hortatur plurimis verbis Christus vt *maneant in dilectione eius*. Qui autem illuminati sunt fide Christiani, non audiūt ad aliquam suam certitudinem, in sensu Caluini, illa verba, *Sine pœnitentia esse dona Dei* (quæ quantum valeant, paulò pòst dicemus) nec illa voce, *Caue ne excidaris*, ad solam humilitatem erudiuntur, sed ad studiosam mandatorum Dei obseruationem, ad boni operis perseuerantiam, ad permanēdum in statu & conditione ad quam Dei benignitate euecti sunt, saluberrimè instigantur. Nequicquam ergo hactenus, tamersi operosè ac studiosè, contra apertam Apostoli disputationem reluctatus Caluinus est.

Ioan. 15.

Subiungit tandem, vt nihil intactum re-

linquat,

linquat, distinctionem quãdam eorũ qui Christo inseruntur, vt magis lectoris imperitia abutatur: de qua etiam distinctione hoc eodem loco Beza cum magna commendatione lectorẽ admonet. Sed ea quàm futilis ac merè commentitia sit, paucis docebimus. *Quòd si* (inquit) *de singulis hominibus quæritur, qualiter ex insitione excidi quis possit, & qualiter post excisionem rursus inseri; propone tibi formam insitionis triplicem, exsectionis duplicem. Inseruntur enim fidelium liberi, quibus promissio ex pacto cum patribus inito debetur.* Hæc prima insitio prorsus falsa & commentitia est, & diuinæ Scripturæ contradicit, quæ omnes per baptismum Christo inseri docet: *Quotquot baptizati estis, Christum induistis.* Hanc commentitiam insitionẽ, in capite Caluini natam, in Antidotis nostris Euangelicis refutatã reliquimus. Iam ad secundam transit: *Inseruntur qui semen Euangelij in se quidem concipiunt, sed, quòd radicem non ducit, vel antè suffocatur quàm ad frugem perueniat.* Hæc secunda insitio nulla adhuc est, non quia semen Euangelij fructus non protulit, sed quia semen illud radicem non habuit, quia semen illud animo quidem conceptum, sed pleno mentis assensu veraque cordis conuersione receptum non fuit. Vbi verbum Dei radice caret, nec corde creditur per fidem, nec voluntas renouatur per charitatem. Christus autem *habitat per fidem in cordibus nostris, in charitate*

Insitio triplex Cal. refellitur.

Gal. 3.

In Matth. cap. 28. ver. 20.

Ephes. 3. 17.

ritate radicatis & fundatis. Videamus nunc tertiam Caluini insitionem. *Tertio loco inseruntur electi, qui scilicet immutabili Dei proposito illuminantur in vitam æternam.* Atqui & hæc tertia insitio commentitia quoque est, quatenùs ad solos illos restringitur qui ad gloriam illuminantur. Docet nos Scriptura, innumeros verè inseri, semen Euangelij non concipere tantùm, sed & recipere, in quibus & radicem ducit, & fructum ad tempus profert, qui tamen postea voluptatibus victi non perseuerant. Hos tertio loco posuit Christus in parabola seminis Euangelici: vbi verbum dicitur *cecidisse inter spinas*, &c. *Hic enim verbum Dei audit* (ait Matthæus) id est, diligenter audiens credit, (hoc enim sæpe est apud Matthæum, audire) *sed sollicitudo huius seculi & fallacia diuitiarum suffocat verbum.* Non suffocatur autem, nisi quod accepta radice iam aliquantulum creuit. Tales etiam sunt *palmites Christo* quidem insiti, sed *non manentes in vite*, vt latiùs ibi contra Caluinum disseruimus. Denique quantum ad ipsam insitionem primam, eiusque veritatem, non minùs inseruntur Christo reprobi baptizati quàm electi baptizati: non minùs iustificantur in Christo postea relapsuri, quàm iustificantur in Christo in finē perseueraturi: quod iuxta diuinas Scripturas aperte docet S. Augustinus. *Ex duobus* (inquit) *pijs cur huic donetur perseuerantia?*

Christo inseritur etiam nō electi.

Mat. 13

In Antid. Euang. ad Ioan. 15.

De bono perseuer. cap. 8.

seuerantia vsque in finem, illi non donetur, inscrutabilia sunt iudicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse. Nam si fuissent ex nobis, ait vnus prædestinatorum, mansissent vtique nobiscum. Quid est, quæso, Non erant ex nobis? &c. Nónne vtrique à Deo creati, vtrique ex Adam nati, vtrique de terra facti erant? Nónne postremò vtrique vocati fuerant, & vocantem sequuti, vtrique ex impijs iustificati, & per lauacrum regenerationis vtrique renouati? Sed si audiret ille qui sciebat procul dubio quod dicebat, respondere posset & dicere, Vera sunt hæc. Secundùm hæc omnia ex nobis erant: veruntamen secundùm aliam quandam discretionem non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum. Vides fuisse & vocatos & iustificatos, qui tamen non erant prædestinati. Imò sic iustificati erant non permansuri in iustitia, vt veram iustitiam, non simulatam, tenuerint. Quod ex eisdem Ioannis verbis idem Doctor alio in loco probat: Cùm filij Dei dicũt de his qui perseuerantiam non habuerunt, Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; & addunt, Quòd si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum: quid aliud dicunt, nisi, Non erant filij, etiam quando erant in nomine & professione filiorum, non quia iustitiam simulauerunt, sed quia in ea non permanserunt. Neque enim ait, Nam si fuissent ex nobis, veram non fictam iustitiam tenuissent vtique nobiscum; sed, Si fuissent (inquit) ex nobis, permansissent vtique nobiscum. In bono illos volebat procul-

Reprobi iustificantur ad tempus.

De corrept. & grat. c 9.

dubio permanere. Erant itaque in bono: sed quia in eo non permanserunt, non erant, inquit, ex nobis, etiam quando erant nobiscum; hoc est, non erant ex numero filiorum, etiam quando erant in fide filiorum: quoniam qui verè filij sunt, præsciti & prædestinati sunt conformes imagini filij eius, & secundùm propositum vocati sunt & electi sunt. Hæc iterum Augustinus, docens ex illo Ioannis loco multos reprobos qui non perseuerant vsque in finem, fuisse tamen ad tempus non vocatos tantùm, sed & iustificatos, idque iustitia vera, non simulata. At, inquies, negat Augustinus tales esse filios Dei, vt cum que ita à nobis vocentur ac vocandi sint. *Non erant* (inquit) *ex numero filiorum, quando erant in fide filiorum*, quod hoc ipso capite aliquoties repetit. Cæterùm ne ista Caluinum iuuare posse videantur, obseruandum, Augustinum huiusmodi ad tempus iustificatos, sed in iustitia non permanentes, negare quidem esse *verè filios Dei*, sicut Christus in Euangelio vocat *verè discipulos suos*, qui permanent in doctrina eius; *Si manseritis in verbo meo, verè discipuli mei eritis*, id est, perfecti & consummati discipuli: finis enim coronat opus; & *qui perseuerauerit, hic saluus erit.* Idem tamen Augustinus eodem in libro paulò superiùs, huiusmodi non permanentes in iustitia filios Dei esse disertissimè docet. *Mirandũ* (inquit) *est, multumque mirandum, quòd filijs suis Deus quibusdam, quos regenerauit in Christo, quibus fidem, spem,*

Reprobi sunt ad tẽpus filij Dei.

Ioan. 15.

Mat. 10.

De corrept. & grat. c. 8.

spem, dilectionem dedit, non dat perseuerantiam: cum filijs alienis scelera tanta dimittat, atqui impertita gratia sua faciat filios suos. Vocat filios Dei quibus non datur perseuerantia, id est, qui non sunt electi: sed negat postea esse vere filios Dei, id est, veros hæredes vitæ æternæ, & in Dei præscientia tales. Sic Paulus Galatas baptizatos alloquens, ait: *Omnes vos filij Dei estis per fidē. Quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Sed inter filios Dei per fidem, alij sunt alijs Dei coniunctiores, seu membra magis Christo coniuncta; vt doctè distinguit Thomas VValdensis noster. Denique excidere posse, ac de facto sæpius ad tempus excidere à statu filiorum Dei ipsos electos, (quod non nisi simulatis fidelibus accidere posse vult Caluinus, quia sine pœnitentia dona Dei sunt,) paulò pòst ex eodē Augustino iuxta diuinas Scripturas docebimus. Gal. 3. Doctrin. fid. lib. 2. cap. 8.

Nunc, vt hāc triplicem insitionem commentitiam præsenti instituto accommodet Caluinus, videamus. *Primi* (inquit) *excidunt, vbi promissionem patribus datam respuunt, vel alias sua ingratitudine eam non suscipiunt.* De paruulis loquitur, qui ex sola promissione diuina, quatenus de semine filiorum sunt, inseruntur. Quod contra Caluinū plurimū valet. Nam aut isti paruuli, qui postea excidunt, vbi iam adulti promissionem patribus datam respuunt, aut verè non fue- Paruulorū insitio Caluiniana fidem Cal. euertit.

runtinsiti promissionis beneficio; & sic merum nugamentum est, quòd *ex sola promissione patribus data*, vel ex pacto cum patribus inito, *fideliũ liberi inseruntur*: (illa quippe promissio & illud pactum diuinum, si diuinum est, ideoque firmissimum, prorsus generale est, & ad omnes fidelium liberos extenditur) aut fuerunt verè insiti; & sic excidere possunt qui verè semel insiti erãt: vnde hoc primum genus confunditur cum secundo genere, & singulare Caluini axioma euertitur, de vnica electorũ fide indelebili; quo etiam affirmat, eos qui semel filij Dei sunt, aut fuerunt, immutabiliter tales permanere. *Secundi* (inquit) *quum semen exaresci & corrumpitur, similiter exciduntur. Cuius mali periculum quum omnibus immineat, quantum attinet ad suam naturam; fatendum est, hanc admonitionem, qua Paulus vtitur, ad fideles aliquo modo pertinere, ne sibi in carnis torpore indulgeant. Sed ad præsentem locum sufficere nobis debet, eandem, quam in Iudæos vindictam Deus exercuerat, Gentibus denunciari, si fuerint similes.* Hæc est tota Caluini resolutio. Cur de tertijs, id est, propriè electis, nihil loquitur? *Quia* (inquit) *omnibus idem periculum imminet, quantum attinet ad suam naturam.* Vide ergo. Si omnibus tam electis quàm non electis, sed ad tempus credentibus, hoc periculum excisionis imminet, & paruulis quoq; (quos in primo ordine collocauit) idem periculum immineat (exci-

Caluini operosa distinctio futilis & inanis.

duntur

duntur enim *vbi promissionem patribus datam respuunt*) quis non videt vanam, futilem, inanem, ac planè (ad hunc locum quod attinet) supervacaneam fuisse hanc triplicis insitionis distinctionem, vt ex ea inelligeremus qualiter ex insitione excidi quis possit, quum de singulis quæritur? ad quod intelligendum hanc distinctionem Caluinus fabricauit. Commune quippe omnibus est, quomodocumque insitis, periculum excidendi, & ad omnes ac singulos fideles hæc Pauli admonitio pertinet, ait nunc ipse Caluinus. Frustra igitur alij ab alijs distinguuntur. Quamobrem illa consideratione reiecta, fugit iterum ad generalem denunciationem Gentibus factam, quam ad præsentem locum sufficere vult. Sed illam sufficere non posse, in præcedentibus ostendimus.

Manet ergo firma & immota Apostoli disputatio, ipsos verè fideles, qui verè insiti sunt per fidem in Christum, qui vera fide stant, quibus Dei benignitas verè fuit impertita, vt ad statum filiorũ Dei eueherentur, posse tamen excindi; habere vnde timeant, id agere oportere vt permaneant; quia si non permanserint, excidentur. Ex qua Apostoli disputatione (vt initiò ostendimus) & vnica fides electorum indelebilis, & ipsa fides Caluiniana, quæ beneuolentiæ Dei indelebilis firma persuasio est, & certi-

Certitudo Caluiniana ab Apostolo euersa.

tudo

tudo gratiæ ac salutis, (qualem sibi secta fingit Caluiniana) prorsus euertuntur.

Gratia Dei liberè accipitur, liberéque reijcitur.

Docet præterea hic locus, quòd gratia Christi electis data (tales enim hîc Apostolus alloquitur) sic efficax est, & illam in eo, cui datur, efficaciam habet, vt in potestate semper sit eius, qui illâ donatur, eam deserendi, si vult; & in bono non perseuerandi, si perseuerare non vult. Ait enim hîc Apostolus, Gentes sic esse per Dei bonitatem & specialem gratiam electas, (Iudæis propter incredulitatem reiectis; vt nisi in hac bonitate permanserint, illi quoque excidentur. Potuerunt ergo non permanere, & gratiam acceptam abijcere; alioqui hæc conditio ab Apostolo appositа inane esset terriculamentum. Quis autem dubitat, quin eam gratiâ, quam homo cùm habet potest abijcere, potuerit quoque, cùm primùm acciperet, liberè non acceptare? Sanè ad retinendam Dei gratiâ semel acceptâ fortior iustus est, quàm ad eam primùm accipiendam impius. Sed planè certissimum est, renatos & iustos posse in bono perseuerare, si volunt; quia *Deus neminem deserit, nisi prius deseratur*, vt post Augustinum docet [a] Cõcilium Tridentinum, & ideo nõ perseuerare, quia nolunt. Vnde in Concilio [b] Arausicano contra Pelagianos collecto sic legimus: *Hoc secundùm Catholicam fidem credimus, quòd accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante*

De nat. & grat. c. 26.
[a] Sess 6. cap. 11.
[b] Can. 26.

liante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Hæ illi. Nota conditionem, *Si laborare voluerint*. Sic Concil. Tridentinũ: *Deus, nisi homines ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet.* Et pulchre D. Bernardus ad illa Apostoli verba, *Quis me separabit à charitate Dei?* &c. *Multa*, inquit, *hîc ponit Apostolus, non tamẽ adijciens, Nec nos ipsi. Nulla enim creatura nos à Deo auellere potest, soli id deserere possumus propria voluntate.* Hæc ille. Est ergo perseuerantia in bono singulare Dei donum, sicut & dilectio eius efficax: pendens tamen (saltẽ tanquam à conditione sine qua obseruatio mandatorum non sortietur nomẽ perseuerantiæ, nec efficacis dilectionis Dei) à libera hominis voluntate, qua vult permanere in bonitate, Deoque adhærere, nec ab eius amore deficere. Nam & electos deficere posse, probat Augustinus ex illis verbis, *Seruite Domino in timore, ne quando irascatur, & pereatis de via iusta. Non ait, Ne non veniatis ad viam iustam, sed, ne pereatis ab illa, ostendens nisi eos esse commonitos, qui iam ambulant in via iusta, vt in timore Deo seruiãt; id est, non altum sapiãt, sed timeant.* Hæc ille. Docet, electos & deficere posse, & hunc defectum timere debere, possibilem videlicet: non ex Dei donantis mutabilitate, sed ex accipientium Dei dona libertate & flexibilitate.

Sess. 6. cap. 13.

Rom. 8.

Serm. de triplici baptismo.

Psal 2.

De corrept. & grat. c. 9.

29. *Sine*

29. *Sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei.*

Caluinus sibi contrarius.

AD proximè præcedentia Pauli verba dixerat Caluinus: *Quatenus illuminati sunt fide Christiani, audiunt ad certitudinem suam, sine pœnitentia esse vocationem Dei.* Ita eo in loco ad singulos fideles, & ad singulorum certitudinem statuendam, hæc Pauli verba aptari vult: nunc verò hæc ipsa verba pertractans ait: *Tenendum est, non de priuata cuiusque electione nunc tractari, sed de communi adoptione totius gentis Iudaicæ, quæ externa specie collapsa videri potuit ad tempus, sed à radice excisa non fuerat.* nempe quia de reliquijs spes aliqua manebat, vt in subsequentibus docet. Vide nunc Lector. Tam Caluinus ad præcedentia Pauli verba, quàm alij passim omnes Protestantes, certitudinem gratiæ semel acceptæ indelebilis (quam sibi singuli finxerunt) ex hac Pauli sententia stabilire volũt, quòd *sine pœnitentia sint dona Dei & vocatio*: at nunc agnoscit Caluinus, *non de priuata cuiusque electione, sed de communi gentis Iudaicæ adoptione*, hanc sententiam loqui. Se ipsum igitur suosque sententiæ Apostolicæ in alienum sensum detortæ Caluinus apertè conuincit.

Dei dona quomodo sine pœnitẽtia

Ad rem ipsam quod attinet, sententiæ Apostolicæ hic genuinus, germanus, & perspicuus sensus est: *Sine pœnitentia sunt Dei dona & vocatio* id est, Quod semel Deus dedit, nunquam

quam vellet non dedisse: quem Deus semel vocauit, nunquam vellet non vocasse. Hoc est enim de huiusmodi non pœnitere, nec factũ mutare. Dona Dei vocat Paulus ἀμεταμέλητα, id est, quæ semel data Deus postea nũquã vellet non dari, circa quæ consiliũ nũquam mutat; de quibus numquam dicet, Pœnitet me dedisse; Vellem me nõ dedisse. Sic ad Iudæos quod attinet, non pœnitet Deum quòd illum populum in genere elegerit; nã tametsi (vt priùs dixit) *quod quærebat Israel, hoc non est consecutus*, id est, Israel in genere, & tota gens, salutẽ, quã in lege quærebat, non est consecuta; *electio tamen consecuta est*, id est, pauci electi Iudæorum; *reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt*: ita generalis vocatio pœnitenda non fuit, quia saltem in reliquijs locum accepit. Nam hoc sensu & propter hunc effectum prolixè hactenus & operosè ab initio cap. 9. vers. 6 docuit Paulus *non excidisse verbum Dei*: non fuisse irritam & inanem promissionem Dei, *quòd in Isaac vocabitur tibi semen*. Sic sine pœnitentia ex hac vna parte fuit Dei vocatio, ad Iudæos quod attinet. Rursum & ab altera parte ostendit Paulus diuinam Iudæorum vocationem *sine pœnitentia* fuisse, quia *illorum delictum salus erat Gentilibus*; *illorum diminutio, diuitiæ Gentium*; *illorum cæcitas ex parte, vt plenitudo Gentium intraret*. Sic Dei dona sunt sine pœnitentia, quando dona reprobis concessa

Rom. 11.

Rom. 11.

ad

ad aliorum vtilitatem cedunt; quando *sublata à malis agricolis vinea datur genti facienti fructum*; quando *aufertur ab eo qui habet, vt habenti plus detur*; quando, *quam vnus amittit coronam, alius accipit*, denique quando qui ab vno ordinè diuinæ voluntatis recedit, (gratiam eius in vacuum recipiẽdo) is in alium diuinę voluntatis ordinem relabitur, iustam eius vindictam sentiendo, vt sapienter docet Augustinus. Tales sunt, *quos Dei benignitas ad pœnitentiam adducit, ipsi autem thesaurizant sibi iram in die iræ*. Huius benignitatis Deum non pœnitet, etsi ea abutũtur impij. Nempe quia *nouit ex ipsis malis bona facere*, ex perfidia Iudæorum vocationem Gentium ampliorem. Hunc sensum hoc loco respicere Apostolus videtur, iuxta totius huius capitis argumentum. Quare, vt ad hæc verba veniret, præmisit, *Secundùm Euangelium quidem inimici propter vos*: id est, quantum ad fidem Eãngelicam, quam illi respuerunt, inimici Deo & mihi sunt, sed propter vestram salutem. *Secundùm electionem* autem, id est, quantum ad primam huius populi vocationẽ, *charissimi propter Patres*, tũ Deo grati, tum mihi, propter insignes illos Patriarchas, Abraham, Isaac, & Iacob, Dei amicos. *Sine pœnitentia enim sunt dona Dei & vocatio*. id est. Neque populi Iudaici hodierna incredulitas Deo ingrata, Dei erga illos dona & vocationem fecit pœnitendam, aut penitus inutilem, vt

propter-

Mat. 21. 41
Mat. 25. 29
Apocal. 3. 11.

De spirit. & littera cap. 33.
Rom. 2.

August. in Enchirid. c. 100.

propterea illam factam non fuisse satius fuerit, quia *propter vos*; id est, hac occasione vos plenissimè instructis: neq; prima electio prorsus inanis aut pœnitenda fuit, *propter Patres*, insignes illos Patriarchas, alioq; Prophetas, Reges, Sacerdotes in electionis gratia his multis seculis cum innumero fidelî populo persistentes; quorum omnium nomine charissimi Deo sunt homines Israelitæ. Hic est literæ Apostolicæ sensus genuinus ac germanus, ex tota Apostolica disputatione ac literæ contextu germanè fluens. Dona Dei sunt sine pœnitentia, non quia ea semel data amitti nequeant (vt de sua speciali fide somniant hodie hæretici) sed quia, tametsi amittantur eorum vitio qui acceperunt, Deum tamen sui facti nõ pœnitet, Deus consilium non mutat, nec vellet non dedisse, sed voluntatis suæ consilium seu hoc seu alio modo perpetuò & infallibiliter exequitur.

Aliqui Doctores *dona & vocationem Dei*, de quibus hîc Paulus loquitur, prædestinationis diuinæ, non solius prouidentiæ Dei, effectus esse arbitrantur; ideoq; *sine pœnitentia*, quia irreuocabili decreto certa & infallibiliter quoad euentum futura. Hic sensus, etsi literæ Apostolicæ non quadret, in se tamen verus est. Sed ad eius sanam intelligentiam aliqua explicatione opus est. *Certitudo ista & infallibilitas futuri euentus in

*Certitudo infallibilis euẽtuum non tollit libertatem actionum

vocatione & donis prædestinatorum, nihil prorsus ipsorum libertati detrahit, quò minùs, quicquid ex illis donis electi faciunt, liberrima electione faciant: ea sanè libertate, vt quando aliquid piè faciunt, possint idem non facere. *Id enim libera voluntate vnusquisque facit, quod, si vult, facit; si non vult, non facit.* Nam tametsi adultus à Deo electus & prædestinatus, certò, hoc est, absq; vlla Dei deceptione, aut propositi mutatione, vitam æternam consequetur, aliaque media eò perducentia accipiet; certitudo tamen ista non est ex parte mediorũ effectusque prædestinationis, quasi illa sic se habeant vt aliter se habere non potuerint aut possint, sed ex parte diuinæ præscientiæ, qua Deus altitudine & illimitata perfectione sui intellectus, supra id quod natura rei habet, certò cognoscit prædestinatum taliter pro sua libertate cooperaturũ per suum arbitrium, vt eisdem medijs in vitam æternam re ipsa debeat peruenire: cùm tamen, si velit, possit re ipsa ita operari, vt neque ea media effectusque prædestinationis in rerum natura sint, neque ipse in vitam æternam perueniat. Itaque cùm secũdùm se incertum sit, atque à libertate proprij arbitrij creati pendeat, prædestinatum in eo ordine rerum, in quo Deus eum statuit collocare, tali modo cooperaturũ cum auxilijs quibus eum decreuit adiuuare, vt ad vitam æternam perueniat; ideoque

August. de Spir. & lit cap. 30.

ideoque auxilia illi decreta, effectus prædestinationis rationem habeant; Deus tamen altitudine sui intellectus, ante vllum actum suæ volũtatis, & absque vlla determinatione suæ voluntatis, certò nouit quid pro libertate arbitrij illius sit futurum, cognitus profectò contrarium si contrarium esset re ipsa futurum; & hãc ob causam, non quia præsciuit Deus, ideo taliter & taliter prædestinandus operaturus est; sed contrà, quia taliter & taliter operaturus de facto est, ideo Deus ita præsciuit. Qua præscientia præhabita, accedit determinatio diuinæ voluntatis, merè gratuita & libera, misericordiaque plena, qua in tali ordine rerũ eum collocare, taliaque auxilia ei donare statuit. Et ex hac determinatione, ex hoc libero Dei decreto remansit prædestinatus certò saluandus, certoque bene operaturus, qui alioquí non fuisset nisi præuisus, saluari possibilis, &c. Ordinẽ rerũ in quo vnũquẽque Deus collocat, intelligimus hoc loco totum cursum vitæ alicuius hominis à prima pueritia vsque ad mortis horam, vt sic educetur, sic adolescat, in tali ac tali vitæ instituto degat, tales & tales bene operandi occasiones habeat, tali modo extremum vitæ diem claudat, cum qua videlicet educatione, in quo vitæ instituto, cum quibus bene operandi occasionibus, quo denique mortis genere, præsenti semper auxilio gra-

tiæ, præuidet Deus eum ad vitam æternam peruenturum. Hoc vocamus ordinem rerum in quo quemlibet electum Deus collocat, quum etiam potuisset eum in alio ordine collocare, aut etiam præuiso bono vsu gratiæ in hoc ordine nihilominus non statuere, & huiusmodi auxiliorum collatione non determinare. In quo elucet electio Dei gratuita, & inexplicabilis erga electos misericordia. Cæterùm ex tali electione quæ præscientiam iam dictam præsupponit, nihil detrahitur de futuris euentibus libertatis, quia etsi sit certissima & infallibilis electio, tamen non priùs hanc certitudinem accepit, non priùs à Deo determinata hæc electio fuit, quàm, quid liberè ab vnoquoque fieret, Deus præuidisset. Qui existimant nullam talem esse præscientiam conditionalium liberarum, vel mediam inter naturalem & liberam, qua ex hypothesi videt quicquid ex causis liberis fieri possit, nec iam solùm quæ fient, sed etiã quæ non fient, putantque Deum ea sola præscire quæ de facto fient, adeoque hanc præsciẽtiam causam esse omnium quæ fiunt; ex S. Scripturæ verbis manifestè refutantur, quæ suprà ad hanc epistolam c. 9. protulimus. Est ergo in Deo præter scientiam naturalem, quæ est omnium ab ipso Deo fieri possibilium, siue facturus ea sit, siue non; & præter scientiam liberam, quæ est eorum quæ certò fient post liberum

Sciẽtia in Deo media.

liberum actũ suæ voluntatis, liberã quedeterminationẽ quòd fiet; alia scientia inter vtramque media, eorum quæ ex hypothesi tantùm euentus nouit, si talia & talia media antecedãt, aut in tali ac tali ordine rerũ creaturæ ponantur. Hæc enim scientia nec naturalis est, quia potuit scire oppositum eius quod per eam cognoscit, eò quòd liberum arbitrium potuit oppositum ei facisse quod facturũ est, quo casu oppositum cognouisset; nec libera, tum quia antecedit omnem liberum actum voluntatis diuinæ, tum quia in potestate Dei non fuit scire per eam scientiam aliud quàm re ipsa sciuerit. Est ergo hæc scientia conditionalium liberarũ media quædã sciẽtia inter vtrãq; Habet enim ex vna parte conditionem scientiæ naturalis, quatenus præuenit actum liberum voluntatis diuinæ, neque in potestate Dei fuit aliud scire; ex alia parte conditionem habet scientiæ liberæ, quatenus quòd sit vnius potiùs partis contradictionis scientia quàm alterius, ex eo habet quòd liberum arbitrium (ex hypothesi quòd in hoc vel illo ordine rerum collocetur) hoc vel illud potiùs facturum sit, cùm vtrumuis indifferẽter posset facere: quod totũ omnino postulat libertas arbitrij creati, quæ nõ minùs est de fide quàm Dei præscientia & prædestinatio, vt latè ostendit Ludouicus Molina q. 14. ar. 13. disput. 23. Hoc totum

In Cõcordia gratiæ & lib. arb.

intelligere necesse est, vt hæc Apostoli verba, *Sine pœnitentia sunt dona Dei & vocatio*, libero arbitrio electorum nihil prorsus detrahere nihil derogare intelligantur.

35. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?*

AButitur hoc loco tam Caluinus quàm Beza. Caluinus omne bonorum operum meritum, Beza omnem bonorum operum præscientiam in illis conuelli suadere volunt. Vterque desipit. *Est notabilis hic locus* (ait Caluinus) *quo docemur, non esse nostræ facultatis, Deum nostris benefactis ad conferendam nobis salutem prouocare, sed illum gratuita bonitate imerentes præuenire.* Docet sanè hic locus, *non posse nos Deum ad conferendam nobis salutem*, id est, primam vocationem, primam gratiam, primam reconciliationem, qua impij Deo reconciliantur (primã dico, non quia vnicã, quũ sæpius lapsi, sæpius per pœnitẽtiã resurgere & reconciliari possint, sed primam in ordine ad totius iustificationis cursum, siue ille de nouo incipiat, siue interruptus denuo ordiatur) *illis bene factis prouocare*, id est, præuenire: *quia præuenit nos ille in benedictionibus.* Sed ita loquitur Caluinus, vt *salutis* nomine ipsam vitã æternam, quæ cadit sub merito, & quæ vera est benefactorum retributio, intelligi velit, aut certè à quolibet Caluinista intelligi possit. De prima autem & gratuita vocatione disputat hîc Paulus, non de vitæ æternæ

Prima gratia quæ vocatur.

Psal. 20. 4. Caluinus in ambiguo fallit.

æternæ retributione, vt tota præcedens disputatio ad oculum demonstrat.

Beza ad hunc modum declamat: *Est hic locus diligenter obseruandus aduersus eos qui fidei vel operum præuisionem faciunt electionis causam.* Atqui præuisionem operum quam Catholici statuunt, nullam esse electionis, quoad primam gratiam, causam aut originem, in præcedentibus satis explicatum est. Mox veteres Patres huius erroris incusat. *In quem* (inquit) *errorem sanè turpissimum Origenes veteres plerosque tũ Græcos tum Latinos adegit: donec tandem Dominus Augustinum per Pelagianos ad hunc cognoscendum & corrigendum errorem excitaret.* De elect. ad glor. Patr. loq. sub.

Hæc ille. Cæcus & audax hæreticus præstantissimos & sapientissimos Patres temere & falsò accusat. Nec Origenes, nec cæteri aut Græci aut Latini eum sequuti, præuisionem operum veluti electionis gratuitæ, quoad primam impij vocationem, causam docuerunt; sed electionem ad gloriam, & prædestinationem ad vitam æternam, ex præuisis nostrorum operibus (quibus illam vt mercedem rependi Scriptura docet) à Deo præordinatam fuisse, iuxta manifestas hac dere Scripturas tradiderunt. Sic Origenes in [a] Matthæum, & in hanc ad [b] Rom. epistolam Sic Chrysostomus in [c] Matthæum, & in Paulum [d] ad Romanos. Sic [e] Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus. Sic Cyrillus Alexandrinus tum in [f] Thesaurorum libris, Patres antiquiss. Beza mẽdaciter accusat.

[a] Tract. 12.
[b] Lib. 7.
[c] hom. 80
[d] hom. 16
[e] in cap. 8 ad Rom.
[f] lib. 10. cap. 3.

tum super D. [g]Ioannem. Sic [h] Damascenus de orthodoxa fide. Sic Clemens [i] Alexandrinus. Sic inter Latinos D. [k] Hieronymus, [l] Ambrosius & [m] Hilarius. Porrò & D. Augustinum de electione ad gloriam in eadem sententia fuisse, nec nisi de electione ad primam gratiam contra Pelagianos disputasse, nec denique præscientiam operum nisi solius liberi arbitrij contra illos sustulisse, suprà cap. 9. ita latè ostendimus, vt hîc repetere nihil sit opus.

g Lib. 9. cap. 10.
h Lib. 2. c. 30. & lib. 4. cap. 20.
i Strō. l 7.
k Ad Hedib. q. 10.
l De fide lib. 5. c. 13
m. In Psal. 64.

Argum. Cap. sequentium.

Recapitulatio præcedentiū.

IN sequentibus capitibus, terminata tandem longa & operosa disputatione de fide & gratia Christi; tum quoad eius necessitatem omnium hominū respectu, seu Iudeorum seu Gentium; tum quoad eius admirabiles effectus in carnis & peccati dominio; tum denique quoad eius excellentiam & principium ex parte Dei, quod in Iudæorum reiectione ac Gentium vocatione maximè eluxit, nunc de vsu gratiæ Christi ex parte nostra latissimè disputat, & parti dogmaticæ parte moralem ita subnectit, vt luculenter doceat, sic ex fide & gratia Christi tam Iudæorum reliquias quàm totius orbis Gentes gratuitam cum Deo reconciliationem & iustificationem accepisse,

vt

vt iam in Christo per fidem iustificati, non in ea sola iustificatione (quæ solùm exordium salutis est) saluari se in reliquo vitæ cursu posse existiment; sed in recto gratiæ Dei vsu magis ac magis se iustificari debere, acceptam iustitiam conseruare & augere, salutem denique suam perficere & consummare oportere, intelligant, Capite igitur 12. de ipsa cuiusque sanctificatione, de vario donorum Dei vsu, de varijs pietatis operibus multa præcepta accumulat. Cap. 13. de publica ac priuata iustitia erga Principes & erga proximũ, ac tandẽ de vitæ puritate alia adiũgit præcepta. cap. 14. veluti cõmunis pater Gentiũ ac Iudęorũ, quasi arbitrũ agit inter Gentilẽ Christianũ firmiorẽ, & Iudæũ Christianũ infirmũ. Christianũ Gentilẽ hortatur, ne contẽnat scrupulosum Iudæum circa cibos lege vetitos; Iudæum conuersum hortatur ne condemnet Gentilem sua libertate vtentem. Vt vterque paci & ædificationi proximi studeat, nec ille sua libertate fratrem scandalizet, nec hic fratris libertatẽ iudicet, multis verbis monet. Cap. 15. vlteriùs pergens, infirmos huiusmodi fratres à firmioribus placidè & amicè sustinendos esse docet. Cuius rei occasione iterum excurrit in vocationem Gentium: ac deinde quædam subiungit familiaria ad se pertinẽtia. Vltimo capite contexit varias salutationes, obiter monens vt ab hæreticis sibi caueant. Ita ab

Cap. 12. arg.

Cap. 13. arg.

Cap. 14. arg.

Cap. 15. arg.

Cap. 16. arg.

exordio Ecclesiæ hæc pestis inualuit: & hac saluberrima admonitione epistolam terminat.

CAP. XII.

1. *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctã, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.*

Sanctificatio Christiano necessaria.

EST adhortatio efficacissima ad rectum diuinæ gratiæ vsum assequendum, ac retinendum. *Per ipsam Dei misericordiam* (quam præcedentibus capitibus sublimiter prædicauerat) *per quam saluati*, id est, è statu damnationis erepti, ad statum salutis translati erant, per maximum & primum erga eos Dei beneficium, eos veluti adiurat & contestatur, vt loco externi sacrificij, & mactatæ victimæ, in quo summũ Dei cultũ Gentes ponebant, sui ipsius corporis sacrificium Deo offerant: *corpus suum* per actiones omnes externas Deo seu in Dei cultũ *exhibeant*, veluti *hostiam* quandam, *viuentem* quidẽ, non mactatam corporaliter, *sanctam* tamen, & quæ maculam non habeat, cuius nec oculus malum respiciat, nec lingua immodestè loquatur, nec manus iniquè perpetret: *Deo placentem*, ad Dei nutum atque mandatum sua membra mouentẽ, *vt sit rationabile obsequium*, λογικὴ

λογικὴ λατρεία, id est, cultus Dei totus spiritualis & purus, ex puro Dei amore profectus; non (vt olim) corporeus, & in externis tantùm ceremonijs positus.

Iam quia exhortationis & *obsecrationis* verbo Apostolus hîc vtitur, non iubet, non præcipit; sua inspergendi venena occasionem Caluinus arripuit. *Docet*, inquit, *hæc contestatio, donec probè teneant homines quantum debeant misericordiæ Dei, nunquam serio affecta eum colere, nec satis acriter ad eius timorem & obedientiam stimulari. Papistis satis est, si coactum nescio quod obsequium terrendo exterqueant. Paulus autem, vt Deo nos non seruili metu sed voluntario hilarique iustitiæ amore deuinciat, eius gratiæ, qua continetur nostra salus, dulcedine nos allicit; simulq; ingratitudinem exprobrat, nisi tam benignum ac liberalem Patrẽ experti, vicissim nos ei totos dicare studeamus.* Multa hîc latẽt venena. Primùm, ad pietatem & Dei cultum nullis esse opus præceptis; quia sola consideratio misericordiæ Dei primitus acceptæ, seu primæ & gratuitæ conciliationis nostræ cum Deo, ad hanc rem sufficit. Secundum, Catholicæ Ecclesiæ Præpositos nullis vti adhortationibus, sed solis præceptis terrere. Tertium, in prima illa gratia & gratuita Dei misericordia *contineri nostram salutem.* Quartum, hæc, ad quæ Paulus hortatur, non obedientiam ad salutem necessariam exigere, *sed ingratitudinem nostrã exprobrare*, si ista negligamus.

Caluini venena.
1.
2.
3.
4.

5. ligamus. Quintum, & postremum, id quod Paulus à nobis exigit, in eo consistere, *vt nos Deo dicare studeamus*. Hæc sunt hoc loco Caluini venena, quibus singula opponemus antidota. Sola consideratio misericordiæ Dei in prima nostra conuersione exhibita, ingens haud dubiè stimulus est ad piè sanctèque viuendum, sicuti & quæuis alia beneficiorum Dei meditatio; sed adeò illa non sufficit, vt perpaucos ad virtutem capessendam moueat: & si quos mouet, non ex ea consideratione quæ nisi externum medium est, sed ex Dei charitate *in cordibus nostris per Spiritum S. diffusa*, piæ voluntatis proprio principio piè ac purè Deus colatur. *Si quis diligit me, sermones meos seruabit*, ait Christus, & infrà Apostolus, *Plenitudo legis est dilectio*: de quo paulò pòst. Catholicæ Ecclesiæ Præpositi, siue ad populum verba faciendo, siue de diuino cultu in scriptis disserendo, vt hîc Paulus, non nisi adhortationibus vtuntur. Dei quidem præcepta proponunt, suis præceptis non terrent. Quando in Pastorum conuentibus aut de fide aliquid statuendum aut disciplinæ ratio instituenda est, præceptis vtuntur iuxta potestatem illis à Christo datam: quam in suis maximè Consistorijs Caluinus & Caluinistæ summo rigore exercent.

Antidota singulis apposita.

1.

Rom. 5.

Ioan. 15.

Rom. 13.

2.

3. In prima Christi gratia salutem nostram non contineri, sed post eam acceptam *in nouitate vitæ ambulandum, facta carnis mortificanda, iustitiæ*

iustitiæ seruiendum esse, ex huius potissimùm epistolæ cap 6. & 8. luculenter docuimus. Ad quæ hîc Paulus hortatur, necessariam obedientiam flagitare, non solùm operas à nobis gratuitas exigere, ex duplici capite manifestũ fit. Primùm, ex earum rerũ natura ad quas hortatur. Quũ enim tota hæc adhortatio sit de corporis mortificatione, & spirituali sanctificatione, de eadẽ alibi Apostolus sic scribit: *Si secundùm carnẽ vixeritis, moriemini: si Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Rursum: *Nihil damnationis ijs qui sunt in Christo, qui non secũdùm carnẽ ambulant, sed secundùm Spiritum.* Vtroque in loco necessariã esse ad salutem carnis mortificationẽ, & spiritualẽ sanctificationem, Paulus docuit, vt ex illis verbis conuicimus. Deinde, ex ipso adhortationis modo. Solet quippe Paulus ad ea quæ inprimis necessaria ad salutem sunt, adhortationes & obsecrationes suas interponere: *Obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* An dicet Caluinus vnitatem fidei non aliter exigi, nisi vt operam quandam gratuitam, & ne simus ingrati Christo? Rursum: *Obsecramus pro Christo*, id est, per Christum, siue Christi nomine, vt vertit Beza; *reconciliamini Deo.* An hoc quoque vt ad salutem necessarium ideo declinabit Caluinus, quia simplici obsecratione vtitur, non mandato? Imò quodam in loco diserte docet se

4. Obedientiã necessariã Paulus docet.

Rom. 8.

1. Cor. 1. 10.

2. Cor. 5. 20.

Obsecratio apud Paulum præcepti vim habet.

cet se ex modestia obsecrare, quod ex potestate sibi data potuit imperare: *Ipse ego Paulus*
2. Cor. 10. 1. *obsecro vos per mansuetudinẽ & modestiam Christi; qui in facie quidem humilis sum inter vos, absens autem confido in vobis; rogo autem ne præsens audeam per eam confidentiam qua existimor audere in quosdam, qui arbitrantur nos tanquam secundùm carnem ambulemus.* Ostendit se Paulum, quem solebant dicere per epistolas quidem confidenter agere, & suavti authoritate, præsentem verò demisse & abiectè agere, nunc etiam per epistolam rogare, ne ipsi fortè in causa sint, vt etiam præsens non minùs confidenter agat, non secus duriter increpet, quàm quibusdam videbatur per epistolas absens duriter redarguere, qui videlicet sinistrè de Apostolo iudicabant, quasi carnalium hominum more præsentibus abblandiretur in solos absentes durius ageret. Tãdem, nónne Paulus erga Galatas, quos primò acriter obiurgauerat, postea obsecratione vtitur? *Estote sicut ego, fratres; obsecro vos?*
Gal. 4. 12. Ephes. 4. 1 Nónne Ephesios *obsecrat vt seruent vnitatem spiritus in vinculo pacis?* Nónne Thessalonicẽses *obsecrat in Domino, vt quemadmodum ab illo acceperunt,*
1. Thessal. 4. 1. *sic ambularẽt?* At quis tã demẽs, vt in his omnibus Pauli adhortationem præcepti vim habere neget? aut, ad quæ in his hortatur Apostolus, non nisi ad ingratitudinis notam propellendam adhortari? nec nisi gratuitas & liberales operas illum expe-

tere,

tere, ad ipsorum salutē minimè necessarias? Hac videl. arte obedientiæ necessitatem collo suo ac suorum excutere Caluinus voluit. Meminisse debuit, varium esse Pastoris officium, etiam circa ea quæ omnino ad salutem necessaria sunt. *Arguere, increpare, obsecrare*, vt suum Timotheum Paulus docuit, habita videl. temporum, locorum, & personarum ratione. Denique Paulus & si nunc obsecrans, tamen in proximis ferè verbis, *Dico per gratiam quæ data est mihi*, ipso interprete Caluino, *authoritatem sibi datam commemorat, vt non aliter suæ quàm Dei ipsius voci auscultent. Tantundem enim valent eius verba ac si dixisset, Non loquor à me ipso, sed legatus Dei, quæ mihi mandata ille iniunxit, ad vos perfero. Ergo ita præfando authoritatem sibi comparans, Romanos parendi necessitate obstringit, nisi Deum in ministri sui persona velint contemnere.* Hæc ipse Caluinus. Ad hoc quartum eius venenum copiosius paulò antidotū dare libuit, quia toti subsequenti disputationi Apostolicæ istud subseruit: ne quisquam hîc consilia tantùm liberalia ab Apostolo suggeri, nihil ad salutē necessarium doceri, temere & pernicioſè existimet. Quintum Caluini venenum, *vt nos Deo dicare studeamus*, iuxta Caluinianæ iustitiæ mysteriū, studium & conatum quendam rectè piéque viuendi inanem & inefficacem insinuat, effectum & opus ipsum negat. Quod eius pestilentissimum dogma varijs iam in locis in lucem

2. Tim. 4. 2.

Ad Rom. cap. 7.

lucem proditum iugulatum reliquimus. Sed & hoc loco Apostolus nõ dicit, Obsecro vos vt exhibere studeatis corpora vestra, &c. sed dicit, *Obsecro vos vt exhibeatis*. Ad opus hortatur, non ad studium operis. Caluinus quia operis boni & mortificationis & sanctificationis in nobis impossibilitatem impiè ponit, idcirco Scripturas quæ opus exigũt, callidè ad operis studium & conatum inuertit. Sufficere sibi ac suis iudicat, si voluntatem aliquam habeãt rectè viuendi, tametsi nunquam rectè viuant.

3. *Non plus sapere quàm oportet, sed sapere ad sobrietatem, vnicuique sicut Deus diuisit mẽsuram fidei.*

VTilem & his temporibus necessariam doctrinam hic locus continet. Præfatus Apostolus de sua authoritate, hoc ante omnia præceptum ponit, ædificationi Ecclesiæ & paci atque vnitati conseruandæ inprimis oportunum. Docet, quemadmodum in alimento corporeo non expedit plus sumere quàm oportet, sed sumere ad sobrietatem, ne lædatur vel stomachi vel totius corporis valetudo; sic in alimento spirituali (quæ est sapientia & scientia; homo enim naturaliter scire desiderat) non expedit plus sapere quã oportet, sed sapere ad sobrietatẽ, ne lædatur vel salus propria, vel totius Ecclesiæ pax & salus. Quid sit sapere ad sobrietatem

tem, ad propriam salutem conseruandam, pulchre explicat D. Bernardus serm. 36. in Cantica. Sed quia Apostoli intentio est, illã sapiendi sobrietatem docere, quæ ad totius Ecclesiastici corporis pacẽ & bonum facit, vt tota subsequens comparatio corporis naturalis cum corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, apertè ostendit; hunc sensum contra hæreticos potissimùm bene explicatum tenere, plurimum expedit. Sapere ad sobrietatẽ hoc loco est, vt nemo supra mensuram fidei, quam accepit sapiat; quæ mensura cùm vocationi cuiusque respondeat, sicut in naturali corpore mẽsura motus aptatur cuique membro iuxta functionem eius naturalem, sapere ad sobrietatem est, vt vocatus ad docendum doceat, non vocatus discat. Sicut enim in partibus corporis naturalis, & in elementis, omnia locũ suum egressa vitam & operationem amittunt, sic *homini fideli* (ait S. Chrysostomus) *non satis, esse vnitum corpori Ecclesiæ, sed præterea proprium locum seruare oportet, vtpote qui nec vnitus esse queat, nec Spiritum vitæ accipere, si loco cesserit.* Hæc ille. Non debet, qui inferiore loco est, sic sibi sapere, vt se ipsum in Ecclesia doctorem constituere, & Ecclesiæ magisterium respuere præsumat. Eleganter & sapienter Augustinus: *Quemadmodum si aliqui volare possent, tamen, ne cui sit periculo incitamentum, paulisper cogendi sunt incedere qua cæteris tutum est; sic eã via*

Sapere ad sobrietatẽ quid.

Homil. 11 in epist. ad Ephes.

De vtilit. cred. c. 10.

quisque ad fidem venire debet, qua cæteri quò primitus credunt. Hæc ille, & multa in hanc sententiam plura in aureo libro de vtilitate credendi. Rusum, *sapere ad sobrietatem,* est, ne quis singulariter sapiat, & sibi soli aliquam veritatem vendicet, quæ à communi fide aut recepta Doctorum sentẽtia dissentiat. *Sumus* (inquit hîc Apostolus) *alter alterius membra.* Nemo ergo sibi debet sapere, sed toti communitati & corpori Ecclesiæ, iuxta sensum, pacem, & bonum totius Ecclesiæ. Oculus non sibi tantùm sed & toti corpori videt. Si se solũ in speculo contueri oculus vellet, & alios corporis motus dirigere recusaret, erui mereretur: sic eijci ab Ecclesia dignus est qui sibi soli singulariter sapere vult, & non ad vtilitatem, pacem, & sensum totius Ecclesiæ.

Caluini artes.

Hunc locũ ita tractat Caluinus, vt tametsi aliquid ad rem præsentem dicat (hoc enim loci euidentia postulabat) tamen alia admisceat, nihil ad prẽsentem causam pertinentia, quibus, quæ huc propriè spectant, veluti offuscantur, certè minus aduertuntur; & hoc ipsum quod orthodoxè dicit, nõ nisi mãcũ & mutilum proferat, ipso totius causæ cardine dissimulato. Hæ eius artes sunt. *Præceptũ* (inquit) *sequitur, quo & nos retrahit ab earum rerũ inuestigatione, quæ nihil quàm tormentum ingenijs afferre queat, nullã verò ædificationẽ* (nihil hoc ad Apostoli sensum, qui de superbis ingenijs

circa

circa causam fidei, non de curiosis ingenijs circa humanam sapientiam loquitur) *& prohibet ne sibi quis plus sumat, quàm ferat captus & vocatio* (hæc sola verba ad causam faciunt) *simulq; admonet vt ea tantùm cogitemus ac meditemur, quæ nos sobrios ac modestos reddere poterũt.* Alterum affinxit, quod cum Apostoli disputatione nihil habet commune qui morales virtutes hîc non tradit, sed fidei ac religionis precepta tractat. Tandem paulò pòst causæ præsenti accommodata profert, quibus vt ipsam veritatẽ, ita suam ac suorũ effrenem hodie temeritatem idoneis verbis profitetur. Ad illa verba, *Sicut enicuiq; Deus diuisit mensuram fidei*, ita scribit: *Hic exprimitur ratio illius sobriæ sapientiæ quam commendat. Quando enim distributio gratiarum varia est, ita sibi optimum quisque sapiendi modum statuit, dum se intra collatam sibi à Domino fidei gratiam continet. Ergo superflua sapiendi affectatio non est modò in rebus superfluis, ac cognitu inutilibus, sed etiã ijs quarum est vtilis alioqui intelligentia, vbi non respicimus quid nobis datum sit* (nempe iuxta cuiusque vocationem, pro ratione membri quod in corpore obtinet, vt Apostolica disputatio manifestat, quod sibi dissimulãdum Caluinus putauit) *sed temeritate atque audacia mensuram intelligentiæ* (addere debuit, membri cuiusque vocationis, ac loci in corpore Ecclesiæ) *excedimus. Quam importunitatem inultam non sinit Deus.* Exempla Dathan, Core,

& Abiron in veteri populo, Arius & alij archihæretici in Ecclesia Christi. *Videre enim est vt plurimum, quibus delirijs circumferantur, qui se stulta ambitione vltra constitutos sibi fines efferunt.* Hæc omnia verissimè Caluinus; quę in ipsum omnium maximè aliosque hodie sectarios ad amussim quadrant.

6. *Habentes donationes, secundùm gratiam quæ data est nobis, differentes.*

Schismaticorũ reprehensio

PLacet hoc loco Caluini commentarius, quia ex ore aduersarij fortiùs sonat veritas. *Hinc,* inquit, *præcipuum habemus scopum quò tendit Apostolus, non omnia omnibus conuenire, sed ita esse distributa Dei dona, vt finitam singuli portionem habeant: atque suis donis in Ecclesiæ ædificationem conferendis sic oportere intentos esse singulos, vt nemo derelicta sua functione in alienam transeat.* Optima & saluberrima sunt ista; sed quæ contra Caluinũ, Bezã, aliosque sectarios omnes plurimum valent. Illi enim omnes, derelicta sua functione, in alienam transierunt. Caluinus, depulso Geneuensi Episcopo, in eius se cathedram intrusit, cum Farello & Vireto complicibus suis. Sui postea Consistorij formam, amille quàm Beza omnibus alijs reformatis (vt vocant) Ecclesijs, Anglicis, Scoticis, Polonicis, & per totam Franciam obtrudere importunissimè contenderunt: nec adhuc in

Anglia

Anglia forma ac politia vetus à Puritanorum clamoribus, qui sua semper flagitant Consistoria, libera atque immunis est: de qua vna causa lis adhuc inter Anglo-caluinistas & Puritanos interminabilis feruet. Quotquot hodie sectarij, absque legitima in vna Ecclesia Catholica ordinatione, pascendi & docendi sibi munus sumpserunt, *derelicta sua functione in alienam transierunt.*

6. *Siue prophetiam secundùm rationem fidei.*

HAec etiam Pauli verba rectè & orthodoxè, sed contra caput suum, interpretatus est Caluinus. *Prophetia*, inquit, *hodie in Christiana Ecclesia nihil ferè aliud est quàm recta Scripturæ intelligentia, & singularis eius explicandæ facultas, ex quo veteres prophetiæ omnes & omnia Dei oracula in Christo & Euangelio ipsius sunt conclusa. Admonet igitur eos qui in Ecclesia prophetant, vt suas prophetias ad fidei normã conformẽt, necubi aberrent à linea. Fidei autem nomine significat prima religionis axiomata; quibus quæcumque doctrina deprehensa fuerit non respondere, falsitatis sic conuincetur.* Optimè istud, & prorsus iuxta Apostoli mentem: nec quicquam salubrius Apostolus monuit. Debet omnis S. Scripturæ interpretatio non ex priuato cuiusque iudicio ad noua cuiusque sectarij placita obtorto collo indignissimè trahi, sed ex cõmuni sensu pio-

Scriptura iuxta fidei regulã exponenda.

rum adferri, iuxta prima & recepta religionis Christianæ axiomata, iuxta analogiam & proportionem fidei orthodoxæ iam antea receptæ, traditæ, & cognitæ. Beza hoc loco Caluini sententiam ita repetit, vt fidei vocabulum & religionis axiomata valde restringat. *Verus* (inquit) *canon prophetiæ, id est, interpretationis Scripturarum veræ à falsa discernendæ ab Apostolo significatur: nempe si ad Christianæ fidei axiomata αὐτοπιςὰ exigantur, Symbolo comprehensa quod Apostolicum vocant, & quod iam inde ab initio Euangelicæ prædicationis veluti Euangelij epitome scriptum fuit, ideoque norma & regula fidei meritò à Tertulliano vocatur.* Veritus est Beza, ne, si prima religionis axiomata indefinitè à Caluino posita vltra Symbolum Apostolicum extenderentur, omnis illi præscinderetur libertas ad innumera sua placita, quæ Symbolo Apostolico apertè non contradicunt, Scripturas torquèdi. Bonus igitur Christianus Beza pro religionis Christianæ axiomate αὐτοπιςῷ, certo & indubitato, nihil habet nisi quod in ipso Symbolo Apostolorum continetur. Ita de cæna Domini, de peccato originali, de gratia Christi, de Lege & Euangelio, de iustificatione siue ex fide siue ex operibus, de toto externo cultu, de tota politia & regimine Ecclesiæ, nullum erit axioma ἀνλόπιςον, quia de his articulis in dicto Symbolo negry quidem. Cæterùm ad regulam & normam fidei

Beza qualis Christianus.

ad

ad axiomata religionis Christianæ αὐλόγιςα, indubitata & per se nota, quàm plurima alia præter Symbolum Apostolicum pertinere, sanè ea inprimis omnia quæ contra varias variorum temporum hæreses, in varijs Episcoporum Concilijs definita sunt, eaque rursum omnia quæ tacito omnium piorum sensu & consensu ex traditione Apostolica ad nos vsque deriuata & creduntur & & aguntur, iam olim contra horum temporum hæreticos latè demonstrauimus. Sanè Paulus ipse suam doctrinam (qui multa extra Symbolum docuit) Corinthijs traditam, regulam fidei vocat: *Spem habentes, crescente fide vestra, secundùm regulam nostram in vobis abundanter magnificari.* Sic ad Galatas: *Quicumque hanc regulam secuti fuerint (Neque circuncisio neque præputium aliquid valet, sed noua creatura, & fides quæ per dilectionem operatur) pax super illos.* Denique de tota religione Christiana loquens, & vt vnitas in ea seruetur satagens; *Si quid* (inquit) *aliter sapitis, & hoc vobis Deus reuelabit. Verumtamen ad id quod peruenimus, vt idem sapiamus, in eadem permaneamus regula.* id est: Tenendo firmiter mensuram scientiæ & fidei ad quam pertigimus, vt vnanimes simus in eadem fidei regula, in communi ac recepta doctrina, in axiomatibus religionis nostræ certis & indubitatis immobiles persistamus. Docet ergo hic saluberrimus locus, in Scripturarum interpre-

Regula fidei latiùs patet quã Symbolũ Apostol.

De princip. fidei libro 7. cap. 1.

2. Cor. 10.

Gal. 6.

Gal. 5.

Philipp. 3.

tatione ita nos versari oportere, vt ad fidei analogiam oculos semper fixos habentes, ad certa & indubitata religionis Catholicæ axiomata perpetuò respicientes, nullum sensum illis repugnantem afferamus, quando (vt Caluinus ipse agnoscit) *quæcunque doctrinæ illis non respondere deprehensa fuerit, falsitatis manifestè conuincitur*; quæcunque autem fidei dogmatibus interpretatio conuenit & respõdet, tametsi fortè genuinum literæ sacræ sensum non attingat, imò tametsi ab ea multum aberret, noxia tamen & pernicioſa esse non potest. Enimuero hac vna ex causa tot in Caluini commentarijs Bezæque Annotationibus toxica inuenimus, toties Scripturam diuinam indignissimè deprauare deprehensi à me sunt, quia non ad fidei analogiam, non iuxta Christianæ religionis axiomata αὐλοπτίςα, in tota & Catholica Christi Ecclesia hactenus receptissima, sed ad sectæ suæ propria & nouella placita, interpretationem suam fabricarunt.

14. *Benedicite ijs qui vos persequuntur: benedicite, & nolite maledicere.*

SOlet perpetuò Caluinus, solentque alij hodie hæretici plerique omnes legem mandatorum Dei obseruatu impossibilem astruere, & ex hoc capite eius obligationem atque ad salutem necessitatem destruere. At

vide

vide nunc vt hoc Apostoli præceptum, quod sanè maximè arduum profitetur, necessariò tamen obseruandum doceat. *Hic* (inquit) *aliquid difficilius requirit Apostolus, nempe ne quid mali imprecemur hostibus nostris, sed prospera omnia illis & optemus, & à Deo precemur, vtcumque nos vexent ac inhumaniter tractent: quæ mansuetudo quò est obseruatu difficilior, ita intentiori studio ad eam est nitendum. Nihil enim iubet Dominus in quo non reputrat nostram obedientiam. Nec admittenda est vlla excusatio, si eo sensu vacui sumus, quo voluit nos Dominus ab impijs & seculi filijs differre. Ardua res est, fateor, & naturæ hominis penitus contraria: sed nihil tam arduum, quod non virtute Dei superetur, quæ nobis nunquam deerit, modò ne ipsam inuocare negligamus. Et quanquam vix vnum reperias, qui tantos in lege Domini progressus fecerit, vt præceptum istud impleat, nemo tamen filium Dei iactare se potest, aut Christiani nomine gloriari, qui non animum istum ex parte induerit, & cum affectu aduerso quotidie pugnet.* Hæc ille. Obserua quàm multa hîc habet Caluinus pro mãdatorum Dei non possibili modò sed & debita obseruatione. Agnoscit *difficile præceptum esse, & rem arduã, naturæque hominis penitu contrariam; hostibus nostris prospera omnia optare & à Deo precari.* Haud dubiè cætera Dei mandata, maximè quæ decalogo continentur, tantam non habent difficultatem, quum sint omnia iuri naturæ & gentium consentanea. Ait tamen, *quò est præceptum difficilius, eò intentiori*

Præceptũ Dei obseruat. necessaria.

riori ſtudio ad id nitendum eſſe Idem de omnibus alijs Dei mandatis ſentiendum. Addit, *nihil iubere Dominum, in quo non requirat noſtram obedientiam.* Eſt ergo in omnibus, quæ Deus iubet, noſtra obedientia neceſſaria. An dicet Deum quidem requirere, id eſt, expetere quidem, optare, ac velle, ſed non neceſſariò flagitare? Si talem latentē ſenſum coquit Caluinus, nefariam impoſturam quis non videt? In ſermone quippe ac ſenſu vulgari id requirere Deus dicitur, quod prorſus & neceſſariò flagitat. Si apertum & germanum ſenſum verbi retinet, euertitur funditus impiū eius & perpetuum dogma, obediētiam mandatorum Dei nō eſſe rem ad ſalutem neceſſariam. Adiungit prēterea, ne quis propter rei difficultatem excuſari ſe poſſe putet; *nihil eſſe tam arduum, quod non virtute Dei ſuperetur.* Idem in omnibus aliis Dei mandatis valere debet, vtcumque ſunt ardua, virtute tamen Dei, adiutorio & auxilio gratiæ diuinæ, omnem difficultatem poſſe ſuperari; quæ eſt vera & legitima diuinæ gratiæ prædicatio, cuius beneficio tota lex impletur. Rurſum, hāc Dei virtutem ne extra nos eſſe poſitam quiſquam arbitretur, opportunè ſubiungit; *Quæ nobis nunquam deerit, modò ne ipſam inuocare negligamus.* Docet gratię diuinæ auxilium ad præceptū maximè arduum opere complendum, *ad ſenſum*, inquam, *illum dilectionis inimicorum induendum, quo vacui eſſe non ebent filij Dei,*

Dei, veluti hac nota ab impiis & filijs seculi discernendi, pijs precibus à Deo impetrari posse, sanè iuxta illam diuinam Scripturam: *Sciens quia aliter non possem esse continens, nisi Deus det, adij Dominum, & deprecatus sum illum, & dixi ex totis præcordijs meis, Deus patrum meorum*, &c. Agnoscit nunc ergo Caluinus, beneficio gratiæ Dei, quæ oratione humili impetrari potest, arduum istud inprimis præceptum de benefaciendo persequentibus nos, seruari posse nec quenquā propterea excusari, si hunc sensum dilectionis inimicorum non habeat; quando nihil iubet Dominus, in quo non requirat nostrā obedientiam. An non ergo hæc Caluini doctrina & cōfessio aliud eius nefarium dogma de mandatorum Dei obseruatione impossibili (quam in cap. 15. Actorum Apost. pertinacissimè asserentem Caluinum ibidem refutauimus) penitus refutat, conuellit, euertit? Quis ista hactenus legens, hoc sibi non persuadeat?

Sap. 8. 21.

Gratiæ auxilium ad implendū præceptū agnoscit verbo Caluin.

Vide tamen tortuosi huius colubri caudam serpentinam. *Negat vix vnum reperiri qui hoc præceptum impleat.* Si nemo implet, quomodo Deus, in ijs quæ iubet, obedientiam nostram requirit? An Deum aut tam iniustum finget Caluinus, vt obedientiam requirat qualem nullam esse posse bene sciebat? aut tam imprudētem, vt obedientiam requirat qualem fieri posse imprudenter &

Caluini cauda serpentina.

ter & falsò cogitabat? Si nemo implet, quomodo non excusantur qui hoc sensu vacui sunt? Si nemo implet, quorsum nobis de virtute Dei, quæ omnia superet, hoc loco occinitur? quorsum additur, illam nobis nō defore, modò ne ipsam inuocare negligamus? vide vt se euadere posse confidat. *Nemo tamen* (inquit) *filium Dei se iactare potest, qui non animum istum ex parte induerit, & eum affectu aduerso quotidie pugnet.* Ad notas foueas se recipit vulpes. Sed eum facilè extrahemus. Si saltem *ex parte hunc animum induere* debet omnis Dei filius, designet Caluinus *quanta ex parte.* Illa parte designata, ostendat cur non æquè ex maiori aliqua parte aut cur magis ex hac parte (seu dimidiam illam, seu trientem, seu quamcunque tandem ponas) quàm ex alia aliqua parte animus iste benefaciendi inimicis necessariò indui debet, vt quis filius Dei censeatur. Tum qualiscumque ista pars sit, video solam fidem penitus pessundari. Iam enim *animus diligendi inimicos saltem ex parte*, qui certè actus fidei non est, adeò ad salutem necessarius est, vt absque eo *nec filius Dei esse, nec Christiani nomine gloriari* aliquis posset. Tandē, si nihil est tam arduū quod virtute Dei non superetur, eaque nobis nisi nostra negligentia deesse non potest; quæro à Caluinistis omnibus, cur nō tota difficultas diligēdi inimicū virtute Dei tollitur æquè bene atq; vna difficultatis pars,

pars, vt sic non ex parte tantùm hæc dilectio animum occupet, sed hoc dilectionis præceptum animus pius verè impleat. Si totam difficultatem Dei virtus superare nõ potest, falsum est quod dixit, *nihil esse tam arduum, quod Dei virtute non superetur.* Si totam difficultatem Dei virtus superare non vult, nobis eam suppliciter iuuocantibus; ab alia parte falsum erit, *hanc Dei virtutem nobis nunquam deesse, modò ne ipsam inuocare negligamus.* Ita vndique Caluinus ipsa sua cauda serpẽtina constringitur; & aut mandatorum Dei posibilem obseruationem, accedente Dei gratia, ex ipsis verbis suis docere conuincitur; aut vt nefarius impostor suis ipse verbis vno ferè halitu contradicere, & lectorem ludificare deprehenditur. Atqui certa & vera est tota præcedens Caluini doctrina, Dei virtute, quæ nobis eam inuocantibus deesse non potest, quamlibet difficile Dei præceptum, in quo nostram semper Deus requirit obedientiam, præstari à nobis posse, omnem q; eius difficultatem tolli. Falsum & dementiæ plenum est, neminem hoc præceptum implere: fucus ineptus ac ridiculus est, hunc animum benefaciendi inimicis nostris ex parte tantum induendum esse, vt filius Dei quis habeatur. De hac fucata & ridicula Caluini exceptione super Acta latiùs egimus. Porrò præceptum istud Apostolicum quod ab eo Christi apud Matthæum nihil differt,

Caluinus sua cauda constringitur.

Ad Act. c. 15. ver. 10.

Diligite

Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderũt vos, quatenus & quantum singulos obliget, in Antidotis nostris ad eum locum contra alias Caluini corruptelas explanauimus.

Ad Mat. cap. 5. ver. 44.

CAP. XIII.

1 *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi à Deo Qui autem potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Ideóque necessitate subditi estote; non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

2

CAluinistæ aliter quàm Lutherani, aut etiam Cingliani, vt legum Ecclesiasticarum obligationem certiùs tollant, aut solius fidei iustificationem absque vlla operum obligatione fortius statuant, consequenter docent, nec Principum secularium leges in conscientia obligare. Idcirco Caluinus, vtcunque in hũc ipsum locum hoc suum dogma altissimè dissimulet, adeoque affirmet *ad obeundam submissionem Magistratui verbo Dei conscientiam obligari*, tamen in sua Institutione hæc Pauli verba totis viribus eludere conatur. *Quum libertatis*, inquit, *prærogatiua donatæ fidelium conscientiæ, id Christi beneficio consecutæ sunt, ne vllis obseruationum laqueis in ijs rebus implicentur, in quibus eas liberas esse Dominus voluit, omnium hominum potestate exemptas esse constituimus.*

Instit. l. 3. cap 19. num. 14.

ſtituimus. Hoc eius infame dogma vt confirmet, diſtinguit de duplici hominis regimine; *altero ſpirituali, quo conſcientia inſtituitur; altero politico, quo ad ciuilitatis officia eruditur.* Hac diſtinctione facta, concedit *ſecundùm externum regimẽ humanis legibus ſubijci Chriſtianos, tametſi coram Deo ſolutæ ſunt ipſorum conſcientiæ.* Mox hanc ſibi ex Paulo ſententiam obijcit. *Difficultatem* (inquit) *auget quòd Paulus obediendum eſſe Magiſtratui præcipit, non pœnæ ſolùm metu, ſed propter conſcientiam. Vnde ſequitur, politicis quoque legibus obſtringi conſcientias. Quod ſi ita eſſet, caderet quicquid paulò antè diximus, ac iam dicturi ſumus, de ſpirituali regimine.* Vides, Lector, ad Caluini paradoxum refutandũ, ipſius Caluini iudicio quantam hic locus vim habeat. Attende nunc quid reſpondeat, aut qua tandem arte ab hac ſe difficultate explicet. *Vt hic* (inquit) *nodus ſoluatur, operæ precium eſt tenere quid ſit conſcientia. Ac definitio quidem ex etymo vocis petenda eſt: nam ſicut quum mente intelligentiaque homines apprehendũt rerum notitiam, ex eo dicuntur ſcire, vnde & ſcientiæ nomen ducitur; ita quum ſenſum habeat diuini iudicij quaſi ſibi adiunctum teſtem, qui ſua peccata eos occultare non ſinit, quin ad iudicis tribunal rei pertrahantur, ſenſus ille vocatur conſcientia: eſt enim quiddam inter hominem & Deum medium, quæ hominem nõ patitur in ſe ipſo ſupprimere quod nouit, ſed eò vſque perſequitur, donec ad reatum perducat.* Mox vbi ex Scripturis hunc vocabuli huius

Ibidem num. 15.

Ibidem.

Ibidem.

huius sensum confirmasset, veluti concludit,
Num. 16. dicens: *Itaque sicut opera respectum ad homines habent, ita conscientia ad Deum refertur, vt conscientia bona nihil aliud sit quàm cordis interior integritas.* Optimè hæc omnia. Nunc attende vt ad rem præsentem hoc totum accommodet. *Hinc fit* (inquit) *vt obstringere conscientiam lex dicatur, quæ simpliciter hominẽ ligat: sine hominũ intuitu, vel nõ habita eorũ ratione. Exẽpli causa: Non modò castũ seruare animũ, purumq; ab omni libidine, Deus præcipit: sed quamlibet verborum obscenitatem & externam lasciuiam prohibet. Huius legis obseruatione, etiamsi nullus in mundo hominum viueret, conscientia mea subijcitur. Ita qui se intemperanter gerit, non tantum eo peccat quòd malum exemplum præbet fratribus, sed conscien iam reatu obstrictam habet apud Deum.* Vera quoque sunt & ista. Mox de rebus medijs disputat, quæ quidẽ propter scandalum vitanda sunt, propter conscientiam vitare non est opus: vt de carne idolis immolata comedere; vbi fratris respectu necessaria erat abstinentia, conscientiæ tamen libertas retinebatur; qua explicatione facta, concludit: *Videmus vt lex ista, externum opus ligans, conscientiam solutam relinquat.* Sed quæ lex ista? Sanè *de non comedendis immolatitijs*, de quo vltimò disputauit, & quæ non nisi ad vitanda scandala ab Apostolis lata erat, vt super Acta dictum est. Sed quid hæc conclusio ad leges magistratuum politicas, quibus subditos
Ibidem.

nos

nos esse Paulus iubet, *non solùm propter iram, sed & propter conscientiam?* Quid hoc *ad nodum hunc soluendum*, quem sibi ex hac Pauli sententia nexuit Caluinus? Prorsus nihil.

Vide ergo impostoris artem. Apostolicam sententiam proponit. Difficultatem contra suum paradoxum apparentem agnoscit. Politicis legibus obstringi conscientias ex hac sententia sequi profitetur. Nodi solutionem promittit. Atqui facta vocis conscientiæ explicatione, ipsáque legis distinctione, quòd alia conscientiam obstringere dicatur, alia non nisi propter offendiculum cauere iubeat; de ipsa sententia Apostolica, de difficultate tollenda, de nodo soluendo, de legibus politicis quomodo conscientiam non obstringant, nihil dicit, ne verbum quidem profert. Solemne hoc Caluino est, difficultates egregias & agnoscere & proponere audacter, longa & inani oratione lectorē detinere fraudulenter: vt soluisse videatur, quod proponere fuit ausus; & respondisse putetur, qui tam multa verba fecit. Manet ergo simplex Caluini assertio, nulla apparet difficultatis propositæ solutio. Affirmat quidem *parendum esse legibus humanis secundū externum regimen; conscientias tamen fidelium coram Deo ab omni vinculo solutas esse.* Sic apertè Apostolo contradicit, qui duplex vinculum ponit: alterum iræ seu vindictæ, quod est externū; alterū con-

Caluini impostura singulariter artificiosa.

Caluini fraus solemnis.

scientiæ, quod est coram Deo & internum. *Necessitate* (inquit) *subditi estote, non solùm propter iram*, id est, non solùm *quia vindex in iram ei est qui malum agit; sed etiam propter conscientiam*, id est, quia transgressio huiusmodi legum etiam Deum offendit: id quod ex præcedentibus etiá suis verbis Apostolus concluſit: *Omnis potestas à Deo est. Quæ autem à Deo sunt, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem Deo resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Quid clarius, quid luculentius dici potuit, quò postea concluderet Apostolus: *Itaque necessitate subditi estote: non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam?* Est enim hæc Apostoli sententia non simplex assertio, sed ex antegressis axiomatibus inuicta & necessaria conclusio. Quò impudentior & nequior Caluinus, qui cauteriata conscientia apertissimo Dei verbo frontem obuertens, & negare audet politicis legibus obstringi cõscietias fidelium, & Apostolica disputatione visa, agnita, palpata, eam in conspectum profert, eam suo dogmati aduersam agnoscit, ei tamen se subijcere & intellectũ captiuare nolens, inanibus verbis lectorem ludificare contendit. Sic isti pestilentes seductores, Scripturas, Scripturas clamitant; Scripturas, Scripturas, quando ipsis aduersantur, naso adunco suspendunt.

Cal. cauteriata cõscientia Script. depraũat.

Iam verò vt hæc Pauli sententia bilio-

sum

sum Caluini animum ab vna parte ægerrimè habuit, quia legum politicarum obligationem in conscientia luculenter docuit (vnde tota eius de Christiana libertate impia & pestilens doctrina veluti vno verbo subuertitur) sic vt ab altera parte bili suæ aliquo modo satisfaceret, Catholicos sibi in eadem sententia mordendos existimauit, ne prorsus illi impunes abirent. *Tota* (inquit) *hæc disputatio est de ciuilibus præfecturis. Itaque frustra inde sacrilegam suam tyrannidem stabilire moliuntur, qui dominatum in conscientias exercent.* Satis altè dentem infixit, qui Ecclesiasticarum legum legitimam authoritatem *sacrilegam tyrannidem* vocat; & sanctis præceptis conscientias imbuere, *dominatum in conscientias exercere* nuncupat. Sed quid? An sacrilegus tyrannus ipse Paulus erat, aut dominatũ in conscientias exercuit, quũ sic ad Hebræos suos scriberet: *Obedite Præpositis vestris, & subiacete illis*? Sic opinor Caluini iudicio. Atqui ex hoc loco fortasse Ecclesiasticarũ legũ obligatio probari non potest, vt quamuis aspere, verè tamen Caluinus eos reprehendat, qui ex hoc loco eam stabilire moliuntur. Nec hoc Caluino dabimus. S. Basilius Græcanicę Ecclesię lumẽ, eã ex hoc loco stabilire non est veritus. *Paulus* (inquit) *Apostolus in ea epistola quã ad Romanos scribit, ipsis præcipit, vt excellentioribus illi potestatibus omnibus subiecti sint: potestatibus* (inquam) *mũdi, non*

Ecclesiast. legũ obligatio.

Hebr. 13.

Constit. monast. cap. 23.

spiritualibus: quo in loco qui vel minimum potestati resistit, eum ait Deo ipsi resistere. Si igitur qui mundo huic præsunt, & ex lege humana illam imperandi potestatem habuerunt, ijs diuina lex pietatis cultores tantopere voluit esse subiectos, & quod maius est, quorum vita tota tunc erat impietas; quàm magna tandem ei à pietatis cultore præstanda obedientia est, qui à Deo constitutus Præses sit, & imperandi potestatem à Dei legibus accepit! & quomodo defendi potest, eum Dei ordinationi non resistere, qui Antisliti resistat suo? Hæc Basilius. Nõ frustra sed aptè & validè argumẽtatur, veluti à minore ad maius. Politica enim potestas, tametsi à Deo sit, mediante tamen communitate ciuili, & (vt Basilius hîc loquitur) *ex lege humana*, quæ suos sibi Principes constituit, à Deo est. Ecclesiastica potestas, nulla mediante potestate humana, sed immediatè ab ipso Deo & *à Dei legibus est*, vt Basilius notauit. Certo enim sacramẽto diuinitus instituto; & authoritate à Christo accepta, in Ecclesia Christi rebus Ecclesiasticis præsunt, quicumque præsunt. Est igitur illorum potestas non solùm à Deo, sed & per Deum. Sunt illi non *ministri Dei* tantùm, sed & *legati, pro Christo & vice Christi legatione fungẽtes*: quia, *sicut Pater misit Christum in mundum*, sic Christus Apostolos suos viua voce, & eorum successores Spiritu suo, *mittit in mundum*. Vnde de illis Paulus dixit, *Vos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei*. Mul-

2. Cor. 5.
Ioan. 17.
Act. 20.

to igit

to igitur fortiùs (vt rectè iudicauit D. Basilius, sanior Caluino interpres) Apostoli argumentum pro legũ Ecclesiasticarum quàm pro legum politicarum necessaria obedientia facit. Sed Apostolus, quod suo instituto seruiebat, id solum hoc loco dicendum putauit.

8. *Qui diligit proximum, legem impleuit. Nam*
9. *non adulterabis, &c. & si quod est aliud*
mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges
10. *proximum tuum sicut te ipsum. Dilectio proximi, malum nõ operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.*

AD huncetiam locum cauteriata conscię-tia apertæ & agnitæ veritati obluctatur Caluinus. Agnoscit *omnia legis mandata reuocari à Paulo ad dilectionem, vt tum sciamus nos rite obtemperare mandatis, quum dilectionem seruamus.* Agnoscit, *tametsi Paulus secunda tantùm legis tabulæ hic meminerit, & de illis tantùm officijs loquatur, quæ nobis erga proximum demandantur à lege; tamen verum quoque illud esse, implerī totam legem quum proximum diligimus, quoniam vera erga homines charitas non nisi ex Dei amore fluat, atque eius est testimonium sicuti effectus.* Si ergo omnia legis mandata ad vnam dilectionem reuocantur, & totam legẽ implemus quum proximum diligimus; cõcludimus nos Catholici, legem ab homine Christiano implerī posse, quia proximum diligere, & ex vera

Cal. cauteriata cõscientia Script. deprauat.

Legis impletio inuictè probatur.

charitate diligere homo Christianus potest. An huic tam apertæ veritati concedet Caluinus? Non est hoc illi in more positum. Vide tamen quomodo sibi frontem hîc perfricuit: *Nugatorium* (inquit) *est Sophistarum camillum, qui ex hac sententia elicere conantur operum iustificationem. Non enim tradit Paulus quid faciant aut non faciant homines; sed sub conditione loquitur, quam nullibi adimpletam reperias. Nos autẽ quum dicimus non iustificari homines operibus, non negamus quin legis obseruatio vera sit iustitia; sed quia nemo eam præstat, neque vnquam præstitit, dicimus omnes ab ea excludi, ac propterea vnicũ esse in Christi gratia asylum.* Vide insignem hominis audaciam cum egregia impostura coniunctam. Dicit Paulus, *Qui diligit proximum, legem impleuit.* Caluinus vafre nõ ait, Nemo vnquam diligit aut dilexit proximum; sed ait, *Nemo vnquam implet aut impleuit legem.* Sic Apostoli consequentiam, quòd lex impletur, fortiter negat. Antecedentem propositionem, quòd proximus diligitur, nec negat, nec admittit. Respondet quidem, *Paulum non tradere quid faciant vel non faciant homines, sed sub conditione loqui, quam nullibi adimpletam reperias.* Atqui quæ sit hæc conditio nullibi adimpleta, an ipsius proximi dilectio, an quæ ex ea consequitur legis adimpletio (vtrumque enim Paulus dixit) non aperit impostor. Conditio sanè videtur esse ipsa proximi dilectio. At in subsequentibus Caluinus non de

Caluini astuti & peregregia.

de proximi dilectione sed de legis obseruatione dicit, *Nemo eam præstat, neque vnquam præstitit.* Similiter & illud, *Quid faciant vel non faciãt homines*, potest ad vtrumque referri, ad proximi dilectionẽ, & ad legis adimpletionẽ. Sed ad vtram referatur, non aperit impostor. *Qui malè agit, odit lucem.* Tectè & ambiguè loquitur, cui fallendi non docendi animus est. Legis obseruantiam à nemine adimpleri, probabiliùs dici posse censuit Caluinus. Hoc enim perpetuò dicit ac docet. Dilectionẽ proximi à nemine præstari posse, à nemine vnquam præstitam fuisse, quia duriùs & absurdiùs dici aduertit, dicere apertè noluit; à suis intelligendum relinquere maluit. Nam & sic ab aduersario Catholico difficiliùs refutari se posse sperauit. Hæ eius artes sunt. Ioan. 3. Caluini artes.

Cæterùm breui & aperto sermone Caluinum constringimus. Non hîc quæritur, nec hîc agit aut disputat Apostolus, posítne lex impleri an non; sed hoc agit, hoc docet, hoc affirmat Apostolus, *eum qui proximum diligit, legem implere; eum qui proximum diligit, malum non operari; in dilectione proximi, omnia mandata instaurari*; seu, vt Caluinus vertit, *comprehendi*; Beza, *summatim comprehendi*: denique quòd *plenitudo legis est dilectio.* De hac igitur proximi dilectione respondere Caluinũ oportuit. An de hac dilectione proximi sua verba intelligi vult, *Non tradit Paulus quid*

faciant vel non faciant homines, diligántne proximos vel non diligant; *sed sub conditione loquitur, quam nullibi adimpletam reperias?* de dilectione (inquam) próximi, quæ est conditio implendæ legis, loquitur, quam dilectionem nullibi adimpletam reperias? An hic verborum Caluini sensus est? Si iste sensus non est, ad totam Apostoli disputationem seductor callidus nihil respondit. Si iste sensus est, quis hominem tam impium ferat, qui omnes pios vna voce condemnat, quòd nemo eorum proximum dilexerit, ideóque aut veluti stipites nullo affectu, aut veluti impij odio proximum semper prosequantur ac prosecuti fuerint? Caluinus igitur ipse neminem vnquam dilexit? Aut Ioannes ille dilectus discipulus Christi fefellit ac mentitus est, quum scriberet: *Quos ego diligo in veritate, & nec ego solus, sed & omnes qui cognouerunt veritatem.* An quoties Paulus dixit, *Fratres mei dilecti, Timotheo dilecto filio, Tito dilecto filio*, fefellit eos? mentitus est? non dilexit eos? An Petrus cæterique Apostoli Christum non dilexerunt? aut si Christum diligere potuerunt, sese mutuò diligere non potuerunt? An falsam & nunquam ac nusquam futuram discipulorum suorum notam Christus dedit quum diceret, *In hoc cognoscent omnes quòd discipuli mei estis, si dilectionem ad inuicem habueritis?* Ad quam tandem impietatem, barbariem, & portentosam feritatem totus

Dilectio proximi de facto impleta. 1. Epist. 2.

1. Cor. 15. 58. 1. Tim. 1. 2. Tit. 1. 4.

Ioan. 13. 35.

tòtum Christianismum sceleratismus Calvinus reducet, qui à nemine piorum proximum diligi affirmat? *Non tradit* (inquit) *Paulus quid faciant vel non faciant hòmines*, diligántne vel non diligant proximum; *sed sub conditione* dilectionis proximi *loquitur, quam nullibi adimpletam reperias.* Vide quantus iste Timon, qualis μισανθρωπος, imò Timone centuplo odiosior. Timon neminem ipse dilexit; at alios sese mutuò diligere & vidit & doluit. Noster Timon nec ipse vnquam quenquam dilexit (quod enim nemo vnquam præstitit, hoc neque ipse præstare potuit) nec à quoquam quẽquam diligi admittit. Caluinus alter. Timon.

Iam si hæc tam absurda & impia sunt, vt nemo post Caluinũ Caluinista ea (opinor) amplius affirmare velit: manet contra Caluinum & Caluinistas omnes, *non nugatorium cauillum*, sed serium, solidum, & inuictum argumentum, ex bonis operibus hominem verè iustificari. Nam si (vt Caluinus hîc agnoscit) *legis obseruatio est vera iustitia*; qui autem diligit proximũ, legẽ obseruat, adeoque implet; & dilectio proximi in omnibus pijs negari nõ potest; inuictè sequitur, pios omnes tum legẽ implere, tum ex legis obseruatione veram iustitiam assequi. Atque hæc quidem contra fœdam Caluini corruptelã hactenus. Operum iustitia inuictè concluditur.

Beza hoc loco vno se verbo suauiter expedire posse sperauit. *Legem* (inquit) *impleuit,*

id est, non vnicum aliquod præceptum obijt, sed in genere præstitit quod lex iubet. Itaque non agit hoc loco Apostolus de perfecta vel imperfecta obseruatione legis, vt nugantur Sophistæ, sed charitatem vt legis summam commendat. Respondeo, hoc Catholicæ doctrinæ sufficere. Totam legem in genere & omnia mandata per dilectionẽ proximi impleri, ex Apostolo dicimus: seu perfectè seu imperfectè, quoad modum agẽdi, alia quæstio est. Sufficit totam legem impleri. Ita nouella hæresis (legem impleri non posse) ex hoc loco iugulatur.

Hæreua-Ioobstruitur.

Nunc, vt Apostoli doctrina magis intelligatur, breuiter monebo quomodo & in quo sensu vna dilectio totam legem implet. Facit hoc sanè tribus modis. Primùm, vt sic loquar, reductiuè, quia ad vnum dilectionis mandatum omnia alia mandata reducuntur, vt illo adimpleto, omnia seruentur, non solùm secundæ tabulæ, quæ hîc sola Apostolus enumerat, quia qui proximum diligit, nulli iniuriam facit, quo tota secunda tabula consistit; sed etiam primæ tabulæ mandata, siue totus veri Dei cultus: idque hanc ob causam, quia *vera proximi charitas nõ nisi ex amore Dei fluit* (vt ipse agnouit Caluinus) quãdo qui proximum verè diligit, propter Deum & in Deo eum diligere debet: quo vno vera Christianorum dilectio ab humana distinguitur amicitia. *Qui proximum diligit* (ait Augustinus) *consequens est vt Deum quoque*

Dilectio triplici sẽsu legem implet. 3.

De Trinit lib. 2 c. 7.

quoque diligat. Ex vna quippe eadem̃, charitate Deum & proximum diligimus. Hunc sensum hoc in loco maximè respexit Apostolus. Hoc etiam sensu Christus in Euangelio dixit: *In his duobus dilectionis præceptis tota lex pendet & Prophetæ.* 2. Alio modo dilectio proximi implet legem effectiuè, quia charitas Dei & proximi (quæ nisi vna & eadẽ virtus est ratione sui) donum illud Dei & gratiæ seu virtus est, cuius beneficio tota lex impletur, iuxta illud Apostoli, *Finis præcepti charitas*, videlicet quo præcepta perficiuntur, vt doctè exponit Augustinus. Hoc per multa particularia virtutum opera, quæ ex vna charitatis radice enascuntur, demonstrat Apostolus in priori ad Corinth *Charitas patiens est, benigna est*, &c. quod suo loco explicabitur. Quod & D. Gregorius, Apostolum imitatus, pulchrè & latè explicat in Moralibus in Iob. Tertio tandem modo dilectio implet legem, 3. quia *plenitudo legis* est formaliter; id est, cæterarum omnium virtutum & actionum bonarum veluti forma charitas est; quatenus nulla obedientia, nulla actio, quantumlibet ex sua substantia honesta, vera virtus, Deoque placens, sine charitate censeri potest, nisi ad charitatem veluti finẽ ac scopum actiones per se honestæ dirigantur: si alium finem ac scopum habent, seu malum seu indifferentem, veræ virtutes non erunt. In Moralibus autem rationem formæ finis habet, vt

1. Tim. 1.

Præfat. in Psal 31.

Cor. 13.

Lib. 10. c. 6. & 7.

tale

tale vnumquodque denominetur ac censeatur, qualem sibi finẽ præfixum habuit. Hinc
1.Cor.13.26. Apostolus toties monet *vt omnia ad ædificationem, omnia ad Dei gloriam fiant.* Tot ergo modis
1.Cor.10.31. *plenitudo legis est dilectio; & qui diligit proximum* (idem quippe & Deum diligit) *totam legem impleuit:* sanè quatenus eam in hac vita impleri necesse est.

CAP. XIIII.

4. *Stabit autem: Potens est enim Deus statuere illum.*

Cal. duplicis cordis & linguę. VErsipellis Caluinus paucis in hunc locum verbis duplici corde & lingua vtitur, volens & suis hæresibus consentaneum aliquid dicere, & apertam tamen ac liquidam veritatem non aspernari videri. *Quòd* (inquit) *Apostolus argumentatur à Dei potentia, non simpliciter id facit, ac si diceret posse id Deum facere si vellet, sed connectit Dei voluntatem cum potentia, more Scripturæ.* Hæc suis placitis consequenter Caluinus dixit. Quum enim certitudinem gratiæ perpetuam in omnibus semel per fidem iustificatis, & vnicam electorum fidem indelebilem ponat; perseverantiam in eisdem docere Apostolum vult, non quam Deus operari potest si velit, sed quam infallibiliter operabitur de facto; quia Dei voluntas cum sua potentia semper coniuncta est,

sta est, necaliud posse facere dicendus est, quàm quod de facto facturus sit. Ad hæc eius profana, & impia, & absurdissima dogmata aliquo modo stabilienda, hunc cõmentariũ adfert. Sed vide nunc vt in proximè subsequentibus verbis aliam cantilenam canat; quæ astruxerat, destruat; & ipsam liquidam atque apertam veritatem profiteatur. *Neque tamen* (inquit) *definit hic aliquid perpetuum, quasi necesse sit stare vsque in finem, quos semel Deus erexit; sed tantùm admonet vt bene speremus, iudiciaque nostra in hanc partem inclinent: sicut etiam alibi docet, Qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet vsque in finem.* Optimè hęc & orthodoxè dicuntur, ipsumque sententiæ Paulinæ sensum exprimunt, qui id hoc loco agit, *vt infirmos in fide suscipiamus, vt fratrem nostrum, seruũ alienum, non iudicemus*, sed Dei iudicio ac bonitati eius aut casum aut perseuerantiã relinquamus. Sed si hæc vera sunt, vt sunt verissima; cur priùs negauit Apostolum à Dei potentia simpliciter argumentari, videlicet posse facere Deum vt perseueret in fide qui iam in ea stat, si Deus velit, si Deus hac eum gratia donauerit? Cur addit *Dei voluntatem cum sua potentia Apostolum* hoc loco *connectere*, id est, docere Apostolum, Deũ nõ solùm hoc posse præstare, sed & velle? Nõ alia de causa illa falsa præmisit, quã vt suis antiquis placitis aliquid consentaneum diceret, quia *ex abundantia cordis os loquitur.* Vt autem illis falsis

Caluinus ex seipso refutatur.

falsis hæc vera subijceret, suóque ore seipsum refutaret, Dei iusto iudicio factum videtur, qui *comprehendit sapientes in sua sapientia*, & falsos Prophetas vertigine percutit, vt videntes non videant, *non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.*

17. *Non est regnum Dei esca & potus.*

CAluinus quidem & Beza, aliorum (vt videtur) reprehensionibus prudẽtiores facti, contra delectum ciborum in Ecclesia Catholica vsitatum ex his verbis nihil disputant. Temperare sibi tamen Augustinus Marloratus non potuit, quin ex alijs vetustioribus Protestantibus, Bullingero, Melanchthone, Hyperio, antiquam & solemnem sectariorum ex hoc loco cauillationem suæ expositioni ex multis consarcinatæ insereret. Quare ex Bullingero hæc verba profert: *Ex hoc loco cernere licet, quanta iniquitate & tyrannide regnent hodie, qui miseram plebem propter ciborum delectum, & carnem pecuinam interdictis ab homine diebus comestam, nullis non tormentis ac mulctis excarnificant atque exugunt.* Ex Hyperio hanc annotationem ad hæc verba adfert: *Vt hæc ratio dicta sit potißimùm ad firmiores, qui Euangelicam suam libertatem Christi virtute partam videbantur ostentare in vsu ciborum & similibus; tamen peræquè referri potest ad infirmiores, qui in hoc grauiter errabant, quòd ad leuicula essent nimium oculati, alios propter cibum & potum*

tum (quasi in his carnalibus rebus situm esset Euangelium) condemnantes, ad excellentiora autem bona animum minùs intenderent. Tandem ex Melanchthone adfert: *Hæc doctrina magnopere necessaria est in Ecclesijs, vt sciamus opera sine mandato Dei excogitata non esse cultus Dei, sed reuocentur animi ad opera diuinitus mandata.* Hi igitur omnes nobiles Protestantes his Apostoli verbis abuti voluerũt ad doctrinam Catholicam sugillandã circa discrimina ciborum in ieiunijs Catholicis obseruari solita, quasi Paulus docuisset huiusmodi obseruationem ad Dei cultum aut religionis vsum nihil facere, sed omnem ciborum vsum rem esse indifferentẽ & in mera Christianorum libertate positam; nec *regnum Dei*, id est, causam salutis nostræ, ex aliqua ciborum vel abstinentia promoueri, vel sumptione impediri; sed solam internam à Deo iustitiam requiri. Sic & vniuersam huius capitis disputationem ad ieiuniorum Ecclesiasticorum ritus subsannandos detorquent. Cæterùm Apostolum non de ieiunijs Christianorum, sed de cibis vetitis Iudæorum in toto hoc capite disputare, per se clarum est. Ex illa autem disputatione simile de ieiunijs Christianorum inferre absurdissimum est: Primùm, quia Christi Euangelio promulgato, illa Iudæorum obseruantia nõ erat amplius sub præcepto: nostra ieiunia ab Ecclesia iusta authoritate præcipiuntur. Secundò: illa Iudaica

Delectus ciborũ in ieiunijs Ecclesiast. defenditur

1.

2.

Iudaica quorundã ciborũ abstinẽtia ceremõnialis tãtùm erat, & ad significationẽ tantùm instituta, quæ Iudæos obligabat tãquã ceremonia, non tanquã castigationis corporalis mediũ. Nam (verbi gratia) bouina caro illis permissa, æquè bene corpus impinguabat quàm caro porcina illis vetita: nostra ieiunia ad castigationẽ & macerationẽ corporis ex
3. professo instituũtur. Tertiò: Iudaica illa abstinentia perpetua fuit tanquã à cibis immũdis, nõ ex natura ciborũ, vt Manichæi delirabãt, sed ex ratione prohibẽtis Dei: ieiunia Christianorũ à nullis cibis perpetuò abstinent, sed
4. certis tantùm diebus. Deniq; Iudaica obseruatio nullam patiebatur dispensationem, sed irrefragabiliter obligabat: in ieiunijs Ecclesiasticis, sanitatis vel alicuius necessitatis causa, facilè dispensatur. Tam varium est inter vtramque obseruationem discrimen.
Cap 33. Lege Augustinum de moribus Ecclesiæ. Ad verba Pauli quod attinet, *Esca & potus*, id est, libertas illa firmorum Christianorum, qua vetitos à lege cibos comedebant, non sic ad regnum Dei pertinebat, id est, non erat res ita salutaris & Christiano homini necessaria, vt propter illam libertatem obseruandam scandalum præbere deberent infirmo adhuc Iudæo conuerso, qui necdum tam citò legales obseruationes abijcere potuit. At ieiunia Christiana sic sanè ad regnum Dei pertinẽt, & ad salutem valent, vt propter hæreticos,

ea

ea violare volentes, violari à Catholicis nõ debeant. Manducantes enim hæretici, non ex libertate & firmitate Christiana, sed ex licẽtia & audacia hæretica id faciunt: & abstinentes Catholici non ex infirmitate & scrupulo Mosaicæ legis obseruandæ, sed ex pietate & studio Ecclesiasticæ legis exequẽdæ, & maximè ad corporis castigationem, Deique cultum, abstinent. Aduertere potiùs hæretici debuerunt quod Apostolus postea dicit, *Malum est homini qui per offendiculum manducat.* Quod illi faciunt, qui maximè diebus ab Ecclesia vetitis, & maximè in conspectu Catholicorum, carnes vorant. Et si enim vera esset illis libertas & facultas ita comedendi, solaque esset in Catholicis ad non comedendum infirma scrupulositas: tamen hîc ab Apostolo condẽnantur, qui sic cũ aliorum offendiculo manducant: & nihilominus huius cap. doctrinam pro sua non ieiunandi licentia valere hodie hæretici volunt. Sic illi videlicet Paulum intelligunt. Quòd si ieiunia ad Dei cultum non facerent, nec Christus 40. diebus ieiunasset, Matth. 4. nec sublato sponso à nobis ieiunandum esse Matth. 15. prædiceret, nec legitimum ieiunandi modum docuisset, nec denique Anna prophetissa Deo ieiunijs seruijsse in Euãgelio diceretur. Vide Promptuar. Cath. Domin. infra Natalem Domini, & Domin. 1. Quadragesimæ; & Antidota nostra ad loca prædicta.

Matth. 5.

Luc. 2.

CAP. XV.

5. *Deus patientiæ & solatij det vobis idipsum sapere in alterutrum secundùm Iesum Christum, vt vnanimes vno ore honorificemus Deum.*

LOcus iste & moralis est, de seruanda vnitate fidei & animorum, ad hoc vt orationes nostræ Deo gratæ sint; & ad doctrinã valet, ne cum hæreticis aut schismaticis vnquam orationes iungamus. Hanc vnitatem ipsa oratio Dominica docet, in qua dicere iubemur, *Pater noster*. Hanc Christus in Euãgelio docuit, dicens: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo.* In quæ verba Cyprianus: *Vnanimitatem priùs posuit, concordiam pacis antè præmisit, vt conueniat nobis fideliter & firmiter docuit. Quomodo autem potest ei cum aliquo conuenire, qui cum corpore ipsius Ecclesiæ & cum vniuersa fraternitate non conuenit?* Hæc ille in libro de vnitate Ecclesiæ. Sic & S. Augustinus: *Ille in templo Dei orat, qui orat in pace Ecclesiæ, in vnitate corporis Christi, quod constat ex multis credentibus in toto orbe terrarum.* Hæc ille. Orationem verò omnem quę extra vnitatem & charitatẽ fit, sacrilegam esse, non fructuosam, Propheta docet, dicens de malignante: *Fiat oratio eius in peccatum.* Denique hanc doctrinam annotauit ad hunc locum Caluinus,

Hæreticorũ in oratione societas fugienda.

Matth. 18.

In lib. de vnit. Eccl.

Præfat. enarr. in Psal. 130.

Psal. 108.

nus, rectissimè quidem, sed in caput suum, vt ferè redundant omnia quæ rectè & orthodoxè scribit. *Quò magis* (inquit) *commendabilem reddat Apostolus consensionem in Christo, docet quantopere illa sit necessaria : quando non verè à nobis glorificatur Deus, nisi in ipsius laudem corda omnium consentiant, & lingua etiam concinant. Non est ergo quòd iactet quispiam se Deo gloriam daturum suo more. Tanti enim Deo est seruorum suorum vnitas, vt inter dissidia & contentiones gloriam suam personare nolit. Hæc vna cogitatio satis cohibere debebat insaniam contendendi, rixandique lasciuiam, quæ multorum animos hodie nimium occupat.* Hæc ille, suas nobis maximè turpitudines & sordes decantans. Dissidia & contentiones in Ecclesia Dei nemo magis excitauit quàm Caluinus, qui Lutheranorum & Cinglianorum prętensa reformatione, sed profanis nouitatibus non contentus, sua noua placita permulta in orbem induxit, nouamque Caluinistarum sectam, cæteris nunc potentiorem, sua contendendi & rixandi lasciuia erexit : qui sua Consistoria (nouum ac singulare ipsius commentum) non Genevensibus tantùm maxima contentione obtrusit, sed & in totam Galliam, Angliam, Scotiam, ac Poloniam inferre totis viribus conatus est : qui denique precandi formulas toto genere à reliquis Protestantum conuenticulis diuersas præscripsit : qui postremò pauciss ima cum alijs cõmunia habere, sed in

Sordes suas Calu. deprædicat.

omnibus, quibus potuit, singulariter sapere voluit.

15. *Audaciùs scripsi vobis, fratres, ex parte; tãquam in memoriam reducens vos.*

Scripturæ omnẽ doctrinã non complectuntur.

HAereticorũ hodie temeraria sententia, qua omnem fidei doctrinam in Scripturis contineri asserunt, vel ex hoc loco refutari potest. Hæc enim verba docent, Paulum Apostolum in hac epistola, tametsi maximè dogmatica & valde morali, non tamen ita scripsisse, vt eorum quæ tractat vel dogmatum, vel ad mores, omnem necessariam doctrinam tradere & complecti voluerit, sed tantùm vt de huiusmodi Romanos iam credentes, &, vt ipse dicit, *omni scientia repletos*, commonefaceret de ijs quæ iam crediderant; & *scribens ex parte*, vt dicit, quasique compendio; quia verbum sapienti sat est. Sic D. *Matthæus à Iudæis recedens, scripsit illis suum Euãgelium, quasi aliquod memoriale doctrinæ & prædicationis suæ illis relinquere volens*, vt scribit Eusebius in Histor. Ecclesiast. Sic Marci Euangelium *monumentum erat prædicationis à Petro apud Romanos factæ, & illis relictum*, vt idem scribit Eusebius eodẽ in opere; & D. Chrysost. in Matth. vbi de omnibus Euãgelijs dicit, *admonitionis causa* illa scripta fuisse. Nẽpe tota fidei & morum doctrina per prædicationem tradita & explicata fuit; eius aliquæ partes, & quidem per compendium, ab Apostolis

Lib. 3. cap. 24.

Lib. 2. cap. 14.

Homil. 1.

Apostolis per occasionem scriptæ fuerunt, vt omnium epistolarum Apostolicarum argumenta declarant.

CAP. XVI.

11. *Salutate eos qui sunt ex Narcissi domo, qui sunt in Domino.*

ALiquid hîc fermenti admiscere Caluinus voluit, quò & hanc quoque massæ Apostolicæ partem inficeret. Quia hic Narcissus Neronis libertus fuisse videtur Romæ agens, ansam ex eo cauillãdi arripit. *Nimis indignum* (inquit) *esset, in tã longo catalogo Petrum præteriri, si tũc Romæ fuisset. Atqui fuisse oportet, si Romanẽsibus creditur. Porrò si in rebus dubijs nihil melius est quàm probabilem coniecturã sequi; nemo, qui mediocriter iudicabit, persuadebitur verũ fuisse quod affirmant. Nunquã enim à Paulo fuisset omissus.* Inepta & putida cauillatio est. Tametsi Petrum Romæ 25. annis cathedram tenuisse scribat D. Hieron., totaque Antiquitas Petrum Romæ & prædicasse & martyrium obijsse vnanimi cõsensu atteſtetur (ipsa testimonia alibi protulimus) non sequitur tamẽ (vt ineptè nugatur Caluinus) oportere eum Romæ tunc fuisse quum hæc Paulus scriberet; quando nemini dubium esse potest, sic Petrum aliosque Apostolos certis in locis sedes suas posuisse, vt non tamẽ in illis perpetuò residerent; verùm pro Apostolatus

Petrũ Romę sedisse

In 1. Petr. 5.

sui munere sæpe atque identidem alia terrarum loca peragrarent. Porrò quòd ait *in dubijs rebus nihil melius esse quàm probabilem coniecturam sequi*, verum sanè illud est. Sed nec hîc de re dubia agitur, quum soli horum temporum hæretici hac de re dubitare voluerint, remque omnium temporum consensu firmatam in dubium reuocauerint; nec coniectura, quam affert, vllam penitus probabilitatem habet, putida & insulsa collectio est. Tandem ad illa paulò
Vers. 17. pòst Apostoli verba, *Præter doctrinam quam vos didicistis*, scribit Theodoretus, author Caluino fide dignior: *Laudat Principis Apostolorum prædicationem*. Nempe quia ad Euangelicam prædicationem à Petro acceptam in illis verbis Romanos Paulus refert, eiq; firmiter & constanter inhærere pluribus verbis monet.

17. *Rogo vos, fratres, vt obseruetis eos qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam*
18. *quam vos didicistis, faciunt. Huiuscemodi enim Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo ventri, & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.*

ADhortatione tanto Apostolo, tamque illustri ac longa disputatione digna, omnibus etiam temporibus necessaria, epistolam hanc concludit Paulus. Caluinum hîc audire operæprecium est; primùm, vt

Apostoli

Apostoli sententiam deducit; mox, vt homo impius, sui sibi sceleris conscius, semetipsum ac suos excusat. *Adhortationem* (inquit) *ponit, qua necesse habent subinde vellicari Ecclesiæ omnes: quia occasionibus perpetuò imminẽt ministri Satanæ, ad turbandum Christi regnum. Duobus autem modis turbationem hanc moliuntur. Nam aut dissidia somniant, quibus distrahantur animi ab vnitate veritatis; aut offensiones suscitãt, quibus ab amore Euangelij alienentur. Illud fit, dum nouis & humanitus excogitatis dogmatibus dissipatur Dei veritas; hoc, dum varijs artibus odiosa vel contemptibilis redditur. Quicumque ergo alterutrũ faciunt, eos iubet obseruari, ne decipiant, ac incautos deprehẽdãt; deinde vitari, quia noxij sunt. Nec abs re attentionem hic à fidelibus requirit; quia sæpe fit nostra socordia vel incuria, vt multum damni Ecclesiæ inferant praui nebulones, antequam illis obuiam eatur: deinde mira sæpe vafricie ad nocendum obrepunt, nisi prudenter considerentur.* Hæc hactenus Caluinus, vt veram Apostoli sententiã & adhortationẽ explicatiùs aperiat. Quæ omnia in ipsum maximè Caluinum aliosque hodie Nouatores quadrare facilè ad oculum Lector cernet, si pro Euangelio (quod inaniter prætexunt Euangelicæ doctrinæ fœdissimi corruptores) Ecclesiæ Catholicæ vocem posuisset. Dissidia quippe seminarũt, quibus distrahantur animi ab vnitate Ecclesiasticæ doctrinæ: & offensiones suscitarunt, quibus ab amore Ecclesiæ

Hæretici & schismatici Ecclesiã turbantes.

Catholicæ fideles alienentur. Quod vnum Caluinum in his ſuis commentarijs odioſiſsimè ſategiſſe ; dum modò Catholicam doctrinam venenatè corrumpit , ſuaque impia placita obtrudit , modò Eccleſiam Catholicam & ordines in ea omnes ſceleratè traducit; hæc noſtra hactenus Antidota liquidũ & perſpicuũ fecerunt. Certiùs adhuc & euidentiùs in Caluinum cæteroſque Nouatores hanc Caluini explicationem quadrare lector aduertiſſet, ſi illud Apoſtoli verbũ, *Præter doctrinã quã vos didiciſtis*, in hac ſua explicatione ſimiliter illuſtraſſet.

Eccleſiaſticæ traditionis deſertio, hæreticæ doctrinæ nota.

Hoc quippe vnũ verbũ docet, hæreticos & Nouatores hîc deſignari , qui à recepta, antiqua, generali, & Catholica doctrina fideles abducunt , & à traditione Eccleſiaſtica pios auellunt. Non enim dicit diſſenſiones iſtas & offendicula fieri præter Scripturas, aut præter ea quæ in Scripturis legerant, ſed *præter doctrinã* (inquit) *quã didiciſtis*, ex Apoſtolica ſcilicet prædicatione & traditione: quæ & ipſam quoque Scripturã docet. Hæc eſt autẽ perpetua Pauli doctrina , perpetuus adhortãdi modus: *Si quis euãgelizauerit vobis præterquam quod accepiſtis, anathema ſit.* Rurſum: *Quæ didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me, hæc agite.* Adhuc iterum : *Sicut accepiſtis Ieſum Chriſtum, in eo ambulate, confirmati in fide, ſicut didiciſtis.* Adhuc ſemel : *Tenete traditiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam.* Denique

Gal. 1.
Philip. 4.
Coloſſ. 2.
2. Theſſ. 2

nique ad Timotheum: *Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Hæc est doctrina Euãgelica de manu in manum per Ecclesiæ Pastores tradita, à qua recedendum non est. 2. Tim. 2.

Sic & D. Ioannes: *Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat.* Vide Irenæum libro 3. c. 4. Orig. in procemio librorum de principijs, & multa alia Patrum loca in opere nostro de Princip. fidei, lib. 7. c 3. Hac igitur relictæ, reiectæ, atque despectæ Ecclesiasticæ traditionis nota, cognoscendi illi sunt, de quibus hîc Apostolus loquitur, *qui dissensiones & offendicula facientes, cauendi ac fugiendi sunt.* 1. Ioan. 2.

Caluini euasio, ne hæreticus videatur ab Apostolo notatus.

Sed nunc vt Caluinus hanc à se & suis suspicionem amoliatur (sibi quippe conscius, de se suiq; similibus ista dici facilè intelligebat) attendamus. *Obserua* (inquit) *sermonem ad eos haberi, qui in pura Dei doctrina instituti erãt. Impium enim & sacrilegum diuortium est, qui in Christi veritate consentiunt, distrahere. Sed impudens calumnia est, pacis & vnitatis prætextu conspirationem in mendacia & impias doctrinas defendere. Non est ergo cur fucum ex hoc loco faciant Papistæ ad conflandam nobis inuidiam: quia non Euangelium Christi, sed diaboli mendacia, quibus obscuratum hactenus fuit, impugnamus ac conuellimus.* Respondeo: Facile quidem Caluino, & cuiuis alij hæretico, seu nostri seu cuiuscunque temporis, his verborum phaleris suam impietatem palliare. Atqui nullum hîc fu-

cum fieri, sed Apostoli verba in te, Caluine, cæterósque horum temporum hæreticos aptissimè quadrare, periphrasis illa Paulina, *Præter doctrinam quam vos didicistis*, luculenter demonstrat. Vos quippe *præter doctrinam quam nos didicimus*, quam maiores nostri his quindicim seculis didicerunt, quam ex maiorum nostrorum Ecclesiæ Christianæ luminum ac Pastorum monimentis haurimus, quam tota hactenus conspicua & nota Christianorum hominum Ecclesia accepit, didicit, tenuit, *dissensiones & offendicula feciſtis*. Ad hanc Apostoli periphrasin & circumscriptionem quid Caluinus respondet? Dissimulare penitus nõ potuit. Videamus ergo quid dicat, & an aliquâ elabi queat. *Imò* (inquit) *clarè demonstrat Paulus, se non quælibet dissidia sine exceptione damnare, sed quæ orthodoxæ fidei consensum dissipant. Pondus enim subest in verbo, Quam didicistis: quia antequam rite edocti essent Romani, eos à patrijs moribus ma orumque institutis discedere oportuit.* Atqui, Caluine, totum pondus quod in illo verbo subest, minimè attigisti, callidè dissimulasti. Quælibet sanè dissidia Paulus sine exceptione non damnat; & illa verè damnat, quæ orthodoxæ fidei consensum dissipant: sed hãc orthodoxam fidem (quam quilibet sibi insanus hæreticus ex Scripturis malè intellectis venditat) circumscribit Apostolus verbo traditionis, & prædicationis, & doctrinæ Ecclesiasticæ. *Quam* (inquit)

vos didicistis: vtique ab Ecclesia docente, cui dictum est, *Docete omnes gentes*. Hęc est ergo orthodoxa doctrina, cuius consensus dissipari non debet; doctrina quam ab Ecclesia didicimus. Suam enim semper seruat Ecclesiam Deus. Cum illa docente *omnibus diebus vsque ad consummationem seculi adest Christus*: *Ecclesiæ Pastores dedit ad consummationem sanctorum*, & corroborationem fidelium. Vt igitur quæ dissidia orthodoxæ doctrinæ consensum dissipāt, ideoque cauenda intelligamus, illa nobis doctrina tenenda est, quam ab Ecclesia docente didicimus; illa nobis dissidia cauenda sunt, quæ præter doctrinam ab Ecclesia traditam nouitates nescio quas auribus nostris ingerunt. Huiusmodi nouitates, præter doctrinā ab Ecclesia acceptam, quia plurimas introduxit Caluinus, ab illo cauendum & fugiendum esse, veluti à seductore pestilenti, qui *per dulces benedictiones seducit corda simplicium*; per verba mellita ac mollia, serpentina spargit venena; per dogmata carni placentia spiritum piorum extinguit; ex hoc Apostoli loco monemur. Et hoc saluberrimo documento diuinissimam hanc epistolam suā diuinus Apostolus consilio planè diuino concluſit. Mat. 28. Ibidem Ephes. 4.

Laus Deo, qui dedit velle, & dedit perficere.

TEXTVS EPISTOLAE AD ROMANOS, qui in his Antidotis contra venena hæretica explicantur & tractantur.

Cap. 1. 5. PER *quem accepimus gratiam & Apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus, &c.*

8. *Quia fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo.*

9. *Cui seruio in spiritu meo in Euangelio eius.*

11. *Vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos.*

16. *Virtus Dei est ad salutem omni credenti.*

17. *Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem.*

17. *Ex fide in fidem.*

17. *Iustus ex fide vivit.*

18. *Reuelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem & iniustitiam hominum.*

24. *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.*

Cap. 2. 2. *Scimus quoniam iudicium Dei est secundùm veritatem in eos qui talia agunt.*

4. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longa-*

longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?

6. Reddet vnicuique secundùm opera eius.

13. Non enim auditores legis iustificabuntur apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.

26. Nonne præputium illius in circuncisionem reputabitur?

29. Circuncisio cordis in Spiritu, non in litera.

Cap. 3. 20. Quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.

21. Nunc autem sine lege iustitia Dei manifesta-

22. ta est. Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt in eum.

23. Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.

24. Iustificati gratis per gratiam ipsius, &c.

27. Excluſa est gloriatio tua, non per legem factorum, sed per legem fidei.

28. Arbitramur hominem iustificari per fidem, sine operibus legis.

Cap. 4. 2. Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam apud homines, sed non apud Deum.

3. Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.

4. Ei qui operatur, merces non imputatur secun-

5. dùm gratiam, sed secundùm debitū. Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam.

5. Qui iustificat impium.

6. Sicut

6. *Sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis,*
cui Deus accepto fert iustitiam sine operi-
7. *bus. Beati quorum remissæ sunt iniquitates,*
8. *& quorum tecta sunt peccata. Beatus vir*
cui non imputauit Dominus peccatum.
9. *Dicimus quia reputata est Abrahæ fides ad*
iustitiam.
11. *Et signum accepit circuncisionis, signaculum*
iustitiæ fidei quæ est in præputio.
11. *Vt sit pater omnium credentium per præpu-*
tium, vt reputetur & illis ad iustitiam.
13. *Non per legem promissio Abrahæ aut semini*
eius vt hæres esset mundi, sed per iustitiam
fidei.
15. *Lex iram operatur: vbi enim non est lex, nec*
præuaricatio.
14. *Si enim qui ex lege hæredes sunt, exinanita est*
fides, abolita est promissio.
16. *Ideo ex fide, vt secundùm gratiam firma sit*
promissio omni semini.
25. *Traditus est propter delicta nostra, & resur-*
rexit propter iustificationem nostram.
Cap. 5. 1. *Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus apud*
Deum, per Dominum nostrum Iesum Chri-
stum.
3. *Gloriamur in tribulationibus, scientes quòd*
4. *tribulatio patientiam operatur, patientia*
autem probationem, probatio verò spem:
5. *spes autem non confundit, quia charitas Dei*
diffusa est in cordibus nostris per Spiri-
tum Sanctum, qui datus est nobis.

•31. *Igitur ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem; ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem*
19. *vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi; ita & per vnius obeditionem iuſti conſtituentur multi.*

Cap.6. 2. *Qui mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?*
3. *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in*
4. *mortem ipſius baptizati ſumus. Conſepulti igitur ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, vt quomodo Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.*
12. *Non ergo regnet peccatum in mortali corpore veſtro, vt obediatis concupiſcentijs eius.*
14. *Peccatum vobis non dominabitur: non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.*
20. *Quum ſerui eratis peccati, liberi eratis iuſtitiæ.*
19. *Exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.*
23. *Gratia autem Dei vita æterna.*

Cap.7. 4. *Vos mortificati eſtis legi per corpus Chriſti, vt ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit, vt fructificemus Deo.*
5. *Quum enim eſſemus in carne, paſſiones peccatorum, quæ per legem ſunt, operabantur in membris noſtris, vt fructificarent morti.*
6. *Nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur; ita vt ſeruiamus in nouitate*

uitate Spiritus, & non in vetustate literæ.

7. *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces.*

9. *Ego autem viuebam sine lege aliquando.*

9. *Sed cùm venisset mandatum, peccatum reuixit.*

10. *Ego autem mortuus sum, & inuentum est mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem.*

11. *Nam peccatum, occasione accepta per mandatum, seduxit me, & per illud occidit.*

13. *Peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem, vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.*

14. *Scimus enim quia lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato.*

15. *Quod enim operor, non intelligo. Non enim quod volo, hoc ago; sed quod odi, illud facio.*

16. *Si autem quod nolo, illud facio; consentio legi quoniam bona est.*

17. *Nunc autem iam non ego operor illud, sed quod*

18. *habitat in me peccatum. Scio enim quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum.*

18. *Nam velle adiacet mihi, perficere autem bo-*

19. *num non inuenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc*

20. *ago. Si autem quod nolo, illud facio; iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Inueni igitur legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet.*

22. Condelector enim legi secundùm interiorem ho-
23. minem. Video autem aliam legem in mem-
bris meis, repugnantem legi mentis meæ, &
captiuantem me in lege peccati, quæ est in-
membris meis.
25. Itaque ipse ego mente seruio legi Dei, carne au-
tem legi peccati.

Cap. 8. 1. Nihil nunc damnationis ijs qui sunt in Christo
Iesu, qui non secundùm carnem ambulant,
sed secundùm Spiritum.
2. Lex enim Spiritus vitæ in Christo Iesu libe-
rauit me à lege peccati & mortis.
3. Nam quod impossibile erat legi, in quo infir-
mabatur per carnem, Deus filium suum
mittens in similitudinem carnis peccati, &
4. de peccato damnauit peccatum in carne; vt
iustificatio legis impleretur in nobis, qui non
secundùm carnem ambulamus, sed secun-
dùm Spiritum.
9. Vos in carne non estis, sed in Spiritu: si tamen
Spiritus Dei habitat in vobis. Qui enim
Spiritũ Christi non habet, hic non est eius.
12. Si secundùm carnem vixeritis, moriemini.
13. Si Spiritu facta carnis mortificaueritis, vi-
uetis.
14. Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, hi filij
Dei sunt.
15. Non enim accepistis Spiritum seruitutis ite-
rum in timore, sed accepistis Spiritum ado-
ptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Ab-
ba Pater.

16. Ipse

16. *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quòd sumus filij Dei.*
17. *Si filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, vt & conglorificemur.*
18. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.*
24. *Spe salui facti sumus.*
38. *Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat? Quis est qui condemnet? Christus Iesus, qui mortuus est, imò & qui resurrexit, qui & est ad dexteram Dei, & interpellat pro nobis?*
38. *Certus sum quòd neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, &c. neque vlla creatura poterit nos separare à charitate Dei quæ est in Christo Iesu.*

Cap. 9. 11. *Quum nondum natiessent, nec quicquam boni aut mali egissent, (vt secundùm electionem propositum Dei maneret,) non ex operibus sed ex vocante dictum est:* 12. *Maior seruiet minori. sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.*
14. *Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud* 15. *Deum? Absit. Moysi enim dicit, Miserebor cuius misereor, & misericordiam præstabo* 16. *cuius miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Dicit enim* 17. *Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuntietur nomen meum in vniuer-*

18. ſa terra. Ergo cuius vult, miſeretur; & quem
vult, indurat.
19. Dicis itaque mihi, Quid adhuc queritur? voluntati
20. eius quis reſiſtit? O homo, tu quis es qui
reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum
21. ei qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? An non
habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa
facere aliud quidem vas in honorem, aliud
verò in contumeliam?
22. Quòd ſi Deus volens oſtendere iram, & notam
facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa
23. patientia vaſa iræ aptata in interitum; vt
oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam.
30. Quid ergo dicemus? Quòd Gentes, quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſti-
31. tiam; iuſtitiam autem quæ ex fide eſt: Iſrael
verò, ſectando legem iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non peruenit. Quare? Quia non ex fide,
32. ſed quaſi ex operibus. Offenderunt enim in
lapidem offenſionis.

Cap. 10. 3. Ignorantes iuſtitiam Dei, & ſuam quærentes
ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti.
4. Finis enim legis Chriſtus ad iuſtitiam omni
credenti.
5. Moyſes enim ſcripſit, quoniam iuſtitiam quæ ex
lege eſt, qui fecerit homo, viuet in ea. Quæ
6. autem ex fide eſt iuſtitia, ſic dicit: Ne dixeris
in corde tuo, Quis aſcendet in cælum? id eſt
Chriſtum deducere. Aut quis deſcendet in
abyſſum? hoc eſt Chriſtum à mortuis reuoca-

re. Sed

7. re. Sed quid dicit Scriptura? Propè est ver-
8. bum in ore tuo, & in corde tuo. Hoc est ver-
bum fidei quod prædicamus.
10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio
fit ad salutem.
14. Quomodo inuocabunt in quem non crediderũt?
14. Quomodo credent sine prædicante? Quomodo
15. prædicabunt, nisi mittantur?
17. Ergo fides ex auditu: auditus autem per ver-
bum Christi.
6. Tota die expandi manus meas ad populum non
credentem & contradicentem mihi.

Cap. 11. 2. Non repulit Deus plebem suam quam præ-
sciuit.
4. Reliqui mihi septem millia virorum qui non
curuauerunt genua ante Baal.
5. Reliquiæ secundum electionem gratiæ saluæ
6. factæ sunt. Si autem ex gratia, iam non ex
operibus: alioquin gratia iam non est gratia.
8. Dedit illis Deus spiritum compunctionis, ocu-
los vt non videant, & aures vt non audiãt,
vsque in hodiernum diem.
19. Dicis ergo: Fracti sunt rami vt ego inserar.
20. Bene: propter incredulitatem fracti sunt: tu
autem fide stas. Noli altum sapere, sed time.
21. Si enim Deus naturalibus ramis non peper-
cit, ne fortè nec tibi parcat.
22. Vide ergo bonitatem & seueritatẽ Dei: in eos
quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te au-
tem bonitatem Dei, si permanseris in bonì-
tate: alioquin & tu excidêris.

29. *Sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei.*

35. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?*

Cap. 12. 1. *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.*

3. *Non plus sapere quàm oportet, sed sapere ad sobrietatem, vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei.*

6. *Habentes donationes, secundùm gratiam quæ data est nobis, differentes.*

6. *Siue prophetiam secundùm rationem fidei.*

14. *Benedicite ijs qui vos persequuntur: benedicite, & noli e maledicere.*

Cap. 13. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi à Deo.*

2. *Qui autem potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Ideoq; necessitate subditi estote: non solùm propter iræ, sed etiã propter conscientiã.*

8. *Qui diligit proximum, legem impleuit. Nam*

9. *non adulterabis, &c. & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Dilectio*

10. *proximi, malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.*

Cap. 14. 4. *Stabit autem: potens est enim Deus statuere illum.*

17. *Non est regnum Dei esca & potus.*

Cap. 15. 5. *Deus patientiæ & solatij det vobis idipsum sapere in alterutrum secundùm Iesum Christum,*

ſtum, vt vnanimes vno ore honorificemus Deum.

15. *Audaciùs ſcripſi vobis, fratres, ex parte; tanquam in memoriam reducens vos.*

Cap. 16. 11. *Salutate eos qui ſunt ex Narciſſi domo, qui ſunt in Domino.*

17. *Rogo vos, fratres, vt obſeruetis eos qui diſſenſiones & offendicula, præter doctrinam quam vos didiciſtis, faciunt.*

18. *Huiuſcemodi enim Chriſto Domino noſtro non ſeruiunt, ſed ſuo ventri; & per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium.*

FINIS.

INDEX MATERIARVMQVÆ IN ANTIDOTIS *Epistolæ ad Romanos tractantur.*

A.

ABraham habuit gloriã apud Deum. 154.

Abraham ex legis obedientia hæres factus. 146.

Abraham cur circunciſionem accepit tanquam ſignaculum iuſtitiæ. 226.

Abrahæ fides cur laudata, non opera. 150.

Abrahæ fides non erat ſpecialis de remiſsione peccatorum. 151.

Abrahæ fides laudata quale obiectũ habuit. 159.

Abrahæ exemplo iuſtitia imputatiua non ſtatuitur, ſed euertitur. 238.

Abrahami opera erant ex fide. 146.

Abrenunciatio Satanæ in baptiſmo. 315.

Accuſare non eſt condemnare. 499.

Adoptionis Abrahæ teſtimonium non ſecus opera quàm fides. 164.

Adoptionis noſtræ in filios conditio apponitur. 486.

Adoptionis teſtimonium mandatorum obſeruatio. 485.

Adoptio-

Adoptionis testimoniũ non est de fide certum. 483.
Adoptionis testimonium non est à solo Spiritu. 482.
Ambulare secundùm Spiritum, est peccatum vincere. 445.
Anima tota nec regeneratur, nec seruatur, iuxta Caluinum. 419.
Antithesis Apostolica magis explicatur. 291.
Antithesis vera inter Christum & Adam. 296.
Apostoli argumentum lacerat Caluinus. 153.
Apostoli disputatio & argumentatio explicantur. 180.
Apostoli doctrina de iustificatione coram Deo. 71.
Apostoli doctrina de operum iustificatione magis explicatur. 75.
Apostoli clausula incredibiliter à Caluino detorta. 446.
Apostoli intentum Beza peruertit. 48.
Apostolica disputatio explicatur. 288.
Apostolicæ doctrinę corruptio. 50. 72. 611.
Apostolicæ disputationis series. 281.
Apostolicæ disputationis corruptio Bezana. 287.
Apostolicę disputationis sensus latè explicatur. 333.
Apostolicę Scripturę per Bezã corruptela. 308.
Apostolicæ Scripturæ deprauatæ conuincitur Caluinus. 337.
Apostolici sensus manifesta corruptio. 502.

Apostolici tetu s corruptela varia.375.
Apostolicas antitheses corrigit Caluinus.447.
Apostolum de lege mandatorum loqui probatur.352.
Apprehensio per fidem res imaginaria.220.
Argumenta Caluini & Bezæ confutantur.279.
Augustini doctrina defenditur.54.
Augustini doctrina ad quē Beza appellat.299.
Augustini expositio de doctrina legis, non operibus, contra Caluinum defenditur.112.
Augustini explicatio contra Caluinum & Bezam.276.
Augustini explicatio luculenta.412.
Augustini expositio accommodatissima.329.

B.

BEza à seipso refutatur.319.
Beza Apostoli intentum peruertit.48. Eiusdem verba corrumpit.49.
Beza Caluino contrarius.317.
Beza Caluinum corrigit.343.345.449.
Beza Caluini hypocrisin propalauit.453.
Beza duo argumenta contra seipsum proponit, & neutri respondet.100.
Beza ex Caluino refutatur.32.
Beza fingit Paulum intendere quod nusquam in Paulo apparet.82.
Beza in ratione culpæ priores partes tribuit Deo.56.
Beza omnium suorum peccata iustificat.322.
Beza Pauli verba corrumpit.287.

Beza Paulinæ disput. ordinem inuertit. 80.
Beza pugnantibus assertionibus lectores ludificat. 455.
Beza Scripturæ literam commodè exponi non patitur. 59.
Bezana de Sacramentorũ effectu sententia. 222
Bezana flagitia. 50.
Bezanæ fidei absurditas. 29.
Bezæ arrogantia stulta. 98.
Bezæ argumentum alterum refutatur. 281.
Bezæ cauillum impudentissimum. 66.
Bezæ corruptelæ examinantur. 453.
Bezæ corruptela. 78.
Bezæ corruptela refutatur. 309.
Bezæ commentarius textum Pauli penitus immutat. 64.
Bezæ egregia impostura. 87. 293.
Bezæ explicatio Caluino contraria. 230.
Bezæ excusatio refellitur. 51. 56.
Bezę glossa Apostoli verbis contradictoria. 319.
Bezæ impostura. 14.
Bezæ impudentia. 147. 542.
Bezæ lux noua. 223.
Bezæ manifesta impietas. 127.
Bezæ nefandissima corruptela. 272. 318.
Bezę subterfugia occluduntur. 55.
Bezæ triumphus præproperus. 19.
Bezæ varia glossemata refutantur. 303.
Bonorum operum necessitas ex Beza concluditur. 32.
Bonũ quod renatus vult & nõ facit, quid sit. 388.

Bonum

Bonum quod iustus non vult facere, est concupiscere.392.
Bonum quod iustus vult & non perficit, quid & quale.401.

C.

CAluini aperta impietas de libertate carnis. 337.
Caluini artes.423.481.
Caluini artes ad deprauandas Scripturas.35.37.
Caluini argumentatio insulsa.113.
Caluini axiomata refutantur.117.
Caluini conscientia cauteriata.451.
Caluini conciones de victoria peccati.169.
Caluini conclusio mendax & impia.109.
Caluini cornutus paralogismus.474.
Caluini corruptela ex ipso probatur Caluino. 473.
Caluini corruptela efficaciter refellitur.399.
Caluini deprauatio singularis.152.
Caluini deprauatio à Beza reijcitur.328.
Caluini doctrina execrabilis.197.
Caluini doctrina omnem virtutis actionē negat, peccati operationem ponit.410.
Caluini disputatio cōtra Augustini sensum refellitur.331.
Caluini & Bezæ non ferenda arrogantia.498.
Caluini explicatio ipsum refutat.216.
Caluini exceptio friuola.262.
Caluini expositio propria absurdissima.264.
Caluini expositio Paulo contradictoria.265.
Caluini hypocrisis & impostura.214.

Caluini

Caluini impudentia in deprauandis Scripturis. 155.
Caluini impudentia pronecta. 69. 444.
Caluini ignorantia. 160.
Caluini impostura duplex. 433.
Caluini impostura. 70. 166. 188. 433. 596.
Caluini impostura aperitur. 263.
Caluini impia sententia refutatur. 367. 407.
Caluini impia doctrina de perpetua filiorũ Dei impietate. 120.
Caluini inuictum argumentum in fumos euanescit. 206.
Caluini in Paulum maledicentia. 424.
Caluini mendacium audax. 503.
Caluini lucta contra Paulum. 262.
Caluini ludus. 174. 500.
Caluini & Bezæ ludus. 437.
Caluini processus ridiculus ostenditur. 167.
Caluini propria hoc loco corruptela. 249.
Caluini proprium commentum refellitur. 282.
Caluini puerilis argumentatio. 459.
Caluini putidum mendacium. 482.
Caluini resolutio Pauli verbis prorsus contraria. 435.
Caluini ratio contra ipsum militat. 107.
Caluini ratiuncula, propter quam se Augustino opponit, refellitur. 363.
Caluini ratiuncula dupliciter stolida. 240.
Caluini sensus impius. 388.
Caluini sycophantia. 325.
Caluini techna vsitata. 410.

Caluini

Caluini technæ euoluuntur.405.
Caluini tergiuersatio ex ipsomet refellitur.359.
Caluini tonitrua putida ac ridicula.460.
Caluini velata versutia expanditur.390.
Caluinus Apostoli verbum extrudit, vt suum supponat.109.115.283.
Caluinus ariolo comparatus.269.
Caluinus assumit, non probat.262.
Caluinus Augustini sentẽtiam agnoscit & contemnit.111.
Caluinus bona opera facessere iubet.254.
Caluinus cauteriata conscientia Apostolum deprauat.468.
Caluinus diabolum iustificat.502.
Caluinus & Beza suam impietatẽ profiteri non audent.58.
Caluinus & Beza perfidi Scripturarum versores.509.
Caluinus & Beza seipsos refutant.247.
Caluinus conclusionem Apostolo contrariam infert.403.
Caluinus ex suis verbis refutatur.409.452.
Caluinus lectores ludificat.290.380.489.
Caluinus lucem verbi Dei extinguit.418.
Caluinus nihil probat, sed ponit probanda.163
Caluin. pro operib. carnis carnẽ substituit.470
Caluinus suis traditionibus Dei verbum cõtaminat.158.
Caluinus sibi ex diametro contrarius.262.
Caluinus seipsum refutat.317.
Caluinus serpenti diabolo simillimus.471.

Caluinus

Caluinus textum sibi aduersantem dissimulat. 333.373.
Caluinus textus sibi aduersantes dissimulat. 404.408.
Caluiniana corruptio Apostolum mendacij arguit.73.
Caluiniana distinctio ad obtegendam impietatem.390.
Caluiniana impietas epicurea.199.
Caluiniana iustitia.391.
Caluiniana notitia & persuasio refellitur.284.
Caluiniana techna.405.463.470.
Caluinianæ corruptelæ causa notanda.370.
Caluinianæ corruptelæ duplex refutatio.374.
Caluinianę doctrinę cõtradictio manifesta.102
Caluinianæ doctrinæ absurda.421.
Caluinianæ impostura causa.448.
Caluiniani cerebri commenta propria.173.
Caluiniani sensus absurditas. 353.
Caluinistarum de Sacramentorum effectu doctrina à Lutheranis damnata.224.
Caluinistarum hodie suauis pugna contra peccatum.320.
Caluinistæ in medijs sceleribus filij Dei.398.
Captiuatio seu mentis seu carnis non impedit veram iustitiam.417.
Caro concupiscens quid significat.394.
Carnis facta mortificandi facultas.473.
Carnis nomine quid August. intelligat.399.
Carnis opera mortificandi facultatis datę radix & ratio.476.

Carnis ſedes iuxta Caluinum in mente renati. 396.
Certitudo fiduciæ ab Apoſtolo nõ docetur. 478.
Certitudo gratiæ euertitur. 475.
Certitudo gratiæ à Paulo non docetur. 506.
Certitudinis gratiæ fundamentum. 503.
Charitas actiua nobis inhærens, eſt lex ſcripta in cordibus. 278.
Charitas diffuſa in cordibus noſtris, eſt illa quæ diligimus Deum. 276.
Charitas fiduciæ cordis fundamentum. 282.
Charitatis neceſſaria adiũctio ſpecialem fidem ſubuertit. 31.
Chemnitij collectio. 481.
Chriſti & Adami vera ſimilitudo. 303.
Chriſti mors mortificationis gratiã acquiſiuit. 263.
Chriſti mors à rigida legis exactione in ſenſu Caluini non liberat. 348.
Chriſti obedientia non eſt materia iuſtificationis noſtræ. 304.
Chriſti officium legalia non complectitur, ſed ſuperexcellit. 237.
Chriſto viro quomodo deſpondemur. 348.
Chriſtus & Adam ſunt cauſæ originales, nõ formales. 302.
Chriſtus omnes in peccato inuenit, ſed non relinquit. 52.
Circunciſio cur & quomodo ſignaculum iuſtitiæ fidei in Abraham. 224.
Circunciſio cur vocatur ſignaculum. 228.

Commu-

Communicatio peccati & iustitiæ fictitia.301.
Cõclusio Caluiniana ex falsis medijs nulla.451
Conclusiones Caluini impudentissimæ.474.
Cõcupiscentia in decalogo prohibita quæ.360.
Concupiscentia in renatis verum peccatũ non est.382.
Concupiscentiæ primi motus in non renatis quomodo peccata.362.
Concupiscentiæ primi motus quomodo prohibentur.363.
Concupiscentiæ subiectum caro.394.
Concupiscentiã iustus nõ probat, sed odit.387.
Conditionem Caluinus agnoscit.487.
Conditionem Caluinus elidere conatur.488.
Condigni & congrui distinctio.494.
Conscientiarum propugnaculũ à Caluino confictum.430.
Conscientiæ carnificinam perpetuò docet Caluinus.121.
Conscientiæ hæreticorum.253.
Conscientię puritas causa est amoris diuini.175.
Corruptela Caluiniana iustitiæ operum impossibilis fundamentum.
Corruptelarum Caluinianarum scopus.409.

D.

DEi mandata & possibilia & necessaria agnoscit Caluinus.324.
Deus non est author peccati.53.
Diabolus Dei carnifex est in ratione pœnæ, non culpæ.56.

E.

ECclesiasticæ prædicationi obediendum. 5.
Electi non peccant apud Caluinistas. 321.
Electio in Dei solius arcano iudicio manet. 504.
Euangelicæ prædicationis virtus. 8.
Euangelium arguit peccata. 44.
Externa pietatis opera. 6.

F.

FIdei & Euangelij mutua relatio. 39.
Fidei necessitatem in perfectionem transformant hodie hæretici. 83.
Fidei iustificantis iuxta Bezam refutatio. 26.
Fidei specialis Spiritus Sanctus author nō est. 30.
Fidem cur Paulus vrget, non alia. 144.
Fides ad iustitiam perpetuò necessaria. 35.
Fides Caluiniana à Lutherana diuersa. 27.
Fides Dæmonum. 25.
Fides implicita defenditur. 21.
Fides hîc apud Paulum non significat fiduciam. 249.
Fides in nihilū redigitur, nisi operibus fulciatur. 255.
Fides iustificans quid apud Apostolum significet. 18.
Fides iustificans apud Paulum quid. 24.
Fides iustificans iuxta Bezam. 25.
Fides iustificans cum charitate necessariò coniuncta. 32.
Fides iustificans Caluiniana nouella. 92.
Fides iustificans vitæ nouitatem respicit. 324.

Fides non est sola causa operum nostrorum. 207
Fides non propter vnum obiectum iustificat, sed propter multa. 118.
Fides quomodo imputatur ad iustitiam. 183.
Fides Romanorum. 6.
Fides sola non iustificat. 56.
Fides sola instrumentum iustitiæ consequendæ non est. 49.
Fides sola non sufficit. 77.
Fides sola à Caluino stabilita euertitur. 123.

G

GEneuensium arrogantia retunditur. 99.
Gloriatio & fiducia fidelium bonis operibus nititur. 274.
Gratia bonorum operum mater, donũ Christi contra Adami delictum. 292.
Gratia Christi præstat quod lex præstare non potest. 442.
Gratia per iustitiã regnãs est operatrix iustitiæ.
Gratia quomodo regnat per iustitiam. 297.
Gratiæ abundantia per Christum. 292.
Gratiæ Christi effectus ab aduersarijs agnitus. 312.
Græci Patres à Beza iniuriã reprehensi. 180.

H.

HAereditatis ratio mercedis veritati non officit. 486.
Hæretici cur pugnantia loquuntur. 33.
Hæretici Scripturas committunt. 65.

Hæreticorum hodie cæcitas magna.95.
Hæreticorum hodie execranda impietas.256.
Hæreticorum ingenium.451.

I.

IMpietatem perpetuam cum remissione perpetua docet Caluinus.197.
Impium iustificari quid.186.
Impios pro iustis apud Deum haberi Caluinus ac Beza docent.184.
Impius nemo iuxta Caluinum nisi in summo gradu.389.
Impius quo sensu à Deo iustificatur.502.
Imputatiua hæreticorum iustitia cum summa impietate consistit.129.
Imputatiua iustitia.61.129.
Imputatiua iustitia Paulo contradicit, & Dei naturæ repugnat.102.
Imputatiua iustitia sine contradictione explicari non potest.103.
Imputatiua iustitia euertitur.298.452.
Imputatiua iustitia non statuitur ex promissionis & fidei relatione.173.
Imputatiua iustitia non potest in reatus vicem succedere.307.
Imputatiua iustitia à Caluino reprobata.458.
Imputatiuæ iustitiæ fundamentum euertitur.306.
Imputatiuæ iustitiæ fœdum fundamentū.322.
Interioris & exterioris hominis distinctio.421.
Iudaica Bezæ doctrina de paritate Sacramentorum veterum & nouorum.236.

Iustifi-

Iustificandi vocabulum.90.
Iustificandi vocabulum in sensu Catholico.90.
Iustificandi vox ab Hebræorum consuetudine non accipienda.94.
Iustificari in Christo, non est Christi iustitia indui.207.
Iustificari ex fide iuxta Caluini principia nemo potest.235.
Iustificari aliud quàm absolui. 497.
Iustificari sine operibus per fidem multum differt à iustificatione per solam fidem.93.
Iustificatio ex bonis operibus.259.
Iustificatio causam absolutionis notat, non est ipsa.501.
Iustificatio ex operibus gratiæ à Caluino impugnata defenditur. 114.
Iustificatio non est extra nos.124.
Iustificatio ex fide quare.117.
Iustificatio gratuita.119.
Iustificatio per fidē sine operibus qualis & quo sensu.143.
Iustificatio quomodo Christum perpetuò respicit.122.
Iustificatio merè gratuita, est prima reconciliatio cum Deo.130.
Iustificationem ex operibus legis cur Paulus reijcit.95.
Iustitia Christiani hominis.418.
Iustitia Dei quæ.11.
Iustitia Dei in sensu Pauli ex ipso Paulo.16.
Iustitia Dei iuxta Bezam.13.

Iustitia Dei ex fide. 244.
Iustitia Dei sine lege non est iustitia sine operibus legis. 106.
Iustitia fidei quatenus à peccatorum remissione pendet. 191.
Iustitia fidei includit conditionem implendæ legis. 244.
Iustitia in vno Christo quo sensu. 74.
Iustitia inhærens. 158. 295.
Iustitia inhærens est causa iustitiæ, non testis. 103.
Iustitia non statuitur ex promissionis & fidei relatione. 173.
Iustitia reputata iustis, est iustitia illis inhærēs. 221.
Iustitiæ inhærentis abundantia probatur. 293.
Iustitiæ Dei iuxta Bezam refutatio. 15.
Iustitiæ fructus iustificant coram Deo. 98.
Iustitiam Christi imputari per fidem, nulla Scriptura dicit. 96.
Iustus ex fide viuit, quia non sine fide. 40.
Iustus ex fide, quia ex gratia. 40.
Iustus ex fide, futurorum bonorum viuit. 40.
Iustus quomodo carnalis. 385.
Iustus quomodo venundatus sub peccato. 386.

L.

LEges quatuor apud Paulum. 395.
Legis impletio per Christi gratiam luculenter probatur. 439.
Legis iustificationem impleri ostenditur. 450.

Legis

Legis ceremonialis rigida exactio non carebat Spiritu Sancto. 356.
Legis rigida exactio est seruilis timor legis. 358.
Legis nomine doctrinam legis intelligi demonstratur. 108.
Legis nomine quid Paulus intelligat. 242.
Legis obseruatio ad salutem necessaria. 252.
Legis obseruatio non est impossibilis. 253.
sub Lege esse quid. 334.
Legis opera iustificare cur Paulus negat. 83.
Legis iustitiam perfectam non exigi Caluin. agnoscit. 336.
Legis vita in carnalibus. 350.
Lex bona quomodo fiat lex mortis. 377.
Lex cerimonialis nullo modo obligat. 356.
Lex ad Angelicam iustitiam non obligat. 383.
Lex fidei præcipit opera. 134.
Lex impleri potest. 73.
Lex membrorum quomodo captiuat iustum. 416.
Lex mandatorum quomodo nobis mortua. 349.
Lex per Christi corpus mortua. 345.
Lex peccati dupliciter dissoluitur. 431.
Lex quibus mortua. 486.
Lex quid facit & non facit. 81.
Lex quibus viuit. 351.
Lex quomodo fidei oppponitur. 116.
Lex Spiritus vitæ quid. 432.
Liberi arbitrij cum gratia Dei cooperatio. 61.
Liberi arbitrij defensio. 339.

M.

MAndatorum obseruatio testimoniũ adoptionis.485.
Merita bonorum operum.65.343.494.
Meritum ad primam iustificationem nullum.136.
Misericordia Dei & iustitia per fidem differunt.110.
Misericordia Dei sola solam fidem iustificantem non probat.125.
Misericordia Dei non secus in operibus quàm in fide.213.
Misericordia Dei gratuita operum meritis non aduersatur.489.
Mœchia mẽtalis & furti libido cur in postremo præcepto distinctè prohibetur.364.
Mors in baptismo qualis.314.

N.

NEcessitas seruandę legis non facit conscientias inquietas.253.

O.

OBedientia vltronea non tollit obligationem legis.347.
Obedientiæ Abrahæ promissiones factæ sunt.243.
Obsignatio Sacramenti iuxta Caluinum refutatur.232.
Opera iustificant.67.
Opera cum fide iustificant.141.

Opera intelligi quæ fide carent, probatur. 148.
Opera iustitiæ nihil sibi arrogant. 138.
Opera vniuersaliter Paulum nõ excludere. 139.
Operantem à gratia qualẽ excludit Paulus. 179.
Operis boni patientia non ordo sed causa salutis. 490.
Operum bonorum conditio in iustitia fidei. 135.
Operum bonorum defensio. 178.
Operum bonorum non est arbor aut radix. 215.
Operum bonorum ad salutem necessitas. 461.
Operum bonorum conditio vim causæ habet. 491.
Operum bonorum conditio generaliter necessaria. 491.
Operum iustificatio reiecta non probat solius fidei iustificationem. 86.
Operum iustitia. 133.
Operum gloriatio sublata non tollit operum iustitiam. 137.
Operum iustitiæ promissio fortiùs facta quàm iustitia fidei. 170.
Operũ iustitia fidei iustitiam non subuertit. 210.
Operum iustitia non est effectus iustitiæ fidei. 219.
Opus supererogationis. 294.
Opus vnum potest iustificare. 204.

P.

PAuli & Caluini sententiæ contrariæ. 397.
Pauli clarissima verba qua arte eludit Caluinus. 462.

Pauli doctrina & corruptela Caluini obseruanda.472.
Pauli sensum corrumpit Caluinus. 429.
Pauli verba primùm mitigat & extenuat. 463. iterum extenuat.463.eadem eludere conatur. ibidem.
Pauli verba in sensu Caluini.467.
Pauli verbis præteritis, sua vafre obtrudit Caluinus. 447.
Pauli verborum sensus germanus. 54.
Pauli vera conclusio. 85.
Paulini textus dementissima deprauatio. 66.
Paulo non plus virtutis Caluinus tribuit quàm Ethnicis. 427.
Paulo duo affingit Caluinus quæ non dixit. 428.
Paulum loqui de operibus legis quatenus præcipiuntur. 88.
Paulus cur iustificationē ex operibus legis reijcit. 83.
Paulus ante notitiam Christi iustus. 369.
Paulus Caluino nimis rigidus ac seuerus. 468.
Paulus iuxta Caluinum nullum bonum opus fecit. 406.
Paulus iuxta Caluin. fuit adulter, auarus, &c. 411.
Paulus seipsum explicat. 415.
Pœnitentiæ necessitas à Caluino frustra excluditur. 190.
Pœnam exposci vbi peccatum nō imputatur. 194.
Peccati mors in renatis à Beza aguita. 316.
Peccatoris descriptio, qui audito mandato magis peccat. 371.

Peccatum non imputare, vna pars iustificationis est, non tota. 189.
Peccatum per legem detegi, non erat legis finis, 378.
Peccatum quo sensu non dominatur regeneratis. 330.
Permissio malorum in Deo non est odiosa. 57.
Petrum Romæ prædicasse. 7.
Phinees iustitiæ ex charitatis radice orta est. 208.
Precandi fiducia certitudinem gratiæ non probat. 479.
Probatur ex litera Apostolica. 277.
Promissio Abrahæ facta merè gratuita. 160.
Promissio hæreditatis cur ex fide, nõ ex lege. 258.
Promissio facta Abrahæ an fuerit electionis testimonium. 163.
Promissio facta est Abrahæ magis luculenta ex obedientia quàm ex fide. 162.
Promissiones sine fide quomodo nõ prosunt. 251.

Q.

QVæstio duplex necessaria. 387.
Quæstio altera, cuius illa vox est, Quod nolo, illud facio. 393.

R.

REgenerati in Christo ex qua causa non damnantur. 428.
Regenerationis gratia iuxta Caluinum studium pietatis inefficax. 435.
Remissio peccatorum gratuita cum operum conditione. 192.

Remissio

Remissio peccatorum dimidia à Scholasticis non docetur. 193.
Remissio peccatorum sola non beatificat. 214.
Remissio peccatorum non imputatiua, sed vera. 218.
Remissionis peccatorum cur Paulus beatitudinem solùm ponit. 217.
Resurrectio Christi nostram iustificationem significauit. 259.
Resurrectio Christi quomodo causa iustificationis nostræ. 261.
Resurrectio Christi iustitia nostra imputatiua esse non potest. 165.

S.

Sacramenta fidei confirmandæ non subseruiunt. 234.
Sacramenta non possunt obsignare iustitiam fidei acceptam. 233.
Sacramentorum differentia à Christi excellentia dependet. 238.
Sacramẽtorum efficacia propria defenditur. 222
Salutis causæ aliæ præter fidem. 495.
Salutis confidentiã cur Paulus conceperit. 511.
Sanctificatio & iustificatio idem sonant. 341.
Satisfactio quo sensu requiritur. 191.
Scriptum verbum non est solum fidei obiectum. 21.
Scripturæ literam commodè exponi Beza non patitur. 59.

Securi-

Securitatis verbũ affingit Paulo Caluinus.480.
Sigillum Caluinianum in Sacramento euertitur.232.
Signaculum apud Paulum non significat sigillum aut obsignationem in sensu hæreticorum.229.
Soluti à lege mortis quomodo.355.
Specialis fidei Spiritus S. author non est.30.
Spiritus nouitas vetustati literæ quomodo opponitur.357.

V.

VAtabli scholia è schola Geneuensium prognata.454.
Verbi Dei corruptela sacrilega.467.
Vitæ nouitas ad salutem necessaria iuxta Caluinum.323.
Virtutes omnes theologicæ non secus gratuitæ quàm fides.220.
Viuere sine lege quid significat.367.
Vocabuli Apostolici vis & proprietas inhærentem iustitiam probat.290.


FINIS.


APPROBATIO.

In his Antidotis, quibus diuini verbi ab hæreticis noſtri temporis factæ deprauationes egregiè demonſtrantur & refelluntur, nihil eſſe teſtor quod fidei Catholicæ & Orthodoxæ repugnet.

Henricus Cuyckius, Pontificius & Regius librorum Cenſor.

Collegij Societatis Jesu Paduani.


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th
1361
UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN